TRACTATUS DOGMATICO-MORALIS

DE INDULGENTIIS

IN DUAS PARTES DISTRIBUTUS

IN QUARUM PRIMA

Post Dissertationem Prooemialem Historicam de Origine, & Progressu Indulgentiarum

JUXTA VETEREM, AC NOVAM ECCLESIÆ DISCIPLINAM

AGITUR

De Indulgentiis in genere: & tum adversus antiquos, & recentiores Hæreticos Catholicæ veritates propugnantur: tum ad tutiorem praxim morales opiniones exponuntur.

IN SECUNDA

De Indulgentiis in particulari, sive de Indulgentiis Localibus, sive Personalibus, sive Realibus.

His adduntur plurimæ Constitutiones, ad Indulgentiarum notitiam habendam necessariæ: & quænam Apocryphæ Indulgentiæ sint, quæque legitimæ, ex ipsis Apostolicis Constitutionibus, & Sacrarum Congregationum Decretis, seu Responsis aperitur.

PARS PRIMA

DE INDULGENTIIS IN GENERE.

AUTHORE

F. THEODORO A SPIRITU SANCTO

Ordinis Carmelitarum Excalceatorum Sacræ Congregationis Indulgentiarum, & Sacrarum Reliquiarum Consultore, necnon Sacræ Congregationis Visitationis Apostolicæ Theologo.

ROMÆ, MDCCXLIII.

Ex Typographia Palladis

PRÆSIDUM PERMISSU.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

BENEDICTO XIV.

PONTIFICI OPTIMO MAXIMO.

F. THEODORUS A' SPIRITU SANCTO ORD. CARMELIT. EXCALCEAT.

QUOD *Tibi meas hasce de sacris Indulgentiis elucubrationes,* BEATISSIME PATER, *inscripserim, in causa fuit potissimum ipsius operis argumentum: quod Tibi omnino deberi, homini Christiano turpe est ignorare, dissimulare nefas, impugnare facinus execrandum. Romanis nanque Pontificibus Christo Authore didicimus* Re-

Regni Cœlestis Claves concreditas esse, quæ a Petri Apostolorum Principis manibus ad Tuas usque legitime pervenerunt: Teque proinde Ecclesiæ suæ præpositum, Thesaurique ejus nedum Clavigerum, verum etiam & providum Dispensatorem fide divina credere minime diffitemur. Quamobrem cum in sacratissima hujus Thesauri penetralia ingredi, intima ejus scrutari, pretiosa quæque monilia pertractare, eorum primævas origines enarrare, & omnia, quæ ibi religiose servantur, in propatulo constituere, Te non annuente, vix a me sine piaculo fieri posse censerem; venia ad hoc petita, dissertationes, disputationesque meas, quas de his rebus prodere duxi, Tuo in ævum gloriosissimo inscripto Nomine sedulo decorandas putavi. Invitat enim, & recreat me incredibilis illa comitas & humanitas Tua, quam corde retines, vultuque tanquam in propria sede firmatam occurrentibus ostendis; licet Divina Majestas illa, qua Orbem universum imples, & summa, qua polles, tum divinarum tum humanarum rerum scientia me terreat. Quis enim Te coram de rebus præsertim ad fidei dogmata, & sacros Canones spectantibus impavidus audeat sermo-

nem

nem effundere: cum ille sis, quo ab ineunte ætate ad sacram eruditionem ex inclyta LAMBERTINORUM *progenie nato Patria gloriabatur Bononia, studiorum fœcunda parens, Romana replebatur Aula, & Orbis pene dixerim universus gratulabatur! Juvenis adhuc eras, & jam doctoralibus decoratum laureis in Advocatorum Consistorialium Collegio adscriptum Urbs hæc nostra, & cuncti, qui in ea versabantur Populi, suspiciebant, atquè in suarum quisque partium Patronum te unice expostulabat. Te inter Prælatos, ut ajunt, Domesticos, ac Vaticanæ Basilicæ Canonicos, Te Supremæ & Universalis Inquisitionis Consultorem, Fidei Promotorem, Congregationis Concilii a Secretis, non sine acri delectu constituit Sanctissimus Pontifex Clemens XI. Te in Foro Pœnitentiariæ Sacrornm Canonum Doctorem, aliisque prædictis muneribus egregie perfunctum, velut Romanæ Curiæ Oraculum, in amplissimum S. R. E. Cardinalium Cœtum assumsit Tuorum meritorum æstimator insignis Benedictus XIII. Verum* si ex virtute dignitati honor accedit, *ut inquit Boetius (1) ambiguum jam tum fuit, an Purpuræ plus ipse contuleris, quam* (1) Lib. 2. prosa 6.

inde

inde hauseris decoris. Te Dorica Ancon Vigilantissimum Pastorem obtinuit: & quanquam invitis oculis Te a se ereptum aspiceret; dilectissimæ tamen Patriæ Tuæ Te reddi Patrem nescio mœrens an lubens magis passa est, & suos Cives Tuis Concivibus humanissime gratulari. Sed quid amplius humanas refero laudes, cum unam solam præ omnibus satis sit commemorare? Cum de Universali Ecclesiæ Pastore dando in novissimis Romanis Comitiis serio pertractaretur, nec concordes Conscriptorum Patrum animi, humano more discrepantes, quidquam decernerent; Non sine superni Numinis afflatu momento temporis Te, ne cogitantem quidem, tanquam Aaron a Deo vocatum super Universalis Ecclesiæ candelabrum, non minori Urbis, ac Orbis plausu, vidimus exaltatum. Liceat hic mihi Plinii verbis (2) *parumper uti:* si adhuc dubium fuisset, forte casuque Rectores Terris, an aliquo Numine darentur; Principem tamen nostrum liqueret divinitus constitutum. *Mittam præclarissimas virtutes, quæ Christi Vicarium decent, antea Tibi familiares, animi Tui candorem ac moderationem, morum suavitatem, studium juvandi omnes, lædendi nemi-*

(2) *In Paneg. ad Trajan.*

mi-

minem. Nihil dicam, aut de admirabili providentia, qua Apostolicæ Sedis, totiusque Ecclesiastici imperii fortunas difficillimis hisce temporibus tueris, ac moderaris: aut de carnalium propinquitatum oblivione, cum nihil carni, aut sanguini, nihilque cupiditati, aut genio tribuas. Sed quorsum ista *(cum Hieronymo* (3) *fortassis inquies)* tam longo repetita principio? *Ut scilicet* parvum Magnus aspicias: *& quanquam longe infra eruditionis Tuæ sublimitatem, Majestatisque Tuæ celsitudinem sit, quidquid a me in hoc Indulgentiarum Tractatu est præstitum; attamen ut illud oculis Tuis paulisper subjici patiaris enixe rogo, & humiliter obtestor: nedum quippe in hisce Dogmaticis, Moralibusque disputationibus meis Summorum Pontificum, Conciliorum, Patrum, Romanæque Curiæ tum antiqua, tum recentiora monumenta accurate reddita sunt; ibique explanata, ubi difficilia, ibi vindicata, ubi perperam detorta, ibi demum ad discretam critices trutinam revocata, ubi minus cohærentia vel probatorum Authorum ingenio, vel antiquæ traditioni, vel certis eorum fœtibus videbantur. Sed his maxime opus hoc meum exornare luminibus*

(3) *Hieronym. ad Damas. Ep. 18.*

stu-

ſtudui, quæ a me ex abſolutiſſimis Sanctitatis Tuæ de Servorum Dei Beatificatione, necnon de Beatorum Canonizatione Voluminibus ſumma, qua par eſt, reverentia excerpta ſunt, & jure merito ſæpe laudata. His, BEATISSIME PATER, *ceu fulgentiſſimis gemmis undequaque conſperſus hic Indulgentiarum Tractatus, ab ingenii mei tenebris vindicabitur, ingeniique Tui fulgebit ſplendoribus, & operibus: quæ quam accepta, quam grata, & quo honore nedum a Catholicis, verum etiam ab Heterodoxis ſint habita, Literariæ Hiſtoriæ, & Acta Eruditorum Lypſiæ teſtantur. Quare ad Sacros Beatitudinis Tuæ Pedes humillime provolutus, dum & audaciæ veniam expoſco, & obſequii mei argumentum offero, benigne abs Te habitum iri opus hocce meum ſpero: atque ad porrigendas Deo preces aſſurgo, ut Te ſoſpitem ad Eccleſiæ ſuæ regimen, ad Literariæ Reipublicæ decus & ornamentum longiſſima ætate cuſtodiat, & ſervet.*

AD LECTOREM.

DIU anceps fui, Lector humanissime, an quo in labore Scriptores quamplurimi desudarunt, in eo studium ego meum, & vim omnem impenderem? Ita enim videbatur mihi Indulgentiarum materies ab aliis plenissime pertractata, ut nihil ea de re scribendum quodammodo superesset; adeoque oleum me & operam perdere mecum ipse reputabam, si provinciam hanc ab aliis diu multumque lustratam, iterum ego perlustrandam susciperem. Verum enimvero, cum ex diuturna tot annorum in studiis Indulgentiarum exercitatione, & ex insito mihi in ejusmodi rem amore cohibere me omnino non possem, quin in amoris hujusce testimonium commentationem aliquam in lucem ederem; Praxim tantummodo Indulgentiarum pro utroque foro explanare, & recentiorem Sedis Apostolicæ stilum, Pontificias Sanctiones, & Sacrarum Congregationum responsiones ea de re enarrare, atque explicare omnino statueram. Sed aliter visum est sapientissimis quibusdam viris, quorum judicium, atque authoritas gravissima est & maxima: ii enim cum ex Scriptoribus, qui de Indulgentiis pertractarunt, plerosque Dogmaticas Theses, alios vero nonnullas morales dissertationes præteriisse conspicerent, atque eos omnes (paucis exceptis) adeo parce & jejune hoc argumentum proposuisse, ut potius provocent gustum, quam satient appetitum; impulerunt me, ut evolutis veterum Scriptorum monumentis, quæ in illis hac illac dispersa sunt, ea omnia in unum Tractatum novo ordine, & nova methodo disposita congererem, novisque accessionibus, atque observationibus illustrarem: & quanvis onus hocce viribus meis impar agnoscerem, intelligeremque me eo Hieronymi effato (1) posse damnari: *Grandes materias ingenia parva non sustinent*; tantorum tamen virorum judicium, authoritatem, imperiumve detrectare nec debui, nec potui.

(1) Hieron. in Ep. ad Heliodor.

En igitur opus, in cujus vestibulo ipso atque limine vetus ac nova Ecclesiæ in dandis Indulgentiis, & peccatorum remissionibus exhibetur disciplina; non omissa antiquorum Canonum pœnitentialium tractatione, ac notitia, ad earum originem & progressum aperiendum necessaria, atque

difficultatibus dissolvendis non modicam lucem allatura. In operis progressu de Indulgentiis in genere pertractatur, deisque Catholicæ veritates adversus veteres, ac recentiores Hæreticos propugnantur, moralesque opiniones exponuntur, quæ ad probatos Authores, atque tutiorem Praxim propius accedunt. Ut nihil vero huic novo molimini desit, quod in aliorum Scriptorum elucubrationibus desiderari animadverti; ea omnia studui aperire, quæ ad Indulgentiarum Localium, Personalium, & Realium, necnon Legitimarum, & Apocrypharum notitiam ex Summorum Pontificum Diplomatibus, & Sacrarum Congregationum responsionibus, atque decretis comparandam idonea sunt ac necessaria.

In Thesibus propugnandis, atque Adversariorum argumentationibus refellendis, non id mihi tribuam, quod nova & peregrina tradiderim; sed aurea antiquitatis documenta ex aliorum penu depromta: & potissimum in rebus practicis quandoque ex ineditis adhuc elucubrationibus Claræ Memoriæ Cardinalis Michaelis Angeli Riccii (2): qui dum erat a Secretis Congregationis Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis præpositæ, nulli studio ac labori pepercit, ut ejusmodi materiam illustraret.

(2) Extant in Biblioth. Em. ac Rmi Card. Annibalis Albani S. R. E. Camerarii.

Cum vero legentibus nimia Scriptorum brevitas obscuritatem, morosior prolixitas nauseam parere soleat; operæ pretium duxi medium inter utrunque scriptionis, & commentationis genus ita servare, ut neque prolixitas eruditos deterreat, neque brevitas minus edoctos dimittat. Faciliora leviori attingere brachio, difficiliora operosiori calamo aggredi conatus sum: & quod rationi accomodatius visum est, illud inter opinionum ambages amplexus fui. Nec sine consilio illud etiam factum est, ut per extensum, & per partes attulerim Summorum Pontificum Diplomata, & Sacrarum Congregationum responsa, atque decreta, quæ satis fuisset innuere: illud scilicet mihi proposui, ut qui operosius hisce studiis aut ex placito, aut ex munere vacaturi sunt, citra aliorum librorum inquisitionem hic habeant, unde plene decerpant.

Cæterum in tanta rerum indagine atque amplitudine non me latet plurima ingenii mei captum excessisse, aliaque superesse, quæ diligentiam meam hactenus effugerunt, & non pauca emendatricem manum desiderare: *Unumquenque enim*

enim (ut cum Ambrosio loquar (3) *fallunt sua scripta*, *&* *aurem prætereunt* .... *incautius aliquid plerumque promitur*, *aliquid accipitur malevolentius* : *aliquid exit ambiguum*.

(3) Epist. Lib. 8. Ep. 63.

Unum itaque rogatum te velim, Lector humanissime, ut si quid virga censoria dignum repereris, ingenii mei attribuas tenuitati, meque errorum monere non graveris; cum veritatis potius quam proprii nominis habenda sit ratio : *Non enim vincimur* (inquit Cyprianus (4) *quando offeruntur nobis meliora*, *sed instruimur*. Vive, & vale.

(4) Cypr. ad Quintum Fratrem.

AP-

APPROBATIO
R.A.P.N. BENIGNI A JESU
Definitoris Generalis Carmelitarum Discalceatorum.

EX commissione R. A. P. N. Ildephonsi a Præsentatione Præpositi Generalis Ordinis Carmelitarum Discalceatorum Congregationis Italiæ, perlegi librum cui titulus: *Tractatus Dogmatico-Moralis de Indulgentiis &c.* a R.P.F. Theodoro a Spiritu Sancto Carmelita Discalceato Provinciæ Romanæ compositum; in illoque non solum nihil deprehendi ortodoxæ fidei, aut bonis moribus contrarium; verum omnes in hac materia difficultates summa claritate dilucidatas, & conformiter ad praxim & stilum Curiæ Romanæ explanatas inveni. Quare Tractatum hunc multa scitu, & speciali reflexione digna continentem, dignum judico ut prælo mandetur. Datum Romæ in Conventu Nostro SS. Therefiæ, & Joannis a Cruce, hac die 21. Aprilis 1740.

Fr. Benignus a Jesu Definitor Generalis Carmelitarum Discalceatorum.

APPROBATIO
R. A. P.N. PETRI PAULI A S. HORATIO
Definitoris Generalis Carmelitarum Discalceatorum.

JUssu Reverendi Admodum Patris Nostri Præpositi Generalis sedulo perlegi *Tractatum Dogmatico-Moralem de Indulgentiis* ab A. R. P. Theodoro a Spiritu Sancto compositum; in eoque tantum abest ut aliquid vel bonis moribus, vel Sanctæ Ecclesiæ Doctrinæ dissonum invenerim; quin potius summam demiratus fim facilitatem in solvendis difficultatibus, quæ occurrere possunt tam circa Indulgentiarum Dogma, quam circa praxim, modumque adhibendum pro eis lucrandis. Propterea ut Catholicæ prosit Reipublicæ, publica luce dignissimum censeo. Datum Romæ in Collegio Nostro Sanctæ Mariæ de Victoria die 22. Aprilis 1740.

Fr. Petrus Paulus a S. Horatio Definitor Generalis Carmelit. Discalceat.

LICENTIA
R.A.P.N. Præpositi Generalis Carmelit. Discalceat.

FR. ILDEPHONSUS A PRÆSENTATIONE
Præpositus Generalis Fratrum Excalceatorum B.V. Mariæ de Monte Carmelo Congregationis S. Eliæ, ac ejusdem Sancti Montis Prior.

TEnore præsentium, quantum ad Nos attinet, facultatem concedimus R.P.F. Theodoro a Spiritu Sancto Congregationis Nostræ Italicæ, ac Provinciæ Nostræ Romanæ Sacerdoti professo, ut typis mandare valeat librum, cui Titulus est *Tractatus Dogmatico-Moralis de Indulgentiis*, a duobus Congregationis Nostræ Theologis recognitum, & approbatum. In quorum Fidem &c.

Datum Romæ in Conventu Nostro SS. Theresiæ, & Joannis a Cruce die 27. Aprilis 1740.

Loco ✠ Sigilli.

Fr. Ildephonsus a Præsentatione Præpositus Generalis.

Fr. Desiderius a Sancto Michaele Secretarius.

AP-

APPROBATIO
REVERENDISSIMI PATRIS
D. JOSEPHI MARIÆ DE PETIO

Clerici Regularis, Sacrarum Congregationum Indicis, & Indulgentiarum, Sacrarumque Reliquiarum Consultoris, in Urbe Cleri Examinatoris Apostolici, atque Serenissimi Augusti III. Regis Poloniæ, Electoris Saxoniæ &c. Theologi.

Bipertitum Opus, cui Titulus: *Tractatus Dogmatico-Moralis de Indulgentiis &c.* Authore Rmo P. Theodoro a Spiritu Sancto Ordinis Carmelitarum Excalceatorum, Sacræ Congregationis Indulgentiarum, & Sacrarum Reliquiarum Consultore, necnon Sacræ Congregationis Visitationis Apostolicæ Theologo, mandante Reverendissimo Patre Aloysio Nicolao Ridolfi Sacri Palatii Apostolici Magistro, ea, qua licuit, diligentia expendi: nihilque in ipso aut rectæ Fidei, aut sanis moribus dissonum inveni. Quin & in eo Doctissimus Author Catholicum de Sacris Indulgentiis Dogma scite illustrat, moralesque sententias firmat apto rationum præsidio: tum plurima congerit, de Cœlesti illo Thesauro ditescere cupientibus commoda maxime, atque utilia. Quare ejusmodi lucubrationem edi in lucem posse censeo.

Romæ ex Ædibus S. Andreæ de Valle 4. Nonas Februarii 1742.

Josephus Maria de Petio Clericus Regularis &c.

APPROBATIO
REVERENDISSIMI PATRIS
D. PAULI TAGLIALATELA

Congregationis Piorum Operariorum Theologi, ac Rectoris Sanctæ Mariæ ad Montes.

Tractatum Dogmatico-Moralem de Indulgentiis inscriptum, & in duas partes distributum, Auctore Rmo P. Theodoro a Spiritu Sancto Ordinis Carmelitarum Excalceatorum, Sacræ Congregationis Indulgentiarum, & Sacrarum Reliquiarum Consultore, necnon Congregationis Visitationis Apostolicæ Theologo: id mihi demandante Rmo P. Fr. Aloysio Nicolao Ridolfi S. P. A. Magistro, intentis oculis totum inspexi & perlegi. In eo autem quicquid ad Indulgentiarum cognitionem pertinet, & ad catholicas de iis veritates sive confirmandas sive explicandas refert: quicquid ad earum fructum consequendum necessarium est ex insignium & probatissimorum Doctorum sententia: quidque demum ad veras syncerasque Indulgentias a suppositis falsisque dignoscendas desiderari potest; collatis inter sese a Doctissimo Auctore ex antiqua & nova Ecclesiæ disciplina argumentis, & conquisitis undique Diplomatibus ac Rescriptis; congestum simul eruditissime, & suo unumquodque ordine dispositum reperitur. In quo quum nihil omnino occurrat, quod vel orthodoxæ fidei, vel sanis probatisque Doctrinis contrarium sit, librum prælo dignissimum censeo, & ut publici juris fiat meritissimum. Ex Ædibus Sanctæ Mariæ ad Montes 4. Februarii 1742.

Paulus Taglialatela Congregationis Piorum Operariorum Theologus.

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

F. M. de Rubeis Archiep. Tarsen. Vicesgerens.

IMPRIMATUR.

Fr. Aloysius Nicolaus Ridolfi Ordinis Prædicatorum Sac. Palat. Apost. Magister.

IN-

INDEX

DISSERTATIONIS PROOEMIALIS HISTORICÆ,

CAPITUM, ARTICULORUM, ET PARAGRAPHORUM,

Quæ continentur in Parte Prima Tractatus.

Ca-

TRA-

TRACTATUS
DOGMATICO-MORALIS
DE
INDULGENTIIS
PARS PRIMA.
DISSERTATIO PROOEMIALIS HISTORICA
DE ORIGINE, ET PROGRESSU
INDULGENTIARUM
JUXTA VETEREM, AC NOVAM ECCLESIÆ DISCIPLINAM.

OPPORTUNUM profecto est ad faciliorem difficultatum, quæ proponuntur, indaginem, nonnulla præmittere, quæ rei satis obscuræ claritatem concilient, ac veluti prolusiones quædam eorum, quæ disputanda sunt, intelligentiam aperiant. Hanc laudabilem methodum, omnium fere Auctorum, qui suas elucubrationes publicas fecere, calculo comprobatam, libenter amplectimur de abstrusa Indulgentiarum materia ex professo pertractaturi; ut huic novo molimini eo meliori modo, quo potest, lux veritatis effulgeat. Ideoque in hujus Tractatus limine operæpretium duximus exponere, Indulgentiæ acceptionem Ecclesiasticam, moremque Ecclesiæ in imponendis pœnitentiis salutaribus, potioresque Indulgentiarum concessiones juxta veterem, ac novam Ecclesiæ disciplinam, aliaque plura denique enarrare, quæ ad earum excessus, abusus, & errores Ecclesiasticis Sanctionibus, atque Statutis correctos pertinent.

§. I.

Inter varias Indulgentiæ acceptiones ea potissimum exponitur, quæ spectat ad præsentem Tractatum.

INDULGENTIÆ vocabulum apud Eruditos tam in sacris, quam in profanis Literis variis modis usurpatur. Primo, pro illicita quadam lenitate, quæ malum impune permittat, aut malo viam aperiat: idcirco a Quintiliano *in lib. 1. Institut.* asseritur = *Mollis illa educatio, quam nos Indulgentiam vocamus, nervos omnes mentis, & corporis frangit.* = Quintiliano adhæret Cicero *ad Attic. lib. 12.* = *Filium Patris Indulgentia depravari.* = Ab his non discrepat Cato dicens = *Indulgere noli*

gulæ, quæ ventri amica est. = Ac denique idem innuit D. Augustinus *in Brevic. Collation. cap. 22.* de Decreto Constantini revocante Donatistas ab exilio = *Nihil illa Indulgentia potest deformius inveniri.* = Secundo, pro quadam facilitate respectu subditorum, & inferiorum, non quæ peccandi occasionem præbeat, aut libertatem, sed quæ exactioris vitæ rigorem temperet, ac minuat: quo sensu S. Paulus Apostolus 1 *ad Corinth. 7.* ut plurimorum mœchiis obviaret, cuilibet facit nubendi facultatem. = *Hoc autem*, ait, *dico secundum Indulgentiam, non secundum Imperium*: = Plinius quoque *l. 7. c. 16.* = *Indulgentior est*, inquit, *nutrix, quam mater*: ideoque Perottus in *Cornucop. verb. Indulgentia*, ejus significatum exponit dicens = *Indulgere est obsequi, & aliquid delicate concedere.* = Tertio, pro pulchritudine, ac formæ elegantia: ut apud Statium = *Egregiæ tanta Indulgentia formæ*: = & apud Quintilianum *Declamat. 18.* = *Si filio obtigerit indulgentior facies, vultus erectior, refugiet mater amplexus.* = Quarto, pro cessione debiti, vel actionis, cujus habemus jus adversus alterum: ut *Isaiæ 61. v. 1.* = *Ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis, & prædicarem captivis indulgentiam*: = & 63. *v. 7.* = *Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus, quæ reddidit nobis Dominus, & super multitudinem bonorum domus Israel, quæ largitus est eis secundum indulgentiam.* = Et *Judith 8. v. 14.* = *Quia patiens Dominus est, in hoc ipso pœniteamus, & indulgentiam ejus fusis lacrymis postulemus.* = Juxta hanc acceptionem dicitur à S. Leone Papa *Serm. de Quadrag.* = *Studiosiori opere nunc exequamur præcepta, quia totum Paschale Sacramentum in remissionem est conditum peccatorum: misericors enim Dominus ita promisit indulgentiam suam, ut etiam quibus parcit, indulgeat. Si dimiseritis, inquit, hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater Cælestis peccata vestra. Justa prorsus, & benigna conditio.* = Et a D. Augustino *Enarrat. in Psalm. 101.* = *Ne desperatione pejus homines viverent, promisit Deus Indulgentiam.* = In Edicto pariter Valentiniani Imperatoris de relaxandis vinctis tempore Paschali præcipitur, mancipatos in carceribus solvi, exceptis Sacrilegis, Adulteris, & Incestuosis: de quo fit mentio *in l. 8. de Indulgentia criminum C. Theodos.*, ubi habetur = *Exequantur Judices, quod indulgere consueverunt.* = & *L. Lucius ff. ad Senatus Consult. Turpillian.* dicitur = *Lucius Titius Sejum reum falsi fecit, & prius quam persequeretur, Indulgentia reorum crimina abolita sunt.*

Ex hac fortassis, ut arbitramur, usurpatione, Indulgentiæ nomen accomodatum est ad significandam remissionem, vel pœnitentiæ injunctæ per Canones, vel pœnæ temporalis debitæ in foro Dei, factam ex potestate Clavium ab Ecclesiæ Prælatis: quæ ab antiquis Conciliis, & Patribus plerumque dicitur *Pax*, *Remissio*, *Donatio*, *seu Condonatio*: juxta quam acceptionem a Tridentino *Sess. 25. in Decreto de Indulgentiis* hoc Indulgentiarum nomen *Insigne* dicitur: ideoque ab eo abhorrendum non est, ut advertit Sotus contra Lutherum, sed illud, tanquam percelebre vocabulum possumus adhibere, citra falsitatis, erroris que periculum; non primo ab Alexandro III. inventum circa medium Sæculi XII. (ut nonnulli Scriptores perperam existimarunt, exponentes *Cap. Quod autem de Pænit. & Remiss.*) sed antiquius usurpatum: eo enim usus est D. Gregorius VII. qui ad Sancti Petri Solium evectus anno MLXXIII. septuaginta & amplius annis Alexandrum III. præcessit. Pacianus quoque dicto sæculo contra Novatianos scribens in *Epist. 3.* exponens textum *Ep. 2. ad Corinth.* = *Nam & ego quod donavi propter vos in persona Christi* = inquit = *Vide Apostolum per Indulgentiam propriam sententiam temperasse.* = Habetur insuper in *Epist. Cleri Rom. ad S. Cypr. Episc. Carthag.* data circa medium sæculi tertii, inter Cyprianicas trigesima prima = *Oremus, ut effectus Indulgentiæ lapsorum subsequatur & pœnitentia.*

Juxta hanc ergo acceptionem Indulgentia ad nostrum pertinet Institutum: de qua plurima fusiori calamo ex aliorum magisterio, tam in hac proœmiali-historica Dissertatione, quam in Operis decursu tradenda sunt. Verum quia nequit completa notitia Indulgentiæ hoc modo sumtæ comparari, ignota penitus antiqua de Pœnitentiis Ecclesiæ disciplina; de hac ab aliis Authoribus luculenter, ac pro dignitate discussa, ea duntaxat duximus prælibanda, quæ viam

viam aperiant, ad Indulgentiarum praxim exponendam, superioribus Ecclesiæ sæculis usu, & consuetudine receptam.

§. II.

Exponitur multiformis Ecclesiasticæ disciplinæ ratio in decernendis pœnitentiis salutaribus.

POst capitale protoparentis Adæ peccatum, cum omnis ætas prona sit in malum ab adolescentia sua, ut declinet à malo, & faciat bonum, rationi maximè consentaneum est, delinquentes ad pœnitentiæ onus subeundum adigere, tùm quia postulant æquitatis jura, ut quantum Divinæ Bonitati per culpam derogatum est, tantum exhibita satisfactione præstetur, tùm quia majoris debet austeritatis insimulari Judex, crimen impunè permittens, quàm si ea, qua par est, animadversione corripiat. Facilius quippe prolabuntur homines in barathrum vitiorum, si eos, quos virtutis amor ad divinarum legum observantiam non allicit, formido pœnæ a lubricis semitis non revocaret: = *Plerumque non coercere delinquentes* (inquit S. Ambrosius *in Psalm.* 118.) *majoris austeritatis est, quàm si ulciscaris; traduntur enim in passiones ignominiæ, qui cum aliquando inhonestum comiserint, nullum culpæ pretium ferunt.* = Quamobrem Ecclesiæ Patres Divini Numinis afflatu in vindicandis excessibus disciplinam adhibendam curarunt, ut qui gravioribus criminibus publicis obstricti essent, publicæ pœnitentiæ animadversione curarentur, nec Sacramentalis absolutionis, atque Eucharisticæ communionis participes essent, quin priùs anteactæ vitæ flagitia fletibus, corporis macerationibus, aliisque satisfactionibus eluerent: = *Eosdem* (inquit S. Leo Papa *in Epist. ad Theodorum* data) *salubri satisfactione purgatos ad communionem Sacramentalem per januam reconciliationis admittimus.* = Et Concilium Toletanum III. sub Recaredo Rege, & Pelagio II. Summo Pontifice congregatum anno Christi DLXXXIX. & Hispanicæ Æræ DCXXVII. proficuum hunc Christianæ Reipublicæ morem firmissimis legibus comprobavit. = *Quoniam comperimus* (verba sunt *Cap.* XI. Concilii prælaudati) *per quasdam Hispaniarum Ecclesias non secundum Canonem, sed fœdissimè pro suis peccatis homines agere Pœnitentiam, ut quotiès peccare libuerit, totiès a Presbyteris se reconciliari expostulent: & ideo pro coercenda tàm execrabili præsumptione, id à Sancto Concilio jubetur, ut secundum formam Canonum antiquorum detur Pœnitentia: hoc est, ut prius eum, quem sui pœnitet facti, à communione suspensum, faciat inter reliquos Pœnitentes ad manus impositionem crebrò recurrere. Expleto autem satisfactionis tempore, sicuti Sacerdotalis contemplatio probaverit, eum communioni restituat.*

Onus verò tàm grave non abs re Pœnitentibus impositum arbitramur, sed ut experimento comprobaretur, an ii, qui juxta Canonum Pœnitentialium statuta perpetrata scelera purgarent, vitam noviter inceptam Christianis dignam ducerent, queis tutò Sacrum Christi Corpus ad spiritualem animarum alimoniam traderetur. Quòd non adeo firma, stabilique lege observatum intelligas, ut ubi extremum vitæ periculum damnatis ad publicam pœnitentiam immineret, nondum ea expleta, Sacramentorum communicatio denegaretur; oppositum siquidem evincitur ex Concilio Nicæno I. *Can.* 13., cujus hæc sunt verba juxtà interpretationem Dionysii exigui = *de his, qui ad exitum veniunt, etiam nunc antiqua regularisque consuetudo servabitur, ita ut, si quis egreditur e corpore, ultimo & maximè necessario Viatico minimè privetur. Quod si desperatus, & consecutus Communionem, oblationisque particeps factus, iterum convaluerit, sit inter eos, qui Communionem orationis tantummodo consequuntur. Generaliter autem omni cuilibet in exitu posito, & poscenti sibi Communionis gratiam tribui, Episcopus probabiliter, postquam probaverit, ex oblatione dare debebit.* = De eàdem consuetudine ita loquitur Siricius Papa, qui Summum Pontificatum tenuit sub finem Sæculi IV. *In Epist.* I. *ad Himerium Terraconensem Episcopum Cap.* 5. = *Non incongruè dilectio tua Apostolicam Sedem credidit consulendam, qui, acta pœnitentia, tamquàm Canes, ac sues ad vomitus pristinos, & ad volutabra redeuntes, & militiæ cingulum, & ludricas voluptates, & nova conjugia, & inhibitos denuò appetivere concubitus; Quorum pro-*

fessam incontinentiam, generati post absolutionem filii prodiderunt. De quibus, quia jam suffugium non habent pœnitendi, id duximus decernendum, ut solâ intra Ecclesiam fidelibus oratione jungantur: Sacræ Mysteriorum celebritati, quamvis non mereantur, intersint: à Dominicæ autem mensæ Convivio segregentur, ut hac saltem districtione correpti, & ipsi in se sua errata castigent, & aliis exemplum tribuant, quatenus ab obscœnis voluptatibus retrahantur. Quibus tamen (quoniam carnali fragilitate exciderunt) viatici munere, cum ad Dominum cœperint proficisci, per communionis gratiam volumus subveniri. Scimus *Viatici*, & *Communionis* nomina in antiquis Canonibus quosdam eruditos Viros de Eucharistiæ participatione minimè interpretari; verùm cum certum sit, Siricium decrevisse, ut Relapsis in extremo vitæ discrimine constitutis Sacramentalis Absolutionis impenderetur officium, nec eos ab Eucharisticâ Communione arcere voluisse, facilè deprehenditur, eam voluisse eis dispensari; ut notat Juvenin. *in Commentar. Historico — Dogmat. de Sacrament. Dissert. 7. cap. 6.* Prætterquamquod celebre est, & nemini ignotum, dictum illud S. Ambrosii *lib. 2. de Pœnit. cap. 3.* = *Quotiescumque peccata donantur, Corporis ejus Sacramentum sumimus; ut per Sanguinem ejus fiat peccatorum remissio.*

Ut ad Pœnitentiæ prædictæ tempus, & ordinem descendamus, observa, ab Ecclesiæ nascentis exordio ad Hæresim Novati, quantum ex veterum monumentis, quæ extant, colligere licet, nullum ab Ecclesia publica lege definitum fuisse pœnitentiæ tempus pro singulis peccatis obeundæ reperiri; hoc tantùm constat, graviores, atque longiores impositas fuisse pœnitentias post Montani tempora usque ad Novati Hæresim, quàm toto eo tempore, quod Montanum præcessit. Canones autem Pœnitentiales, quibus pro singulis peccatis pœnæ, earumque tempora statuuntur, quotquot sunt, omnes Novato sunt recentiores; antea siquidem ad Episcopi arbitrium pro criminum gravitate pœnitentia injungebatur, postea verò tum pœnarum conditio, ac tempus certis canonibus, seu legibus fuerunt constituta, tùm temporis illud omne publicæ pœnitentiæ in quatuor partes fuit distributum, quas totidem pœnitentiæ gradus, & stationes appellarunt.

Horum graduum, seu stationum inter veteres, qui aptè, ac singillatim meminerint, sunt D. Gregorius Neocæsariensis miraculorum dono, quo pollebat, Thaumaturgus nuncupatus, & S. Basilius Magnus *in Epist. Can. ad Anphiloch.*, nomina verò, quibus hujusmodi gradus distinguebantur, sunt = *Fletus*, *Auditio*, *Substratio*, & *Consistentia*.

Flentium statio collocata erat in area, seu domuncula quadam Ecclesiæ adjacente, seu in Porticu extra fores Ecclesiæ. Stadium siquidem hoc ingressuri, cum non possent in Ecclesiam introire, ad ejus vestibulum accedebant, ubi pauperes pro eleemosynis recipiendis conveniunt. Id colligitur ex *Can. ultim. Epist. Canon.* D. Gregorii Thaumaturgi. Quod si quæras, quid in *Fletu* Pœnitentes agerent: quidque circa eos ab Ecclesiæ Ministris ageretur, ad primum respondemus, Flentes solitos fuisse, se reos palam confiteri, ob sua crimina fletibus, ac lacrymis Ecclesiæ limen aspergere, & ingredientibus adgeniculari, ut apud Deum, Episcopum, Clerum, universamque Ecclesiam pro illis intercederent: = *Qui sua spontè interficit*: (inquit S. Basilius Magnus *in Epist. laudata Can. 56.*) *& postea pœnitentia ductus est, viginti annis Sacramento non communicabit; viginti autem anni sic in eo dispensabuntur, debet quatuor annis flere stans extra fores Oratorii, & fideles ingredientes rogans, ut pro eo precentur, suam iniquitatem enuncians.* = Ad alteram verò quæstionis partem dicimus, Flentibus in primis vetitum esse, publicas conciones, atque solemnes Scripturarum Lectiones percipere. Id profectò colligitur, tùm ex Loco, in quo morabantur, cum enim extrà Ecclesiæ fores stationem haberent, eà, quæ in Ecclesiâ clausis janujs fieri solebant, nec audire poterant, nec intueri; tùm ex eo, quod facultas audiendi publicas conciones, privilegium erat alterius Pœnitentium classis, quæ *Auditio* dicebatur.

Pœnitentium, qui hanc *Fletus* stationem decurrebant, exterior corporis habitus admodùm lugubris erat, induti siquidem sacco, ac cilicio, cinere aspersi, & capillo neglecto ante Ecclesiæ fores flebant,

bant, ac in Templum introeuntes exorabant. Tempus verò, quo Pœnitentes in hac fletus statione morabantur, pro qualitate criminum, & compunctione, ac fervore, quo injuncta opera prosequebantur, brevius, vel longius erat. Quod idem pariter intelligendum est de tempore, quo in aliis stationibus permanebant; varium enim esse solebat, tàm pro criminum qualitate, quàm pro majori, vel minori compunctione, & spiritus fervore, quo onera injunctarum satisfactionum obire solebant. Ex flentium classe ad illam Audientium pertransibant Pœnitentes. Erat autem Audientium statio in porticu oblongiori Ecclesiæ foribus interius adjacente constituta, atque à reliqua interiore parte Templi, tabulatis, vel cancellis distincta post Catechumenos. = *Auditio* (inquit D. Gregorius Neocæsariensis *in Epist. Canonic. Can.* XI.) *est intrà portam in porticu, ubi oportet eum, qui peccavit, stare usque ad Catechumenos, & illinc egredi, postquam enim audivit Scripturam, & Doctrinam eiciatur, & precatione indignus censeatur.* = Audientibus igitur (ut ex iisdem Gregorii verbis colligitur) in loco destinato (qui quidem aliis hominum generibus erat communis, videlicet Ethnicis, Judæis, Hæreticis, Schismaticis, & Catechumenis primi ordinis) permittebatur Sacrarum Scripturarum Lectiones excipere, atque Episcoporum concionibus interesse. Quod confirmat Concilium Valentinum celebratum in Hispaniâ anno DXXV. *Can.* I. = *Antiquos Canones relegentes inter cætera hoc censuimus observandum, ut Sacrosancta Evangelia, ante munerum oblationem, vel Missam Catechumenorum in ordine Lectionum post Apostolum legantur; quatenus salutaria præcepta Domini nostri Jesu Christi, vel sermonem Sacerdotis, non solum fideles, sed etiam Catechumeni, & pœnitentes, & omnes qui ex diverso sunt, audire licitum habeant; sic enim Pontificum prædicatione audita, nonnullos ad fidem attractos evidentèr scimus.* = Quamobrem, ut observat Natalis Alexander *in Hist. Ecclesiast. tom.* 3. *Dissert.* 8. *art.* 2. cum Pœnitentibus Audientibus agebatur eodem modo, ac cum ignaris mysteriorum fidei, perinde ac Ecclesia judicaret, mortiferis flagitiis inquinatos Evangelicæ Legis, divinorumque mysteriorum penitus oblitos, novis super his instructionibus indigere; undè diutiùs in hoc gradu detinebantur, quam Catechumeni, tamquam super fidei mysteriis doctrinæque Evangelicæ rebus erudiendi; iis tamen vetitum erat mysteriorum celebrationi, atque orationibus in Ecclesia fieri consuetis assistere, exceptis orationibus, quæ propriæ ipsorum dicebantur, ut habetur ex *Can.* XIX. Concilii Laodiceni.

Audientes multis prerogativis Flentibus superiores erant, in primis siquidem exempti erant ab illa humili Fratrum supplicatione, quam Flentes obire debebant: immunes etiam erant ab operibus laboriosis, jejuniis, vigiliis, cæterisque hujusmodi, ac tantum eorum onus erat audire Scripturarum Lectiones, & publicas conciones, quæ fieri solebant ante sacram Oblationem.

Tertia Pœnitentiæ publicæ Statio *Substratio* seu *Subjectio* dicebatur, de qua D. Gregorius Thaumaturgus in *Epist. Canon.* dicit: = *Subjectio autem, seu prostratio est, ut intra portam Templi stans cum Catechumenis egrediatur.* = Locus hujus stationis erat intra Templi ambitum inter Audientes, cæterosque Fideles positus, qui ad Ambonem usque extendebatur, idest ad locum illum, ex quo Epistolæ, & Evangelium legebantur, & ex Diptychis fidelium tùm vivorum, tùm mortuorum nomina recitabantur, Hymni, Psalmique canebantur, & conciones ad Populum habebantur. Erat autem Ambo altius quoddam in Templo Ædificiolum orbicularis ut plurimùm figuræ, ad quod aliquibus gradibus ascendebatur. Supersunt adhuc Romæ quidam vetustissimi Ambones, unus in Ecclesia S. Clementis ad Amphiteatrum, alter in Ecclesia Sanctorum Martyrum Nerei, & Achillei.

Toto substrationis tempore, quod plurium semper erat annorum, manus Pœnitentibus genuflexis imponebantur, ut colligitur ex Concilio Nicæno I. *can.* XI. cujus hæc sunt verba: = *Tribus annis inter Audientes sint, septem annis subjaceant manibus Sacerdotum*; = & confirmat Concilium Toletanum III. ita decernens: = *Jubemus, ut secundum formam veterum Canonum detur pænitentia, hoc est, ut priùs eum, quem sui pænitet facti, a Communione suspensum, faciat inter alios Pænitentes ad manus impositionem*

tionem

tionem crebrò recurrere. Cum hac manuum impositione conjungebatur oratio, & uterque ritus, tàm manuum impositionis, quàm orationis, post missam Catechumenorum, & ante incruenti sacrificii oblationem peragebatur; oblationis enim tempore Pœnitentes substrati ab Ecclesia exire debebant, ut habetur ex S. Joanne Crysostomo *Homil. 3. in Epistolâ ad Ephesios*, ubi invehitur in fideles, qui cum sacris adessent mysteriis, de iis participare nolebant, dicitque a Catechumenis, & Pœnitentibus non differre, qui Diaconi voce a sacrificio abigebantur. = *In dignum te agnoscis, qui vel per te sumas hostiam, aut per alium sumendam accipias? igitur nec Oratione ipsâ dignus es. Audi adstantem tibi, ac inclamantem Præconem: Quicumque in pænitentia constituti supplicastis, abite; quisquis enim non communicat, in pænitentia esse dignoscitur. Si in numero es Pænitentium, neutiquam ad hostiæ communionem accedere debes. Qui enim non communicat, in Pænitentium albo censetur descriptus. Nam qua gratiâ inclamat, absistite sacris, qui hic non potestis orationes fundere? Et tu interim tantâ cum temeritate perstitisti? cæterum non in iis es, sed inter eos, qui possunt communicare, non tamen magnopere curas, nec magni ducis rem hanc*.

Pœnitentibus in substratione constitutis varia pœnitentiæ salutaris opera obeunda injungebantur, ac accuratè Patres observabant, num imperata exequerentur, ut constat ex omnibus ferè antiquitatis Ecclesiasticæ monumentis, quæ de publicè Pœnitentibus loquuntur.

Quarta statio, qua consummata, Pœnitentes solemni manuum impositione dimittebantur Sacramentorum participatione donandi, *Consistentia* dicta est. Unde autem istud nomen effluxerit, & huic stationi fuerit adscriptum, ex eo colliges, quòd ii, qui in ea erant, simul cum fidelibus in Ecclesia consisterent, neque cum Catechumenis, Audientibus, & Substratis expellerentur. = *Consistentia* (inquit S.Gregorius Thaumaturgus in Epistola sæpius citata) *est cum fidelibus consistat, & cum Catechumenis non egrediatur*. = Locus hujus stationis ab Ambone usque ad Sanctuarium protendebatur, ubi fidelium pariter locus erat.

Iis, qui in istâ statione expiabantur, quamquam datum esset publicis precibus, & Sacrificio interesse cum cæteris fidelibus, non tamen jure oblationis gaudere, seu eorum munera nequaquam ad altare offerebantur, ut constat, *ex Concil. Ancyrano Can.* v. cujus hæc sunt verba: = *Cum duobus annis supplices, substratique fuerint, tertio anno communicent sine oblatione* = & Can. IV. = *Placuit eos inter Audientes uno anno constitui: succumbere verò tribus annis; in oratione tamen communicare biennio, & tunc ad perfectionis gratiam pervenire*.

Varias Pœnitentium classes hactenus expositas, quæ retroactis sæculis in usu fuerunt, recipiunt Morinus *lib. 6. de Administrat. Sacrament. Pœnitent. cap. 1.*, aliique eruditi Scriptores, sed nonnulli cum ipso Morino contendunt, undecimum illùm Canonem Epistolæ S. Gregorii Neocæsariensis, unde eam disciplinam potissimum hausimus, esse addititium; quod profectò admittendum non est, tùm quia Balsamon Antiochenus Patriarcha in re Canonica peritissimus, super ea Epistola editis commentariis, etiam Canonem illum tamquàm ejusdem Sancti Antistitis genuinum fœtum exposuit; tùm quia aliàs tota Epistola D. Gregorio Neocæsariensi esset supposita, cum alii Canones eosdem gradus enumerent. Canon enim octavus, *Auditionis* meminit, *Fletum* insinuat, atque *Substrationem*: = *Eos* (verba sunt Canonis laudati) *qui alienas domos invadere ausi fuerint, si accusati quidem convicti fuerint, nec Auditione dignos existimure; sin autem se ipsos enunciaverint, & reddiderint, in eorum, qui convertuntur, Ordinem substerni*. = Canon IX. *Substrationem*, atque *Consistentiam* commemorat, ibi = *Ii, qui in Campo aliquid invenerunt, vel suis ædibus a Barbaris relictum, si accusati quidem convicti fuerint, & reddiderint, etiam precibus digni habeantur*.

Argumentum verò illud negativum Morini (cæteris omissis, quæ vel ad rem non pertinent, vel nihil evincunt) nempe ante Novatiani hæresim, imò sub illius tempora nullam quatuor pœnitentiæ graduum memoriam apud Patres occurrere, non difficili negotio dispellitur. Quamquam enim verum esset, ante Novatiani hæresim celebres

bres illas pœnitentiæ publicæ ſtationes non fuiſſe in uſu, non inde robur acciperet undecimi illius Canonis in dicta Epiſtola ſuppoſitionis argumentum. D. enim Gregorius Neocæſarienſis ſuam canonicam conſcripſit Epiſtolam novem, & amplius annis poſt conflatum a Novatiano Schiſma; quia Novatianus fuit in Pontificatum intruſus anno CCLI. vel CCLIV.; ea vero Epiſtola canonica fuit exarata anno CCLXII., quo Gothi & Boradi, imperante Gallieno, præter alias Aſiæ, & Græciæ Provincias, per Pontum longe, lateque graſſati ſunt: cujus incurſionis meminerunt Paulus Oroſius *lib. 7. cap. 11.* D. Auguſtinus *Epiſt. 8. ad Heſichium*, Sozomenus *lib. 2. cap. 3.* Plurima ſiquidem cum ex ea debaccharentur flagitia, in Chriſtianæ Religionis perniciem, S. Antiſtes a quodam Coepiſcopo rogatus, Idolatriæ, Mœchiæ, & Furti crimina dictis ſtationibus damnavit: fortaſſis enim in ea Eccleſia, ad cujus Epiſcopum literas dedit, nondum illæ ordine canonico percurrebantur: vel quia Barbarorum incurſionibus peſſundata & abolita erat diſciplina: vel quia ad poſteritatis memoriam id literis commendare ei neceſſarium viſum eſt.

Sed duo hic dubia majoris momenti fortaſſis emergunt. Primum: num in veteri Eccleſia pœnitentia publica mox deſcripta etiam pro occultis criminibus imponeretur? In qua ſpinoſiſſima quæſtione variæ, & inter ſe pugnantes perſtrepunt quorundam eruditiſſimorum virorum ſententiæ: quas omnes ad tres has præcipuas revocari poſſe exiſtimamus.

Arnaldus *lib. de freq. comm. p. 2. cap. 6.* putat, prioribus Eccleſiæ ſæculis omnia peccata lethalia, ſive publica ea eſſent, ſive privata, publica pœnitentia correcta fuiſſe: nec tunc unquam Clavium Sacerdotalium virtute peccatores remiſſionem obtinuiſſe; niſi de iis publicam pœnitentiam cum obſtractione ab Altaris miniſterio peregiſſent. = *Ne itaque dicamus* (*quod Hæreticum eſt*) inquit Arnaldus, *olim non omnia peccata, ſed graviſſima duntaxat ſubjecta fuiſſe Clavium poteſtati; dicendum eſt, prioribus Eccleſiæ ſæculis omnia prorſus peccata lethalia publica pœnitentia fuiſſe purgata.*

Probat primo hoc ſuum aſſertum S. Auguſtini auctoritate, qui in *Epiſt. 108. Homil. 27. & Homil. 50. inter quinquag.* triplicem aſſerit pro triplici peccatorum genere pœnitentiam; unam, quæ Baptiſmum antecedit, qua omnia peccata, ab hominibus, nondum baptiſmali lavacro regeneratis, commiſſa purgantur; alteram, pœnitentiam Juſtorum, qua nempe culpæ veniales curantur, quas infirmitas humana, quandiu in hoc mundo vivitur, omni ex parte vitare non poteſt; ultimam vero auſteriorem, & quidem publicam, adhibitis Eccleſiæ Clavibus peragendam, atque pro iis omnibus peccatis neceſſariam, de quibus Paulus ait = *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt.* = Triplicis illius pœnitentiæ notitiam adeo neceſſariam exiſtimavit Auguſtinus, ut *Homil. 50.* eam populo explanare ſuſcipiens, his verbis utatur = *Tres ſunt actiones pœnitentium, quas mecum veſtra eruditio cognoſcit: ſunt enim uſitatæ in Eccleſia Dei, & diligenter attendentibus notæ.* = Si Auguſtini ætate, inquit Arnaldus, occulta fidelium crimina pœnitentiæ ſecretæ remedio curata fuiſſent, eam pœnitentiæ ſpeciem recenſuiſſet in iis locis, in quibus egit de modo, quo curantur peccata, de quibus ait Apoſtolus = *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt.* = De occultæ autem pœnitentiæ ſpecie nequaquam meminiſſe compertum eſt, ſed de ea tantummodo, quæ palam in Eccleſia coram omnibus fidelibus peragebatur. = *Reſtat ergo* (inquit *Homil. 27. cap. 3.*) *poſt conſtitutam pœnitentiæ in tres illas partes diviſionem, prioreſque expoſitas duas, ſive eam, quæ a Catechumenis agenda eſt, ſive alteram quotidianam, quam juſti pro quotidianis culpis exercent; reſtat ergo pœnitentiæ tertium genus: unde aliquod breviter dicam, ut adjuvante Domino propoſita, & promiſſa perſolvam. Eſt pœnitentia gravior, atque luctuoſior, in qua proprie vocantur in Eccleſia Pœnitentes, remoti etiam a Sacramento Altaris participandi; ne accipiendo indigne judicium ſibi manducent, & bibant.* = Verba illa *in qua proprie Pœnitentes vocantur* de ſola publica pœnitentia poſſunt intelligi. Conſtat ergo, D. Auguſtini ætate curata fuiſſe occulta crimina pœnitentiæ publicæ cenſura.

Idem aſſertum confirmat ex iis, quæ tradit idem S. Doctor *Homil. 50.* ubi ea diviſione pœnitentiæ præmiſſa in antebaptiſmalem

malem quotidianam, & publicam, quam, qui agunt, in Ecclesia proprie pœnitentes vocantur, de hac tertia inquit = *Tertia est actio pœnitentiæ, quæ pro illis peccatis subeunda est, quæ legis Decalogus continet; & de quibus Apostolus ait: Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* = Nullum autem est lethale peccatum, quod vel non contineatur in Decalogi lege, vel a possessione Regni cœlestis non excludat. Nec D. Augustinus discrimen ullum constituit inter publica, & occulta crimina: quamobrem iterum colligit Arnaldus, S. Antistitis laudati ætate cuncta peccata lethalia fuisse pœnitentiæ publicæ legibus obnoxia; imo nedum tempore D. Augustini, sed etiam antea, & postea eandem praxim in Ecclesia viguisse probat testimoniis Tertulliani *in lib. de Pœnitentia*, Cypriani *in lib. de Lapsis*, Paciani Barcinonensis *in Parenesi ad Pœnitentiam*, Sancti Leonis in *Epist.* 91. & 92. & Innocentii I.

Consentit Arnaldo in aliquibus Morinus *lib. 5. de pœnitentia*; sed eidem in pluribus adversatur: contendit enim primo, pro criminum occultorum capitalium confessione secreto facta Sacerdoti, publicam actam fuisse secundum Canones pœnitentiam. Secundo, crimina capitalia, pro quibus duntaxat pœnitentiam publicam imponi solitum erat, tribus prioribus Ecclesiæ sæculis tria tantum fuisse, nempe Idololatriam, Homicidium, & Mœchiam. Tertio, quarto, & duobus sequentibus sæculis pedetentim tribus illis plura alia vitiorum genera addita fuisse, licet non omnia, quæ nunc mortalia vocamus.

Primum sic probat, Antiqui Ecclesiæ Canones, adversus criminum reos conditi, ita publicam pœnitentiam indicunt: *Qui homicidium perpetraverit: qui fornicationem: qui adulterium: qui incestum. In auditione perseveret tot annis: in substratione tot annis: in consistentia tot annis*: ubi animadversione dignum est, ut notavit Albaspinæus Episcopus Aurelianensis in *Can.* 32. *Concil. Carthag.* 3. nullum istorum Canonum inter publicum, & occultum crimen distinguere, puta: *Cujus fornicatio est publica, stabit inter Audientes*; sed absolute: *Qui fornicatus fuerit: qui homicidium perpetraverit.* Distinguunt sæpe Canones homicidium ultro factum a casuali, fornicationem ab adulterio, adulterium naturæ ab humano, incestus varias species: & in unumquodque eorum criminum convenientibus pœnitentiæ actionibus animadvertunt; sed publicam semper satisfactionem injungunt: nonquam tamen reperitur hæc lex: *Si crimen istud est publicum, ita punietur: hoc vero modo, si occultum.* Insuper cum hujusmodi crimina possint secreto perpetrari: nec dicendum videatur, Patres ulcerum tam pestiferorum, nisi publice & in propatulo serperent (quod rarissime & vix contigit) curationem deseruisse; liquido deprehenditur, ea pariter pœnitentiæ publicæ legibus vindicasse.

Secundum evincere nititur Morinus ex Epistola Canonica S. Gregorii Nysseni *ad Letojum* Mitylinensem Episcopum data: in qua docet, quo satisfactionum genere juxta Ecclesiæ disciplinam peccata sint curanda, ac corrigenda, & ea capitalia, eorumque præcipuas species publicæ pœnitentiæ subiicit; de quibusdam vero aliis apertissime docet, pro iis hactenus nullam pœnitentiam publicam a Patribus fuisse statutam: idque potissimum tradit de avaritia = *Divinus*, inquit, *Apostolus eam* (avaritiam) *non solum Idololatriam, sed etiam omnium malorum radicem pronunciavit; & tamen hæc morbi species inconsiderata, & absque ejus cura prætermissa est: quo fit, ut hic morbus in Ecclesia valde redundet, & nemo in iis, qui ad Clerum adducuntur, inquirit, num eo Idololatriæ genere polluti sint; sed de iis quidem, quoniam id a Patribus prætermissum est, sufficere existimo publicæ doctrinæ rationem, quantum fieri potest, curare avaritiæ affectiones, veluti quosdam morbos ex repletione ortos, oratione purgandos.*

Tertium, nempe post tria priora Ecclesiæ sæcula, quarto videlicet, & duobus sequentibus, præter tria illa crimina, alia plura quæcunque gravissima publica pœnitentia punita fuisse, sive publica ea essent, sive occulta; probat idem Morinus ex veterum Patrum testimoniis: & præsertim D. Basilii, qui *Cap.* 30. *Epist. ad Amphiloch.* datæ apte id docet de Raptu Viduarum, & Virginum: ait enim, se huic crimini pœnitentiam Canonicam imposuisse = *De iis qui rapiunt, Canonem quidem ante eum non habemus, sed propriam*

priam sententiam proferimus, ut & ipsi, & qui cum eis rapiunt, tribus annis sint extra orationes. Notat insuper idem Basilius *Can.* 13. Sanctos Patres cædes quasdam in Bellis factas pro cædibus minime reputasse. *Ignoscentes, inquit, iis, qui pro pudicitia, & pietate decertant* = *Rectè autem forte habet consulere* Apostolus, *ut qui sunt manibus non puris solâ trium annorum communione abstineant*. Pœnitentiam iis non consulit, hoc est *Substrationem*, sed ut tribus annis in *Consistentia* cum Fidelibus consistant. Hoc idem tandem confirmatur à Morino tum ex iis, quæ tradit D. Augustinus de peccatorum discrimine, & modo ea curandi *Serm.* 41. inter eos qui de Sanctis inscribuntur, tum ex aliorum veterum testimoniis, quæ apud eundem loco cit. legi poterunt.

Ab Arnaldo & Morino dissentit Petavius *lib. de publica Pœniten. adversus Arnaldum*, cui nonnulli Doctores subscribunt, propugnans non omnia peccata lethalia, sed tantum omnium gravissima, & quæ cum aliorum scandalo perpetrata erant, pœnitentiæ publicæ legibus subjecta fuisse; alia vero clanculum, ac citra scandalum commissa auriculari confessione, ac privata pœnitentia fuisse purgata.

Assertum hoc probat primo Petavius Paciani Barcinonensis testimonio, qui sæculo IV. circa Christi annum CCCL. floruit, & in *lib. de Pœnitentia* in ipso exordio inquit = *Primum igitur de modo peccantium retractemus, sedulo requirentes quæ sint peccata, quæ crimina; ne quis existimet propter innumera delicta, quorum fraudibus nullus immunis est, me omne hominum genus indiscreta pœnitendi lege constringere.* = Deinde explicat, de quibus criminibus Exomologesis, seu publica pœnitentia peragenda sit; & docet tria tantum hæc esse, Idololatriam, Homicidium, & Mæchiam; alia vero peccata sine luctuosâ illa, & austera pœnitentia bonis operibus, & oratione posse curari.

Sed quamquam pro dictis tribus criminum generibus publicæ Pœnitentiæ necessitatem Pacianus tantum admittat, hoc unum probare videtur ejus testimonium, prioribus tribus sæculis, non omnia, sed illa tantum tria crimina Idololatriam, Mæchiam, & Homicidium publica Pœnitentia curata fuisse, minime vero quod illa publica esse debuerint.

Probat secundo idem Assertum ex Homilia S. Augustini, quæ est *de Pœnitentia*, ubi postquam dixit pœnitentiam publicam pro iis peccatis esse subeundam, de quibus Apostolus ait, = *Quoniam qui talia agunt Regnum Dei non possidebunt*; subdit *Judicet ergo seipsum homo in istis voluntate dum potest, & mores convertat in melius, ne cum jam non poterit, etiam præter voluntatem a Domino judicetur; & cum in se protulerit severissimæ medicinæ sententiam, veniat ad Antistites, per quos illi in Ecclesia claves ministrantur, & tamquam bonus incipiens jam esse filius, maternorum membrorum ordine custodito, à Præpositis sacrorum accipiet satisfactionis suæ modum, ut in offerendo sacrificio cordis contribulati devotus, & supplex id tamen agat, quod non solum illi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam cæteris ad exemplum: ut si peccatum ejus non solum in gravi ejus malo, sed etiam in scandalo est aliorum, atque hoc expedire utilitati Ecclesiæ videtur Antistiti, in notitia multorum, vel etiam totius Plebis agere pœnitentiam non recuset, non resistat, non lethalis, & mortiferæ plagæ per pudorem addat tumorem; meminerit tamen, quod superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam. Quid enim infelicius, quid perversius, quam de ipso vulnere quod latere non potest, non erubescere, & de ligatura illius erubescere? Nemo arbitretur fratres, propterea se consilium salutiferæ hujus pœnitentiæ contemnere, quia multos forte advertit, & novit ad Sacra Altaris accedere, quorum talia crimina non ignorat. Multi enim corriguntur, ut Petrus, multi tolerantur, ut Judas, multi nesciuntur, donec veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Nam plerique propterea volunt alios accusare, dum se per illos cupiunt excusare. Plerique autem boni Christiani propterea tacent, & sufferunt aliorum peccata, quæ noverunt, quia documentis sæpe deseruntur, & ea quæ ipsi sciunt, Judicibus ecclesiasticis probare non possunt; quamvis enim quædam sint vera, non tamen Judici facilè credenda sunt, nisi certis indiciis demonstrentur. Nos verò quemquam à communione prohibere non possu-*

possumus, quamvis hæc prohibitio non sit mortalis, sed medicinalis, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo sive Sæculari, sive Ecclesiastico Judicio nominatum, atque convictum; quis enim sibi utrumque audeat assumere, ut cuique ipse sit accusator, & Judex?

Tam longam Augustini sententiam libentèr descripsimus, quia ex ea Doctores, qui huic assertioni patrocinantur, plura colligunt. Primo quidem Augustinum, esto omnia lethalia publicæ Pœnitentiæ subjicienda esse dicere videatur, nihilominus de iis peccatis loqui, quæ publice, & cum proximi scandalo commissa sunt, ut allata verba ostendunt. Secundo ex illis eisdem Augustini verbis constare, olim in usu fuisse apud Christianos accusare eos apud Episcopum, quos noverant gravibus peccatis esse obstrictos; & quia sponte confessis longè mitiores satisfactiones imponerentur, quam accusatis, & convictis; hinc inferunt, nonnullos graviorum criminum reos, cum timerent, ne ab aliis accusarentur, sponte sua peccata Episcopo detexisse, quæ cum paucissimis nota essent, pro occultis haberi poterant. Nec inficiantur, plures etiam extitisse, qui non alia causa sua peccata Episcopo detegebant, quam pietatis intuitu, & ut pœnitentiæ medicinam ab eo reciperent, sed hos paucissimos fuisse putant, & qui pietate, ac devotione cæteros præstarent.

Probat tertio, eo quod, qui publicæ pœnitentiæ subjecti erant, ij ab Ecclesia, & a Corporis Christi participatione excludebantur, & qui semel publica pœnitentia functi erant, illi iidem, si iterum peccata commisissent publicæ pœnitentiæ purgatione digna, non amplius ad eam admittebantur; quapropter si pro omnibus peccatis lethalibus viguisset consuetudo injungendi pœnitentiam publicam, cum paucissimi sint, qui in tanta puritate vitam traducant, ut nullius peccati lethalis cœno coinquinentur, ingens fuisset in Templis solitudo; & paucissimi Sacris Synaxibus adfuissent; quod de florentissima illorum sæculorum Ecclesia dicere ac cogitare, absurdum esse nemo non dixerit. Præterea, qui pœnitentiæ publicæ laboribus perfuncti fuissent, ad Ecclesiasticos Ordines minimè poterant promoveri, & Clerici ob crimina, quæ hujusmodi remedio in Laicis curabantur, depositionis pœnam subire compellebantur, nec eis datum erat, amplius postea Sacros Ordines exercere. Porro si omnia peccata lethalia publicæ Pœnitentiæ lege purgata fuissent, pauci profecto fuissent, qui ad Sacros Ordines promoveri, atque in iisdem diù ministrare potuissent. Quæ cum a veritate omnino aliena videantur, colligit Petavius, non pro quibuslibet peccatis lethalibus, sed pro gravioribus dumtaxat, & quæ cum publico scandalo perpetrassent Fideles, eos ad subeundam publicam pœnitentiam fuisse obstrictos.

Hæc sunt ad Petavii aliorumque Doctorum sententiæ præsidium fundamenta, quæ quidem expensa justo rationis libramine, quamquam eam non reddant omnino certam, Arnaldi tamen, ac Morini dicendi modis in hac re antecellere judicamus.

Ad majorem hujus opinionis asserendam probabilitatem ducimur ex eo, quod Mulieres, quæ Adulterium secreto perpetraverant, ea pœnitendi lege non fuerint obstrictæ, ne in violatæ fidei conjugalis suspicionem adductæ vitæ periculum subire cogerentur = *Adulterio pollutas Mulieres* (decernit D. Basilius in *Epist. Canon. ad Amphilochium* data *Can.* 34.) *Et confitentes ob pietatem, vel quomodocumque convictas publicare quidem Patres nostri prohibuerunt, ne convictis mortis causam præbeamus; eas tamen stare sine communione jusserunt, donec impleatur tempus pœnitentiæ* = *Qui enim* (subdit Balsamon Basilii Canonem laudatum exponens) *videret extra divinos Ecclesiæ ambitus stantes, vel etiam cum Catechumenis exeuntes, primo aspectu omnino intelligeret propter Adulterii crimen eam illis esse pœnam injunctam, & fieret punitio causa mortis.* = Et quamquam *Consistentia* inter pœnitentiæ publicæ stationes recenseretur, nequaquam tamen pœnitentiæ publicæ naturam induebat, nisi respectu eorum, qui alias cæteros hujusmodi gradus *Fletum* nempe, *Auditionem*, atque *Substrationem* percurrerant. Addimus, antiquos Canones inter occulta, & publica crimina satisfactionibus eluenda non raro distinguere: Concilium Neocæsariense anno CCCXX. celebratum pœnitentiæ publicæ obnoxios non esse decernit eos, qui fornicandi propositum habuissent, si criminis cogitationem, & consilium ad opus non perduxissent = *Si*

quis

quis Mulierem concupiscens (verba sunt Concilii laudati) *proposuerit eum ea dormire, & ejus desiderium non pervenit ad effectum, manifestum est, quod per gratiam fuerit liberatus*. Ubi iis verbis = *Per gratiam fuerit liberatus*, = declaratur exemptio, non quidem a culpa, vel a quacumque satisfactione Deo exhibenda ab eo, qui mœchatus est in corde suo, sed a pœnitentiæ publicæ censura, ad quam firmandam Canones illos conditos fuisse comperimus. Prohibet Concilium Vasense I. anno CCCCXLII. celebratum, ne Episcopus crimen debitis probationibus destitutum pœnitentiæ legibus obliget = *Si Episcopus* (ita statuit *Can.* 8.) *Se tantum alieni sceleris conscium novit, quandiu probare non potest, nihil proferat; sed cum ipso ad compunctionem ejus secretis correctionibus elaboret, illo quandiu probare nihil potest, in communione omnium permanente.* = Idem evincit pœnitentiæ publicæ institutum; = *Cujuscumque Pœnitentis publicum, & vulgatissimum crimen est*, inquit Concilium Carthaginense III., *quod universa Ecclesia noverit, ante Absidam ei manus imponatur*. = Eundem loquendi modum adhibent quidam ex Patribus = *Ergo corripienda sunt coram omnibus* (ait D. Augustinus *Serm.* 82. alias 16.) *quæ peccantur coram omnibus, ipsa vero corripienda sunt secretiùs, quæ peccantur secretius.* = Adstipulatur D. Augustino Eligius *Homil.* 16. in fine, ita exhortans Christifideles = *Vos propterea Fratres mei alloquimur, quos publica actio criminalis publicam cogit agere pœnitentiam*.

Nec mirum est, plurimos Canones pœnitentiales, quos in suæ sententiæ patrocinium objecit Morinus, inter publica & secreta crimina satisfactionibus eluenda non distinguere, quia cum essent breves agendorum regulæ, non poterant omnes exceptiones, ac potissimum pro occultis criminibus corrigendis disciplinam continere, sed juxtà communem usum, aliasque leges ab Ecclesia sancitas intelligebantur.

Quod si Patres quandoque occultorum criminum reos sub lege pœnitentiæ publicæ comprehendere videantur, eisdemque suadere, ut ante Ecclesiæ conspectum ad subeundam Canonum pœnitentialium censuram se proderent, Petavii sententia nequaquam concutitur; id enim potius eo dirigebatur, ut excitarentur Christifideles ad illud, quod licèt ex Ecclesiæ statuto non erat peragendum, ad satisfaciendum Deo reputabatur acceptius, atque efficacius. Eo vel maxime, quod quidam occulti peccatores sponte ex Sacerdotum consilio, vel ex ferventiori cordis devotione, ut notavit Petavius, libentissime pœnitentiæ publicæ rigorem suscipiebant, de quibus loquitur S. Cæsarius Arelatensis *Homil.* I. inter 14. à Balutio editas = *Ille*, inquit, *qui pœnitentiam publicè accepit, poterat eam secretius agere, sed credo considerans multitudinem peccatorum suorum videt se contra tam gravia peccata solum non posse sufficere, ideo adjutorium totius populi cupit expetere.* = Quod idem ex D. Ambrosio *lib.* I. *de Pœnit. cap.* 16. & *lib.* 2. *cap.* 10. colligit Cabassutius in *Can.* XI. & XII. *Concil. Nicæn.* idque demum ex Concilio Toletano IV. inferri potest; in quo *Canon.* 52. statuitur = *per publicam pœnitentiam, in qua nulla fuerit publica delicti confessio, neminem ab Ordinibus Ecclesiasticis excludi*.

Secundum quod emergit dubium est; quamdiù superiùs descripta de pœnitentium classibus viguerit disciplina? Ad quod breviter respondemus, eam illibatam in Ecclesia Orientali permansisse usque ad finem sæculi IV., quo tempore abolitione Presbyteri Pœnitentiarii à Nectario facta, antiquæ pœnitentiæ rigorem non parum fuisse remissum agnovimus: & quamquam ad veterum Canonum normam, etiam post Nectarii tempora pœnitentia imponeretur, plerumque tamen secreto tantummodo peragebatur, quæ olim palam, & coram omnibus fieri consueverat. Longius autem illa Disciplina in Occidentali Ecclesia servata est, pristinumque rigorem retinuit ad finem usque sæculi VII., quo paulatim relaxari cæpit. Huic autem apud Latinos innovationi occasionem præbuit Theodorus Episcopus Cantuariensis. Is Græcus fuit Monachus, Tharsi in Cilicia natus, quem cum Vitalianus Papa anno DCLXVIII. ordinasset Archiepiscopum Cantuariensem, altero ab ordinationis suæ anno eam in insulam pervenit; Ibique, teste Beda *in lib.* 4. *Histor. Anglorum*, obiit anno DCXC. Hoc temporis spatio, quod ab anno DCLXX. ad annum DCXC. effluxit, Pœnitentialem edidit librum, in quo Græcorum disciplinam imitatus, peccata

cata publica ita ab occultis distinxit, ut quamquam hæc privata, illa vero publica pœnitentia statuerit curanda, antiquas tamen Stationes, nec non solemnitatem in ea infligenda adhiberi consuetam penitus abrogaverit, firmis relictis iisdem Canonibus quantum ad satisfactionum tempus, & non absimilem omnino rigorem: qui mos apud cæteras Occidentales Ecclesias octavo, nono, & sequentibus Sæculis usque ad duodecimum invaluit.

Cæterum, cum ab ea Canonum censura in pœnitentiis salutaribus infligendis in Gallia quidam Presbyteri declinarent, Concilium Cabilonense anno DCCCVIII. celebratum statuit, pœnitentialium Canonum rigorem retinendum rejectis quibusdam Pœnitentialibus libris ad animarum perniciem conscriptis. = *Modus pœnitentiæ*, inquit, *peccata sua confitentibus, aut per antiquorum Canonum institutionem, aut per Sacrarum Scripturarum authoritatem, aut per Ecclesiasticam consuetudinem imponi debet, repudiatis, ac penitus eliminatis libellis, quos Pœnitentiale: vocant, quorum sunt certi errores, incerti Authores, de quibus certo dici potest; mortificabant animas, quæ moriuntur, & vivificabant animas, quæ non vivebant: qui dum pro peccatis gravioribus leves quosdam, & inusitatos imponunt pænitentiæ modos, consuunt pulvillos sub omni cubito manus*. = His consentanea sunt tradita per Isacium Lingonensem Episcopum eorum Canonum collectionem se adornasse testantem (quos Gallorum Antistites cum Sancto Bonifacio Archiepiscopo condiderant, sub annum DCCXLII. à Zaccharia Summo Pontifice confirmatos) ubi ipse Canones ad Pœnitentes spectantes ita claudit = *Qualis vero peccatis adhibenda sit medicina, secundum Canonum authoritatem, & Sanctorum Patrum esse debet institutionem, & non secundum placitum hominum, sed secundum Dei voluntatem; nec in hac parte voluntas, aut gratia hominum sectanda est, sed voluntas Dei in omnibus requirenda; quatenus dignis precibus, & pænitudine digna placare possit Omnipotentis Dei vindictam, quam suo vitio provocavit*. = Ad hujus hactenus disciplinæ descriptæ complementum, notat Burchardus Vormatiensis Episcopus *libro* 10. *cap.* 281. (qui teste Bellarmino de Scriptoribus Ecclesiasticis floruit circa annum MXXVI.) Hoc Statutum conditum a Concilio Moguntino celebrato anno MXXIII. = *Discretio servanda est inter Pænitentes publice, & absconse. Nam qui publice peccat, oportet mulctetur*, = & *cap.* 90. = *Omnibus his actis ventilata est ratio pænitentiæ, ut Sacerdotes certius intelligerent, quomodo confessiones excipere, & pænitentiam secundum Canonicam Institutionem Pænitentibus deberent indicare*. = Hinc ex *Canon.* 6. Concilii Romani celebrati sub Gregorio VII. anno MLXXIV. deprehenditur, falsas fuisse existimatas pœnitentias, quæ à Sanctorum Patrum regulis deflecterent = *Falsas pænitentias dicimus, quæ non secundum authoritatem Sanctorum Patrum pro qualitate criminum imponuntur*.

Singula autem hujusmodi pœnitentiarum genera recensere magnum esset & longum; quia non eadem omnino satisfaciendi lege ubique, vel quovis tempore, pro uno crimine in specie Pœnitentes reperimus obstrictos; usitatiores tamen erant pœnitentiæ septem annorum cum quadragena, trium annorum, & quadragena. De prima fit mentio in *Cap. Accepisti de Sponsa duorum* = *Accepisti illam Uxorem, quam alter sibi desponsatam habuerat, dimitte illam, quia nunquam potest fieri legitima: & quadraginta dies in pane, & aqua (quod carenam vo[illegible]) cum septem sequentibus annis pæniteas*. = Et *Cap. Compulsus* 22. *quæst.* 5. = *Qui compulsus à Domino sciens perjurat, utique sunt perjuri & Dominus, & Miles. Dominus quia præcepit, miles quia plus Dominum, quàm animam dilexit. Si liber est, quadraginta dies in pane & aqua pæniteat, & septem sequentes annos: Si Servus ejusdem, tres quadragenas, & legitimas ferias*. = Prima trium quadragesimarum, de quibus hic occurrit mentio, ante Festum Dominicæ Nativitatis observabatur: Secunda ante Pascha Resurrectionis Domini: Tertia ante Festum S. Joannis Baptistæ. De secundo Pœnitentiæ genere habetur Sermo in *Cap. De illis* 11. *quæst.* 3. = *De illis Presbyteris, qui tempore Sanctissimi Prædecessoris nostri Nicolai excommunicati Sacrum Mysterium contingere præsumpserunt, ipsi in se damnationis (sicut Sacri Canones statuerunt) sententiam intu-*

tutulerunt: tamen quia miseratio Apostolica veniam solet præstare correctis ob multitudinem misericordiæ, illis hanc Indulgentiam exhibemus, ut Sancta Communione saginati, studeant tribus continuis annis per hebdomadam omni secunda, & quarta, & sexta feria a vino, & carne penitus jejunare, & ultra lugenda nequaquam committere. = De tertio fit mentio in Pœnitentiali Theodori = *In tabulis, vel codicibus forte futura non sunt requirenda; aut nullus in Psalterio, vel Evangelio, vel in aliis rebus sortiri præsumat; nec divinationes aliquas in aliquibus rebus observare; quod si fecerit, quadraginta dies pœniteat.* = Quæ pœnitentia vocabatur pariter *Carena*, quorundam eiborum carentiam significans, illamque Concius sic dictam putavit, quasi *Caninam*, eo quod ad eam explendam obligati feriis legitimis quadragenæ, pane dumtaxat, & aqua vescerentur. Filesacus *De Quadragesima Cap.4.* = *Carenæ* nomen arbitratur esse vocem corruptam, a Quadragesima derivatam, indeque formatas fuisse voces Populo balbutiente: *Carantena*, *Carena*, & *Canina*; & ita in aliis Pœnitentialis Romani locis accipitur; ut *Can.17.&19.* Concilii Selegustad. apud Ivonem *par.xv.* Decreti. Quum vero per memoratos Canones, aliosque ejusdem argumenti agitur de pœnitentia, uno vel pluribus annis implenda, hoc ita observabatur. Primo anno jejunium in pane dumtaxat & aquâ cunctis feriis legitimis, nempe IV., VI. & Sabbato cujuslibet hebdomadæ exercebatur; reliquis verò diebus quamquam Pœnitentes jejunare deberent (exceptis diebus Dominicis, Festis Nativitatis, Epiphaniæ Domini, ac tota Paschatis octava) poterant tamen herbis, leguminibus, parvisque piscibus vesci, atque cervisiam bibere. Secundo, trium quadragesimarum feriis legitimis oportebat jejunare, ut de primo anno dictum est, & aliis feriis sextis; verumtamen cæteris diebus, pœnitentibus minimè vetitum erat ab herbis, leguminibus, ac pisciculis abstinere; annis autem sequentibus tres tantùm Quadragesimæ methodo mox descripta observabantur à Pœnitentibus. Ità Covarruvias *lib.4.var.cap.20.n.18. Soto dist.19. quæst.2. art.5., & alii relati à Cenedo collect.9. ad Decretales n.4.*

Cogebantur quandoque prædictis pœnitentiis salutaribus obnoxii patriam suam relinquere, & in terram alienam vagari, donec definitum sibi satisfactionis tempus implerent. Ita in Pœnitentiali Bedæ *Cap. 8.* plectitur Clericus ob homicidium ex odio perpetratum. = *Si Clericus* (verba sunt dicti capitis) *homicidium fecerit, & proximum suum occiderit, decem annis pœniteat; exul septem annis pœniteat, si odii meditatio fuit.* = Idem indicit Pœnitentiale Romanum ejusdem criminis reis = *Qui voluntariè Patrem suum, aut Matrem, vel Filium, aut Filiam de Sancto Lavacro, seu Fratrem, sive Sororem in Christo, aut Dominum suum, vel Dominam suam occiderit, quinque annis extra metas ipsius terræ exul fiat; tunc demum quinque annis pœniteat.* Hunc tamen pœnitendi modum non probavit Rabanus Maurus, qui claruit circa annum DCCCXLVII. eo siquidem in terram alienam peregrinandi abusus devenerat, ut non tam pœnitentiæ oneribus satisfieret, quam gulæ, cæterorumque vitiorum famularetur illecebris; satius igitur existimavit, Criminosos in propriis locis sistentes implere onera, quæ eis fuerant injuncta, quam in alias Regiones peregrinari = *Parricidium* (ait in suo Pœnitentiali *Cap. 2.*) *quam sit detestabile crimen in dicto facto inter Cain, & Abel Fratrem suum Dominus ipse ostendit, cum ad Cain Parricidam ait: Maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem Fratris tui de manu tua. Fructus ejus vagus, & profugus eris super terram, in quo etiam posuit signum: hoc est, ut tremens, & gemens profugus semper viveret, nec auderet jam uspiam sedes habere quietas. Sed quia in modernis temporibus Parricidæ profugi discurrunt per diversa loca, & variis vitiis, & gulæ illecebris deserviunt, melius mihi videtur, ut in uno loco manentes pœnitentiâ distincta se ipsos castigent, si forte a Domini bonitate Indulgentiam facinoris sui percipere mereantur.*

Ut verò citra propriæ salutis periculum vigiliis aliisque corporis macerationibus commodius publici pœnitentes vacarent, eis etiam non raro injungebatur vitæ Sæcularis abdicatio, ac in Monasterium secessio. Hoc satisfactionis genere in Pœnitentiali Romano animadvertitur Conjurator in Regem, seu Principem = *Anathema sit, nisi per*

per dignam pœnitentiæ satisfactionem emendaverit, sicut constitutum est à Sancta Synodo: idest sæculum relinquat, arma deponat, & in Monasterium eat, ut pœniteat omnibus diebus vitæ suæ = Præclarum hujusmodi satisfactionis exemplum exhibuit Otho III. Imperator, qui ob cædem Crescentii Senatoris, suadente D. Romualdo Abbate, Roma ad Garganum montem profectus, integræ Quadragesimæ dies in Monasterio reclusus in cilicio, psalmodia, & jejunio transegit, ut narrat D. Petrus Damiani in vita Sancti Romualdi prælaudati, descripta prius simili pœnitentia injuncta Tannio Cæsarei exercitus Duci ob idem crimen = *Ipse autem Rex* (nempe Otho III. inquit S. Petrus Damiani laudatus) *de eodem crimine Beato Viro confessus, pœnitentiæ causa nudis pedibus de Romana Urbe progrediens, usque ad Garganum montem S. Michaelis perrexit Ecclesiam. Per totam etiam Quadragesimam in Classensi Monasterio Beati Apollinaris paucis sibi adhærentibus mansit, ubi jejunio, & psalmodiæ, prout valebat, intentus, cilicio ad carnem indutus, aurata desuper purpura tegebatur. Lecto etiam fulgentibus palliis strato, ipse in storeâ de papiriis confecta, tenera delicati corporis membra terebat.*

Mitius tamen, quam mox observatum est, se gessit Ecclesia in curandis culpis lethalibus minus gravibus, adeo ut, ea in foro Sacramentali vindicare, nulla habita ratione ad Canones pœnitentiales, Sacerdotum arbitrio relinqueretur; ut etiam Superioribus Ecclesiæ Sæculis in usu fuisse testatur Morinus *lib. 5. cap. 1. & 2. & cap. 31.* his verbis = *Peccata mortalia minus gravia eodem modo curabat Ecclesia, quo nunc universa fere mortalia curare solet; illorum enim peccatorum curatio Sacerdotis erat arbitrio commissa, nec a Canonibus in specie præcepta.* = Quod pariter de venialibus dicendum est, cum nusquam in antiquis Canonibus pœnitentialibus reperiatur opposita disciplina.

Monitum tamen hic velim Lectorem, Ecclesiæ morem supra descriptum in vindicandis gravioribus excessibus, ineunte Sæculo XII., sensim sine sensu defecisse, adeo ut quamquam Episcopi totis viribus eundem servari, ac retineri curarent, pauci essent, qui ea onera subire non detrectarent. Porro ut perspicue declaretur, nunquam fuisse Ecclesiæ mentem pœnitentiæ publicæ censuram penitus abolere, ad eam collapsam instaurandam, sequens edidere decretum Tridentini Patres *Sess. 24. de Reformat. cap. 8.* = *Apostolus monet publice peccantes palàm esse corripiendos; quando igitur ab aliquo publice, & in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos commotosque fuisse non sit dubitandum, huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publice injungi oportet, ut quos exemplo suo ad malos mores provocavit, suæ emendationis testimonio ad rectam revocet vitam* = Fecerunt tamen facultatem Episcopis, illam in secretam commutandi, ubi expedire judicarent; ideoque ibi subdunt. = *Episcopus tamen publicæ hoc pœnitentiæ genus in aliud secretum poterit commutare, quando ita magis judicaverit expedire.*

Quærunt hic Pontificii juris Interpretes, num modo possit, ac debeat injungi pœnitentia publica in Confessione Sacramentali iis, qui notoriis criminibus conscientiam, famamque suam inquinarunt: & plerique affirmant, arbitrantes, antiquos Canones pœnitentiales, quantum ad hoc attinet, fuisse innovatos mox relato Concilii Tridentini Decreto, sublata quacumque consuetudine contraria. Nos vero observandum ducimus cum Fagnano in Cap. *Manifesta de Pœnit. & Remissionib.* quod, cum Sacra Congregatio Concilii id ventilandum sibi proposuisset, aut propositum ventilasset = *An ex Decreto Tridentini Cap. 8. Sess. 24. Pœnitentiarii Episcoporum possint, ac debeant publice peccantibus publicas pœnitentias injungere?* = plerique ex Patribus sub die 22. Martii MDCXIV. visi fuerunt sentire; de jure communi hæsitandum non esse, quin possint, ac debeant Sacerdotes, & maxime Pœnitentiarii Episcoporum publice peccantibus publicas pœnitentias imponere; valde tamen fuerunt ancipites, num id Concilii decreto caveretur dicto capite octavo; ideòque satius existimarunt à quacumque declaratione abstinere, ut Confessariorum, & Pœnitentium quieti magis consulerent.

Sub idem fere tempus, quo diximus pœnitentiæ publicæ usum defecisse, abrogatum

tum etiam novimus morem injungendi pœnitentias privatas ad Canonum Pœnitentialium normam in foro Sacramentali, ita ut post Sæculum XI. apud Doctores, atque Pœnitentiarios fuerit receptum, satisfactiones pro occultis excessibus gravioribus esse omnino arbitrarias. In Pœnitentiali Roberti de Flammesburg circa annum MCLXXX. exarato, habetur: = *In pœnitentiis injungendis considero circumstantias confitentis, ætatem, conversationem; & secundum quod ego video, sic punio. Si Canonicam non vult recipere pœnitentiam, idest à Canonibus institutam; diligenter admoneo, ne animam suam ullo modo lædat, & promptissimum me offero ad quamtamlibet pœnitentiæ alleviationem.* = Visa fuit D. Raymundo de Pennafort, qui ineunte Sæculo XIII. floruit, hæc disciplina consuetudine jam comprobata; tametsi quidam Doctores Canonum rigorem acerrimè propugnarent. = *Non debet* (inquit in *Summa*) *Sacerdos à prædicta forma Canonum recedere, nisi propter causam, & in hoc consistit ejus arbitrium, scilicet pro qua, vel pro quibus circumstantiis, & quantum, & quando possit augeri, vel minui pœnitentia Canonica. Et hæc est opinio quorundam. Alii verò dicunt indistinctè omnes pœnitentias esse arbitrarias, & hanc ultimam opinionem videtur amplecti consuetudo.*

Ne tamen in pœnitentialibus oneribus injungendis, ob disciplinam tunc noviter invectam nimium relaxationi indulgerent Sacerdotes, hanc observandam proposuit Regulam Innocentius III. (qui universalis Ecclesiæ regimen obtinuit anno MCXCVIII.) tali nempe moderamine injungendam pœnitentiam librari debere, ut criminum gravitati, Pœnitentium dispositioni, aliisque inspectis circumstantiis congrue responderet. Ita refertur in *Cap. Deus de pœnit. & remissionib.* = *Cæterum cum pœnitentia non tam secundum quantitatem excessus, quam pœnitentis contritionem per discreti Sacerdotis arbitrium sit moderanda, animadversa personarum qualitate, super Fornicatione, Adulterio, Homicidio, Perjurio, & aliis criminibus, & præsertim novitate Livonensis Ecclesiæ competentem pœnitentiam delinquentibus imponatis, prout saluti eorum videbitur expedire.* = Idem commendavit Pontifex prælaudatus *in Cap. Omnis utriusque sexus* titulo cit. exponens quomodò discrete debeat suum munus obire Sacerdos in Sacramentali judicio = *Sacerdos*, inquit, *sit discretus, & cautus, ut more periti Medici superinfundat vinum, & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens & peccatoris circumstantias, & peccati, ex quibus prudenter intelligat, quale ei debeat præbere consilium, & cujusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad salvandum Ægrotum.* = Eandem disciplinam laudavit Tridentinum, servandamque proposuit cunctis Confessariis *Sess.* 14. *cap.* 8. his verbis = *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares, & convenientes satisfactiones injungere, ne levissima quædam opera injungendò, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem.*

Hic tamen observandum est, quod licet modo Confessarii non teneantur veterum pœnitentialium Canonum rigorem amplecti, eos tamen Canones oportet præ oculis habere, ut discernere valeant criminum gravitatem, eisque congruas satisfactiones injungere = *In irroganda autem satisfactionis pœnâ* (monet Catechismus Romanus *p.*2. *cap.*5. *n.*79.) *Sacerdotes, nihil suo arbitratu statuendum esse, sed omnia, justitia, prudentiâ, & pietate dirigenda existimabunt; atque ut hac regulâ metiri videantur, & pœnitentes suorum scelerum gravitatem agnoscant, operæ pretium erit eis interdum significare, quæ pœnæ quibusdam delictis ex veterum Canonum præscripto, qui pœnitentiales vocantur, constitutæ sunt.* Idem pluribus in locis commendat D. Carolus Borrhomæus Ecclesiæ Mediolanensis Archiepiscopus, & potissimum in *Præfatione Canon. act. Eccles. Mediolanens. tom.* 1. *parte* 4. his verbis = *Patres docuerunt, quam necessaria admodum sint Sacerdotibus, qui in audiendis pœnitentium Confessionibus versantur, Canonum pœnitentialium scientia; etenim si omnia,*

nia, quæ ad pœnitendi modum pertinent, non prudentia solum ac pietate, sed justitia etiam metienda sunt, certe norma hæc a Canonibus pœnitentialibus sumatur, oportet; sunt namque ii quasi regulæ quædam, quibus, tum ad culpæ commissæ gravitatem recte dignoscendam, tum ad imponendam pro illius ratione veram pœnitentiam, Sacerdotes Confessarii ita diriguntur, ut ubi singula, & quæ ad peccati magnitudinem, & quæ ad pœnitentis statum, conditionem, ætatem, intimumque cordis contriti dolorem pertinent, accurate perpendantur; tum demum pœnitentiam judicio, & prudentia sua moderentur.

Nemo tamen Confessarios audeat redarguere, qui non raro, satisfactiones gravioribus criminibus occultis minime proportionatas injungunt, quia ut docet D. Thomas in *Supplemen. 3. par. quæst. 18. art. 3. in 2. argumen. Sed contra = Potestas Clavium est potestas rationalis, cum habeat discretionem.* = Ad hanc autem attinet pœnitentium dispositionem expendere, ut eorum salus, non vero deterior infirmitas sequatur; quamobrem ubi fortassis laboriosam Pœnitentes enormibus criminibus maculati subire detrectarent, rationi maxime consentaneum erit, si Confessarii ad mitiorem amplectendam eosdem inducant, ac alicui pœnæ in Purgatorio luendæ obnoxios relinquant; ne si totam, quæ culparum inspecta qualitate justa esset, nitantur imponere, satisfactionis acerbitate gravatos in desperationis periculum adducant. Quod perspicue tradit S. Doctor laudatus *quæst. cit. art. 4. in corp.* = *Pœnæ*, inquit, *Satisfactoriæ infligendæ medicinæ sunt; sicut medicinæ in arte determinatæ non omnibus competunt, sed variandæ sunt secundum arbitrium Medici, non propriam voluntatem sequentis, ita pœnæ satisfactoriæ in Canone determinatæ non competunt omnibus, sed variandæ sunt secundum arbitrium Sacerdotis Divino instinctu regulatum. Sicut ergo Medicus aliquando prudenter non dat medicinam ita efficacem, quæ ad morbi curationem sufficiat; ne propter debilitatem naturæ majus periculum oriatur, ita Sacerdos divino instinctu motus, non semper totam pœnam, quæ uni peccato debetur, injungit, ne infirmus aliquis ex magnitudine pœnæ desperet, & à pœnitentia totaliter recedat.*

Quod autem hactenus de multiformis Ecclesiasticæ disciplinæ ratione in decernendis peccatorum pœnitentiis: quodque de mitiori subsequentium sæculorum praxi innuimus, nemini profecto mirum videatur; tunc enim temporis, seu ad sæculi XI. finem inceptæ sunt sacræ Expeditiones de quibus agemus infra §. 4. contra Saracenos, & Hæreticos, adjecta cunctis eas suscipientibus pœnitentiarum canonicarum relaxatione: ideoque plurimi ex Fidelibus pœnitentialium Canonum obligationibus mancipati, Summis Pontificibus suadentibus, spe tam largæ relaxationis illecti sacras amplectebantur Expeditiones. Quod sine intellectu percipere arduum non est, inspecta humanæ conditionis indole, quæ potius militiam cum incommodis, vitæque discrimine suscipit, quam pœnitentiam duriusculam jejuniorum, aliarumque corporis macerationum: Imo haud dubium est, eò magis in desuetudinem pœnitentias canonicas abiisse, quod eo spirituali munere donati sint ii, quorum ætas, conditio, vel valetudo pondere militari impar esset; dummodo eo mitterent militem propriis sumptibus alendum. Quis enim hujusmodi sumptus ferre non maluisset, quam multorum annorum satisfactionem subire?

§. III.

Ecclesiæ Disciplina in dandis Indulgentiis a tempore Apostolorum usque ad annum Christi DCC.

Pœnitentiæ salutaris remedium tum ad depravatos hominum mores coercendos, tum ad culparum vindictam institutum, si juxta exactissimum justitiæ rigorem adhibendum necessario, & semper foret, plurimos fortasse Fideles propter duritiem, atque acerbitatem ejus ab omni prorsus pœnitentia suscipienda absterreret; ideoque provide non sine superni dispensatione consilii factum est, ut relicta in terris a Christo Ecclesiæ Sponsæ suæ Clavium potestate pœnitentiæ austeritas Indulgentiarum subsidio leniretur. Quamquam autem non unam eandemque Ecclesia in earum concef-

concessionibus servaverit disciplinam, nunc parcius nunc laxius remittendo; eundem tamen spiritum perpetuo retinuit, consulendi scilicet Fidelium utilitati communique necessitati, sicut rerum atque temporum vicissitudo postularet. Exemplum ab Ecclesiæ nascentis exordio præbuit Apostolus Paulus, qui Corinthium quendam, ob Mæchiæ crimen, quale nec inter Gentes auditum fuerat, a cæterorum Christifidelium consortio ejectum, salutaribusque satisfactionibus correctum ad Ecclesiæ communionem recipiendum decrevit, condonato pœnitentiali onere, quod ei supererat persolvendum, ne tædio vitæ affectus desperationis mærore tabesceret. = *Sufficit illi* inquit in *Epist. 2. ad Corinth. cap. 2. qui ejusmodi est, objurgatio hæc quæ fit a pluribus, ita ut e contrario magis donetis & consolemini, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur, qui hujusmodi est; propter quod obsecro vos confirmetis in illum charitatem.... Cui autem aliquid donastis, & ego: nam & ego, quod donavi siquid donavi, propter vos in persona Christi, ut non circumveniamur a Satana; non enim ignoramus cogitationes ejus* = Porro hanc remissionem fuisse factam media potestate Clavium innuitur ibi = *Nam & ego quod donavi propter vos in persona Christi* = Et declaratur a D. Ambrosio in *lib. de Pœnitentia*, qui hoc textu utitur, ad evincendum contra Novatianos, dari in Ecclesia potestatem remittendi peccata = *Quid ergo isti Novatiani*, inquit, *possunt consortium tecum habere, qui Claves Regni Cœlorum suscipiunt, negantes improbe posse peccata donari, cum Petro dictum sit: Tibi dabo Claves Regni Cœlorum, & quæcumque ligaveris super terram, erunt ligata & in Cœlis; cum & ipse vas electionis dicat: si cui autem quid donastis, & ego quod donavi propter vos in persona Christi. Cum igitur Paulum legerint, sic eum tam impie arbitrantur errasse, ut jus sibi vindicaverit Domini sui; sed vindicavit acceptum, non usurpavit indebitum.*

Neque audiendus est Joannes Capetius Canonicus Insulensis *in tract. de Indulg. cap. 1.*, de absolutione dumtaxat ab excommunicatione authoritatem Apostoli laudatam intelligens. = *Verumtamen contextus Apostoli*, ait, *plane convincit, ut absolutionem a vinculo excommunicationis potius intelligamus, quam Indulgentiam; nam certum est, Apostolum, Corinthium absolvere a vinculo, quo erat ligatus; erat autem ligatus vinculo excommunicationis. An vero hic Incæstuosus fuerit etiam absolutus ab omni pœna pro peccatis dimissis Deo debita, pro certo non habeo* = Quamquam enim Corinthius ille in peccati vindictam Fidelium communione fuisset privatus, ac proinde in excommunicationem incidisset, qua tunc temporis ad pœnitentiam publicam damnati percellebantur, tamen de eo Patres locuti non sunt, quasi Excommunicationis censura a cæteris Ecclesiæ membris fuisset præcisus, sed tamquam de reo, qui ad jejunia aliasque corporis macerationes fuisset damnatus = *Quamquam enim* [inquit D. Chrysostomus *Homil. 4. in cap. 2. Epist. 2. ad Corinth.*] *confessus erat facti pœnitens*, nempe Corinthius Fornicarius, *tamen ostendit, quod non perinde ex pœnitentia, atque ex condonatione consequatur remissionem; eoque dicit: ut condonetis, & consolemini. Idem vero declarat id quod sequitur, non enim, quod dignus sit, neque quod sufficientem exhibuerit pœnitentiam, sed quod infirmus, ideo, inquit, dignor illum venia; unde & adjecit: ne abundantiori tristitia absorbeatur. Qui sermo declarat illius vehementem pœnitentiam, quem Paulus non sit passus in desperationem venire* = Hinc colligit S. Antistes, quomodo pœnitentia debeat regulari = *Qua ex re docemur, quod non solum ad peccatorum naturam, verum etiam ad mentem habitumque peccantium oportet moderari pœnitentiam*. Theophilactus pariter eundem Apostoli locum explicans, inquit = *Pulchre autem dixit donare; ut enim ille non existimet sibi remissam noxam, quia satis confessus sit, & sufficienter pœnitentia ductus, attendit quod non tantum ex pœnitentia sua, quantum ex illorum gratia & donatione dimissionem recipiat.* A D. Chrysostomo, & Theophilacto non dissentit S. Anselmus; exponens enim Apostoli textum laudatum, ita loquitur in ejus persona = *Moneo vos Clementes in eum fieri, sed vos in cordibus vestris condonastis ei, quoniam vidistis eum asperam*

ram egisse pœnitentiam: & cui vos aliquid donastis, & ego illi condonavi; & vere hoc feci, sicut & vos. Nam & ego, quod illi donavi, idest condonavi, si quid el donavi, hoc feci propter vos, quos super eum pie commotos agnovi = Idem tradit D. Ambrosius loco superius citato *de Pœnitentia* addens eam pœnitentiæ remissionem Incæstuoso Corinthio liberaliter factam locum habuisse coram Deo. Quamobrem clarissime constat, nihil in ea D. Pauli condonatione facta Corinthio, ad veram indulgentiæ tationem desiderari = *Manifestum est* [inquit Sanctus Archiepiscopus] *quia quod jubet fieri, ipse facit, nec potest hoc abnuere, quod etiam obsecrans, ut fiat, scribit, cum haberet potestatem jubendi ..... neque enim tanta in eis erat, quanta in Apostolo providentia, ut statim intelligerent, faciendum esse, quod dicebat Apostolus in causa hujus dumtaxat, ideo obsecrat, ut dimittant illi, significans, Deum illi ignovisse, quia nihil sine spiritu Dei agebat Apostolus: Nam & ego si quid donavi propter vos, in persona Christi. Hoc dicto gravat illos, quia si Magister petentibus discipulis donavit cui voluerunt peccatum, quanto magis obedire debent Discipuli Magistro: & ut ratum ei cui donavit, ostenderet apud Deum, ait: in persona Christi, cujus legatione fungebatur, ut factum Apostoli, factum sit Christi, sicut dixit: Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in Cælo. Si ergo huic, pro quo petierunt, per Apostolum Christus ignovit, quanto magis huic jam ignotum erat, cui ut donent, ipse etiam hortatur?*

Aliud Indulgentiarum exemplum elucet in eo, quod ab Evangelista Joanne, qui omnium fere Asiæ Ecclesiarum prima penitus fundamenta jecit, & illis etiam sanctissimas disciplinæ regulas tradidit observandas, actum est cum Prædone quodam adolescente omni flagitiorum genere fœdato. Ille enim Joannis Evangelistæ imperio [ut refert Eusebius *lib. 3. Histor. Ecclesiast. cap. 17.*] a quodam Antistite per multum temporis pie in Catholicæ Religionis Palestra educatus, atque baptismali charactere tandem insignitus, cum non tantum ætate quam malitia crevisset, abjecto Divinæ legis jugo Dux Prædonum evaserat. Certior autem factus S. Joannes adolescentem sceleribus omnibus maculatum in profundum exitium malorum omnium proruisse, confestim locum adiit, ubi Prædo cum sociis iniquitatum insederat, eumdemque fugientem insecutus ad publicam pœnitentiam revocavit, qua nondum expleta Ecclesiasticæ communioni restituit = *Oculis primum humi defixus constitit* Prædo, *deinde arma abjecit: tum horrore perfusus graviter & acerbe lamentatus est, senem ad se adventantem complexus, fletu & mœrore, quoad poterat, pro culpa satisfecit: & dextera sola occultata, lacrymarum unda secundo baptizatur. Apostolus rata & constanti asseveratione, ei se a Servatore veniam precibus suis impetraturum pollicetur: atque ad genua accedens, ipsam manum dexteram, tamquam aqua pœnitentiæ ablutam purgatamque osculatus, illum ad Ecclesiam reducit. Crebris item precibus Deum pro illo invocat, continuis jejuniis una cum eo se macerat, variis Divinæ Sapientiæ sententiis ejus animam, quasi quibusdam lenociniis mitigat, tranquillatque; nec prius, ut fertur, inde decessit, quam illum Ecclesiæ restituisset* = Certum est autem, post brevem pœnitentiam juvenem illum remissionem peccatorum, seu Indulgentiam, atque Fidelium communionem obtinuisse; testante Clemente Alexandrino, Joannem Evangelistam non prius ab Episcopo discessisse, quem Ephesο profectus inviserat, quam illum Ecclesiæ communioni restituisset.

Frequentiora, elapso jam primo sæculo, habemus indulgentiarum monumenta; quandoquidem plurimi, qui ex Christifidelium cætu a Catholicæ fidei confessione ferventibus Gentilium Imperatorum persecutionibus desciverant, subjecti publicæ pœnitentiæ jugo, damnatos pro Christo Martyres ad metalla, vel in Carceribus detrusos adibant, Libellos ad Episcopos deferendos humiliter petituri, ut inde pacem obtinerent; quorum votis annuere non dubitabant Episcopi, ut Confessores illos pro Christi fide, vel vinculis mancipatos, vel alio supplicii genere vexatos ad Martyrii consummationem allicerent. Hic tamen observa,

ferva, quod etsi Confessoris nomen cuicumque nunc temporis post laudabilia virtutum exercitia pie obeunti congruenter aptetur; olim tamen illis dumtaxat peculiare fuit, qui nullo pœnarum genere perterriti publicum Christianæ fidei testimonium dedissent. Luculenter ac erudite id ostendit Eminentissimus Lambertinus, nunc Universalis Ecclesiæ Pontifex, in suo aureo opere *de Servorum Dei Beatif. & Beator. Canonizatione lib.p. cap.2. n.6.* = *Confessoris nomen*, inquit, *hodie adscribitur illis, qui Sancta & Laudabili vita vixerunt, & Sancto demum fine in pace quieverunt; unde Egbertus Episcopus Eboracensis in Excerpt. cap.28. ait: Sancti Patres, quos Confessores nuncupavimus, idest Episcopi, Presbyteri, qui in castitate servierunt Domino; & Odo Cluniacensis in Præfat. ad vitam S. Geraldi, addit: Cum igitur Confessor a confitendo vocetur, Geraldus tanto rectius Confessor dici potest, quanto justioribus factis Deum est confessus. Non sic autem olim res se habebat; cum enim S. Hieronymus titulo Confessoris insignivisset S. Isidorum Episcopum Nitriensem in Ægypto, idque fuerit animadversum a Cardinali Baronio, ipse subdit in Notis ad Martyrolog. Roman. ad diem 2. Januarii: Ne quid lateat, sciendum est diversa admodum significatione, a præsentis temporis usu, hanc vocem a Majoribus usurpatam; illi enim neminem illo nomine appellabant, nisi eum, qui Christi fidem interpellatus, coram fidei hostibus confessus est: quo circa Confessores olim dicebantur illi, qui Christum palam, & coram Tyrannis, seu fidei hostibus confessi, quolibet tormentorum, vel pœnæ genere affecti, superstites tranquillam mortem obibant, juxta illud S. Cypriani, de simplicitate Prælatorum: Confessio exordium gloriæ est, non meritum Coronæ, non perficit laudem sed initiat dignitatem; & paulo inferius: Post Confessionem majus periculum est, quia plus adversarius provocatus est; & juxta illud Lactantii de mortibus Persecutorum Homil. 10. Novies enim tormentis cruciatibusque variis subjectus, novies adversarium gloriosa Confessione vicisti. Atque hinc factum est, quod in sacra Antiquitate, aliquando Confessoris nomen veris Martyribus communicatum est, teste Petro Galesino in Notis ad suum Martyrologium 17. Kal. Februarii, ubi inquit: Certum & exploratum est olim nomen Martyris, & Confessoris promiscuum fuisse, præsertim apud multos. Adhæret Franciscus Amatus Pouget in suis Catholicis Institutionibus tom.1. pag.913. Olim Confessores Christi dicebantur ii solum, qui cum testimonium perhibuissent veritati, cum carceris, exilii, rei familiaris, suppliciorum, ipsiusque vitæ periculo, non tamen morti traditi fuerant; Confessores autem dicebantur propter gloriosam & publicam nominis Christi Confessionem. Martyres quoque appellabantur, propter exhibitum veritati testimonium: Et exempla collecta legi possunt in defensione librorum Liturgicorum Ecclesiæ Romanæ editorum a Venerabili Dei Servo Cardinali Josepho Maria Thomasio, quæ fuit in Urbe exarata a Viro pio & docto; & Typis Panormitanis impressa anno 1723., uti videri potest in cap.5. §. 3. num. 22. & pluribus sequentibus* = Porro ea pax a Lapsis ardenter expetita, & ab Episcopis medio Confessorum suffragio liberaliter indulta, aliud non erat, quam relaxatio satisfactionis a Pœnitentibus exhibendæ, nec non ad Ecclesiæ communionem, ante expletum pœnitentiæ tempus admissio. De ea ita meminit Tertullianus *lib. ad Martyres cap. 2.* = *Quam pacem quidam in Ecclesia non habentes a Martyribus in Carcere exorare consueverunt, & ideo eam propterea in vobis habere & fovere, & custodire debetis, ut si forte, & aliis præstare possitis* = Hæc ille, quamquam postea factus Montanista Ecclesiæ Catholicæ vitio verterit, quod in loco prælaudato commendaverat, ut dicemus inferius §. 6.

Hanc disciplinam approbavit S. Dionysius Alexandrinus, qui ab anno CCXLVIII. ad finem usque anni CCLXV. illius Urbis Episcopatum gessit, in sua Epistola, qua Alexandrinorum Martyrium describit, apud Eusebium *lib. 8. Hist. Eccles. cap. 40.*, ubi ait: = *Cæterum hi Divini Martyres, qui nunc assessores sunt Christi, & Regni illius consortes, dum hic apud nos essent, quosdam, e fratribus Lapsos, &* Ido-

Idolis sacrificasse convictos susceperunt, conversionem illorum & pœnitentiam cernentes, cum judicassent eos placere posse illi, qui peccatoris pœnitentiam mavult, quam mortem, eos admiserunt & collegerunt, atque in cœtum suum receperunt, & in orationibus & cibo communicarunt.

Nec S. Dionysii, aut Tertulliani ætate hujusmodi Indulgentias datas tantum reperies, sed etiam antiquiori tempore, ut colligitur ex Epistola Cleri Lugdunensis, aut potius S. Irenei Martyris, qui floruit sub finem II. sæculi, imperante Commodo, recitata ab Eusebio *lib. 5. Eccles. Histor. cap. 1.*, in qua hæc habentur de Martyribus Lugdunensibus: = *Tunc vero* hi Martyres *omnium defensionem suscipiebant, neminem accusabant, cunctos absolvebant, neminem ligabant. Hoc enim maximum certamen illis fuit adversus Diabolum ob sinceram ac minime fucatam charitatem, & quos ille malignus serpens vivos se jam devorasse crediderat, elisis faucibus removere cogeretur. Neque enim fastu & arrogantia intumuerunt adversus Lapsos, sed ea, quibus abundabant bona, indigentibus liberaliter ministrabant, materna quædam misericordiæ viscera gestantes, magnamque vim lacrymarum pro illorum salute coram Deo Patre fundentes. Vitam petierunt, & largitus est eis Deus, quam illi Proximis suis communicarunt, ubique victores ad Deum profecti; cumque pacem dilexissent, pacem nobis commendassent, ipsi cum pace migraverunt ad Dominum, non dolorem Matri, non Fratribus dissidium ac bellum, sed gaudium & pacem, & concordiam charitatemque omnibus relinquentes.*

Alienum a veritate non arbitramur Episcopos voluisse, ad Confessorum opem implorandam Lapsos dirigere, ut ab illis primo veniam peterent, in quos inverecundius deliquerunt; dum summa animi constantia, illis fidei Catholicæ dogmata confitentibus, isti ultimi supplicii timore perterriti debitum Religioni præstare obsequium improbe detrectassent. Et sane non erat levis pœna, turpi negatione maculatos, eorum vultus inspicere Confessionis gloria decoratos; qua via Confessorum dignitati, ac spirituali Lapsorum utilitati consulebatur.

Ne quid tamen inordinatum in Lapsis venia donandis obreperet, Presbyterorum, ac Diaconorum munus erat, carceres adire, ibique Sanctos Confessores invisere, ac de consueta debitaque forma eos instruere in ponderandis petentium desideriis, in meritis singulorum criminibusque discernendis; ideoque ad horum observantiam retinendam, ita Martyres hortabatur D. Cyprianus, qui pluries a Gentilibus quæsitus, & ad Leones in circo & Amphiteatro expositus, a Deo jussus secesserat, in Epistola XI. editionis Pamelii & Balutii ad Martyres & Confessores data = *Sollicitudo*, inquit, *loci nostri & timor Domini compellit fortissimi ac beatissimi Martyres admonere vos literis nostris, ut a quibus tam devote & fortiter fides servatur Domino, ab iisdem lex quoque & disciplina Domini reservetur; nam cum omnes milites Christi custodire oporteat præcepta Imperatoris sui, tum vos magis præceptis ejus obtemperare plus convenit, qui exemplum cæteris facti estis & virtutis & timoris Dei. Et credideram quidem Presbyteros & Diaconos, qui illic præsentes sunt monere vos & instruere plenissime circa Evangelii legem, sicut in præteritum semper sub Antecessoribus nostris factum est, ut Diaconi ad carcerem commeantes, Martyrum desideria consiliis suis & scripturarum præceptis gubernarent .... Oro vos, quibus possum precibus, ut Evangelii memores, & considerantes quæ & qualia in præteritum Antecessores vestri Martyres concesserint, quam solliciti in omnibus fuerint, vos quoque solliciti & caute petentium desideria ponderetis, utpote amici Domini, & cum illo postmodum judicaturi, inspiciatis & actum & opera, & merita singulorum, ipsorum quoque delictorum genera & qualitates cogitetis, ne si quid abrupte & indigne vel a vobis promissum, vel a vobis factum fuerit, apud Gentiles quoque ipsos Ecclesia nostra erubescere incipiat.*

Libelli ad Episcopos dirigendi ita debebant efformari, ut nihil in confuso & generaliter, sed potius singulorum nomina eorum,

eorum, qui venia donandi erant exprimerentur = *Sed & illud* (pergit S. Cyprianus Martyres alloquens in *Epist.* laudata.) *ad diligentiam vestram redigere, & emendare debetis, ut nominatim designetis eos, quibus pacem dari desideratis. Audio enim quibusdam sic Libellos fieri, ut dicatur: communicet ille cum suis; quod nunquam a Martyribus factum est, ut incerta petitio invidiam nobis postmodum cumulet. Late enim patet, quando dicitur: communicet ille cum suis, & possunt nobis viceni & triceni, & amplius offerri, qui Propinqui, & Affines & Liberti, ac Domestici esse asseverentur ejus, qui accipit libellum* =. In quo plurimum excessisse Lucianum quamquam a Cypriano monitum, testatur idem Sanctus Antistes in *Epist.23. ad Cler. Rom.* qui post gloriosum S. Fabiani in Deciana persecutione Martyrium, Sede Pontificia vacante biennii spatio, Christiani Gregis toto terrarum Orbe diffusi curam susceperat; eique Cyprianus rationem reddit eorum omnium, quæ in secessu suo egerat, & disciplinæ & diligentiæ = *Postquam ad eos*, inquit, (Lucianum videlicet, & alios Martyres cum ipso) *literas misi, ut quasi moderatius aliquid & temperatius fieret, universorum Confessorum nomine Lucianus Epistolam scripsit, qua pene omne vinculum fidei, & timor Dei, & mandatum Domini, & Evangelii sanctitas & firmitas solveretur. Scripsit enim omnium nomine, universis eos pacem dedisse, & hanc formam per me aliis Episcopis innotescere velle; cujus Epistolæ exemplum, ad vos transmisimus. Additum est plane, de quibus ratio constiterit, quid post commissum egerint. Quæ res majorem nobis conflat invidiam, ut nos, cum singulorum causas audire & excutere cœperimus, videamur multis negare, quod se nunc omnes jactant a Martyribus & Confessoribus accepisse.*

Alium insuper in dandis hujusmodi Libellis notavit excessum S. Cyprianus; Lapsi enim pacem atque reconciliationem, citra ullius satisfactionis implendæ obligationem extorquentes, Libellis Martyrum muniti eam sibi dari quantocyus postulabant, ea ducti ratione, quod si aliter fieret, maxima Ecclesiasticæ disciplinæ perturbatio oriretur. Cum enim Idololatræ, Mœchi, & Homicidæ pœnitentiæ stadi um percurrere deberent, solerentque antea Martyres quibusdam personis determinatis, quas majorem injunctæ pœnitentiæ partem implevisse cognoverant, Libellos pacis, si Episcopis ita visum esset, concedere, iidem Lapsi S. Antistitis ætate nedum in Provincialibus Ecclesiis, quin in Primatiali Carthaginensi tumultus excitabant, & præpostere nulla penitentia ac satisfactione perfuncti sibi pacem, seu Indulgentiam temerario ausu dari ac deberi contendebant: quam nisi obtinerent, Martyres despici, eisque injuriam irrogari effutiebant; unde prosequitur Sanctus Episcopus in Epistola laudata = *Denique hujus seditionis origo jam cœpit. Nam in Provincia nostra per aliquot Civitates in Præpositos impetus multitudinum factus est, & pacem, quam semel cunctis, a Martyribus & Confessoribus datam clamitabant, confestim sibi repræsentari coegerunt, territis & subactis Præpositis suis, qui ad resistendum minus virtute animi & robore fidei prævalebant. Apud nos etiam quidam turbolenti, qui vix a nobis in præteritum regebantur, & in nostram præsentiam differebantur, per hanc Epistolam, velut quibusdam facibus accensi, plus exardescere, & pacem sibi datam extorquere cœperunt* = Hunc modum dandi veniam a Lapsis expetitum atque intentatum, reprobavit Clerus Romanus in *Epist. ad D. Cyprian.* data, quæ est inter Cyprianicas XXXI. ostendens quantum saluti hujusmodi remissiones & animarum saluti & Ecclesiasticæ censuræ nocerent = *Quid enim magis* (sunt verba Epistolæ prælaudatæ) *aut in pace tam aptum, aut in bello persecutionis tam necessarium, quam debitam severitatem Divini vigoris tenere: quam qui remiserit, instabili rerum cursu erret, semper necesse est, & huc atque illuc variis & incertis negotiorum tempestatibus dissipetur, & quasi exorto de manibus consiliorum gubernaculo, navim Ecclesiasticæ salutis illidat in scopulos, ut appareat non aliter saluti Ecclesiasticæ consuli posse, nisi si qui & contra ipsum faciunt.... Absit ab Ecclesia Romana vigorem suum tam profana facilitate dimittere, & nervos severitatis eversa fidei majestate dissolvere; & cum adhuc non tantum ja-*

jaceant, sed cadant eversorum Fratrum ruinæ, properata minus remedia communicationum, utique non profutura præstentur, & nova per misericordiam falsam, vulnera veteribus transgressionis vulneribus imprimantur, ut miseris ad eversionem majorem eripiatur & pœnitentia. Ubi enim poterit Indulgentiæ medicina procedere, si etiam ipse Medicus intercepta pœnitentia indulget periculis? tantummodo operit vulnus, nec finit necessaria temporis remedia obducere cicatricem. Hoc non est curare, sed, si dicere verum volumus, occidere.

Non omnibus tamen Lapsis horum tumultuum excitatio imputabatur; plurimi enim, pace eo irregulari modo concessa nequaquam contenti, illam sibi dandam a S.Cypriano enixe postulaverant, pœnitentiæ oneribus vacaturi, dum Sancti Antistitis reditum expectarent. = *Scripserunt autem mihi* (ait Sanctus Antistes *in Epist.* XXVII. *ad Lapsos*) *nuper quidam de Lapsis humiles ac mites, & trementes & metuentes Deum, & qui in Ecclesia semper gloriose & granditer operati sunt, & opus suum Domino imputaverunt, scientes illum dixisse: Et cum omnia feceritis, servi supervacanei sumus; quod debuimus facere fecimus; Quæ illi cogitantes & quamvis libello a Martyribus accepto, ut tamen a Domino satisfactio sua admitti possit, orantes scripserunt mihi, se delictum suum cognoscere, & pœnitentiam veram agere, nec ad pacem temere, aut importune properare, sed expectare præsentiam nostram, dicentes; pacem quoque ipsam, si eam nobis præsentibus acceperint, dulciorem sibi futuram.*

Nec Lapsorum duntaxat improbos conatus, ac Martyrum nimiam facilitatem in dandis Libellis improbavit S. Cyprianus, sed etiam quorundam Presbyterorum temeritatem; tum quia solemnis illius pœnitentiæ relaxatione, propria authoritate Lapsos donassent; cum vel ab Episcopis, vel eorum jussu id fieri debuisset: tum quia veteris disciplinæ penitus immemores, nulla prævia satisfactione ac pœnitentia, eis criminum veniam impendissent = *Audio tamen* (inquit *in Epist.* XII. *ad Plebem de rescript. Martyr.*) *quosdam de Presbyteris, nec Evangelii memores, nec quod ad nos Martyres scripserint cogitantes, nec Episcopo honorem Sacerdotii sui & Cathedræ reservantes, jam cum Lapsis communicare cœpisse, & offerre pro illis, & Eucharistiam dare, quando oporteat ad hæc per ordinem pervenire. Nam cum in minoribus delictis, quæ non in Dominum committuntur, pœnitentia agatur justo tempore, & ex omologesis fiat inspecta vita ejus, qui agit pœnitentiam, nec ad communicationem venire quis possit, nisi prius illi ab Episcopo, & Clero manus fuerit imposita; quanto magis in his gravissimis delictis caute omnia & moderate secundum disciplinam Domini observare oportet.* Hinc S. Cyprianus *in Epist.* x. *ad Cler. suum*, Presbyteris illis factiosis & ignavis, suspensionem a Divinis aliasque pœnas minatus est, si inposterum Lapsis non præmissa satisfactione, se inconsulto indulgerent = *Interim temerarii*, inquit, *& incauti & tumidi quidam inter vos, qui hominem non cogitant, vel Deum timeant; scientes quoniam si ultra in iisdem perseveraverint, utar ea administratione, qua me uti Dominus jubet, & interim prohibeantur offerre, acturi & apud nos, & apud Confessores ipsos, & apud plebem universam, causam suam, cum Domino permittente in sinum Matris Ecclesiæ recolligi cœperimus.*

Ad compescendos Lapsorum tumultus in Africa potissimum excitatos, atque ad Ecclesiasticæ disciplinæ rigorem discreta, ac salubri concessione Indulgantiarum retinendum, Clerus Romanus, instante S.Cypriano, decreto provisorio sancivit: Lapsos Martyrum libellis munitos, in supremo vitæ discrimine constitutos Indulgentiæ recipere largitatem, donec reddita post persecutionem pace, ac Pontifice electo, in unum Episcopi convenirent, eorumque rationes communi consilio disponerent. = *Ante Constitutionem Episcopi nihil innovandum putavimus* (sunt verba Cleri Romani scribentis in supralaudata Epistola ad S. Cyprianum) *sed Lapsorum curam mediocriter temperandam esse, credimus; ut interim dum Episcopus dari a Deo nobis sustinetur, in suspenso, eorum, qui moras possunt dilationis sustinere, causa teneatur; Eorum autem, quorum vitæ suæ finem urgens exitus dila-*

dilationem non potest ferre, acta pœnitentia, & professa frequenter suorum detestatione factorum, si lacrymis, si gemitibus, si fletibus dolentis ac vere pœnitentis animi signa prodiderint, cum spes vivendi secundum hominem nulla subsisterit, ita demum caute & sollicite subveniri, Deo ipso sciente, quid de talibus faciat, & qualiter judicii sui examinet pondera, nobis tamen anxie curantibus, ut nec pronam nostram improbi homines laudent facilitatem, nec vere Pœnitentes accusent nostram quasi duram crudelitatem = Quod subinde ob Decii Imperatoris obitum eliminata persecutione, peremptorio decreto statutum in Africa ab Episcopis in Synodo congregatis, tradit S. Cyprianus *in Epist.* LII. in ordine Antonianum data, gesta inter Cornelium & Novatianum referens, ne ille, qui receptis literis a Novatiano in ejus partes propendere videbatur, a Cornelii communione recederet = *Secundum quod tamen antea fuerat destinatum*, inquit, *persecutione sopita, cum data esset facultas in unum conveniendi, copiosus Episcoporum numerus, quos integros & incolumes fides sua & Domini tutela protexit, in unum convenimus, & scripturis diu ex utraque parte prolatis, temperamentum salubri moderatione libravimus, ut nec in totum spes communicationis & pacis Lapsis denegaretur, ne plus desperatione deficerent, & eo quod sibi Ecclesia clauderetur, secuti sæculum gentiliter viverent, nec tamen rursus censura Evangelica solveretur, ut ad communicationem temere, prosilirent; sed traheretur diu pœnitentia, & rogaretur clementer paterna clementia, & examinarentur causæ & & voluntates, & necessitates singulorum, secundum quod libello continetur; quem ad te pervenisse confido, ubi singula placitorum capita conscripta sunt* = Id insuper Romæ a D. Cornelio, ad D. Petri Cathedram regendam assumpto secundum Annales Cardinalis Baronii anno CCLIV. juxta vero alios scriptores anno CCLI. confirmatum est, coacto Romæ Concilio, ut testatur S. Cyprianus in *Epistola* mox citata ad Antonianum = *Ac si minus sufficiens*, inquit, *Episcoporum in Africa numerus videbatur, etiam Romam super hac re scripsimus ad Cornelium Collegam nostrum, qui & ipse cum plurimis Coepiscopis habito Concilio, in eandem nobiscum sententiam pari gravitate & salubri moderatione consensit. De quo tibi necesse fuit scribere, ut scias, me nihil leviter egisse, sed secundum quod literis meis fueram ante complexus, omnia ad commune Concilii nostri Consilium distulisse, & neminem quidem ex Lapsis prius communicasse, quando adhuc erat, unde non tantum Indulgentiam sed & coronam Lapsus acciperet.*

Hinc habes decretum inter Novatianam impietatem, ac quorundam Presbyterorum temeritatem, medium ab Apostolica Sede firmatum esse; cum enim Novatiani Lapsis in Idololatriæ crimen, etiam legitima pœnitentia functis, veniam largiri recusarent, atque ab Ecclesia eam dandi potestatem adimerent; e contra Presbyteri quidam incauti indiscriminatim Lapsos nulla pœnitentiæ actione purgatos ad reconciliationem admitterent; Ecclesia Romana, quæ inter extrema recto tramite, incedere consuevit, contra primum extremum decrevit: iis, qui Idolis sacrificassent, Indulgentiam minime esse perpetuo denegandam; contra, secundum vero nempe Presbyterorum quorundam temeritatem, diuturnam a Lapsis peragendam esse pœnitentiam voluit, ante quam Indulgentiæ munus reciperent.

Non eundem rigorem Ecclesia Romana & Carthaginensis adhiberi erga Libellaticos voluerunt; ii quippe, reddita Ecclesiæ tranquillitate, non fuerunt ad diuturnum pœnitentiæ stadium percurrendum coacti prævie ad Indulgentiam & reconciliationem; = *& ideo* [inquit S. Cyprianus in eadem *Epist.*] *placuit Frater carissime examinatis causis singulorum, Libellaticos interim admitti* = Illi autem Libellatici dicebantur, qui persecutione adversus Christianos sæviente, ne Idolis sacrificium offerre compellerentur, pecuniam Magistratibus numeraverant, vitæ periculum, atque infamiam redempturi; ideoque Libellos pro se suisque hac arte a Magistratibus obtinuerant, quibus indicabatur, eos Imperatorum vel Tyrannorum legibus paruisse, Idolisque sacrificasse; ut his veluti securitatis præsidiis muniti sese a Satellitum furore ac audacia subducerent.

rent. Ratio hujus majoris humanitatis ea potissimum erat, quia Libellatici ut in plurimum, citra Sacrificii detestabilis oblationem fidem Christi dumtaxat profiteri palam erubuerant, ubi Catholicæ fidei periculum imminebat; imo quamquam aliqui eorum cruciatuum timore perculsi thura Diis obtulissent, gravius tamen Lapsorum facinus censebatur, qui aperta fronte fidei Catholicæ confessionem abiecerant. = *Nec tu existimes* (pergit D. Cyprianus ubi supra) *sicut quibusdam videtur, Libellaticos cum Sacrificatis æquari oportere; quando inter ipsos etiam qui sacrificarunt, & conditio frequentior & causa diversa sit. Neque enim æquandi sunt illi, qui ad sacrificium nefandum statim voluntate prosilivit; & qui reluctatus & congressus diu ad hoc funestum opus necessitate pervenit: ille qui & se & omnes suos prodidit, & qui ipse pro cunctis ad discrimen accedens Uxorem & Liberos, & domum totam periculi sui perfunctione protexit. Ille qui inquilinos, vel amicos suos ad facinus compulit & qui Inquilinis, & Colonis pepercit; fratres etiam plurimos, qui extorres & profugi recedebant, in sua tecta & hospitio recepit, ostendens & offerens Domino multas viventes & incolumes animas, quæ pro una saucia deprecentur. Cum ergo inter ipsos, qui sacrificarint, multa sit diversitas, quæ inclementia est & quam acerba duritia Libellaticos, qui sacrificaverint jungere? quando is, cui libellus acceptus est, dicat: Ego prius legeram, & Episcopo tractante cognoveram, non sacrificandum Idolis, nec simulacra Servum Dei adorare debere; & idcirco, ne hoc facerem, quod non licebat, cum occasio libelli fuisset oblata, (quem nec ipsum acciperem, nisi ostensa fuisset occasio) ad Magistratum vel veni, vel alio eunte mandavi, Christianum me esse; sacrificare mihi non licere, ad aras Diaboli me venire non posse, dare me ob hoc præmium, ne, quod non licet, faciam.*

Sed ut ad Martyrum Libellos, unde divertimus, revertamur, illud hic potissimum animadvertendum est, eorum Libellorum executionem locum non habuisse, ante quam Martyres, qui Libellos Lapsis tradiderant, glorioso agone pro Christo occubuissent; unde S. Cyprianus in *Epist.* x. *ad Clerum* suum data, quorundam factum sugillat, qui Lapsos intempestiva reconciliatione donassent = *Contempta*, ait, *Domini lege & observatione, quam Martyres & Confessores tenendam mandant, ante extinctum persecutionis metum, ante reditum nostrum, ante ipsum pœnæ Martyrum excessum, communicent cum Lapsis & offerant, & Eucharistiam tradant*. Hanc praxim confirmans Celerinus Confessor, pro Candida & Numeria Matronis Pœnitentibus ob lapsum in Idololatriam, ad Lucianum Carthagine pro Christo vinculis mancipatum, ita scripsit; ut habetur ex ejus Epistola inter Cyprianicas xxi. = *Rogo & peto per Dominum Jesum Christum, ut Collegis tuis referas, ut quicumque prior vestrum coronatus fuerit, istis Sororibus nostris tale peccatum remittat* = Rursus perspectam habens Paulus Confessor hanc Ecclesiæ disciplinam, quæ minime hujusmodi literas sinebat expleri ante Martyrii consummationem, noluit eas Pœnitentibus præbere, sed post suum agonem dandas Luciano commendavit; ut colligitur ex Luciani Epistola inter Cyprianicas xxii. = *Cum benedictus Martyr Paulus in corpore esset, vocavit me, & dixit mihi: Luciane coram Christo dico tibi, ut si quis, post accersitionem meam abs te pacem petierit, des in nomine meo* = Ex quo colliges Catholicam doctrinam de dispensandis Indulgentiis ex Ecclesiæ thesauro, etiam ex superabundantibus Sanctorum satisfactionibus cumulato, iis esse consentaneam, quæ superioribus sæculis Patres servaverunt, & tradiderunt; quandoquidem putarunt, nemini pacem, seu Pœnitentiæ canonicæ remissionem esse conferendam, nisi Sanctorum satisfactionibus persolutis. Lucianus tamen, qui in Pauli, & Aurelii Confessorum nomine veniam pœnitentibus elargiri præsumpserat, S. Cypriani censuram promeruit; quamquam id ejus adscriberetur imperitiæ = *Lucianus*, [inquit, Sanctus Antistes in *Epist.* xxiii. *ad Cler. Rom.*] *circa intellectum Dominicæ lectionis, ut dixi, minus peritus, & circa invidiam verecundiæ nostræ relinquendam facilitate sua molestus est. Nam cum Dominus dixerit: in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti gentes tingi, & in baptis-*

tissimo preterita peccata dimitti, hic præcepti & legis ignarus, mandat pacem dari, & peccata dimitti in Pauli nomine; & hoc sibi, dicit, ab illo esse mandatum, sicut in literis ejusdem Luciani ad Clerum animadvertitis. Quibus minime consideravit, quod non Martyres Evangelium faciant, sed per Evangelium Martyres fiant = Ea enim postulatio erat maxime suspecta piarumque aurium offensiva, cum possent Martyres veniam pro Lapsis petere, non tamen proprio nomine, vel authoritate conferre. Non dissimilem temeritatem damnavit Apostolus **1.** *ad Corinth. cap.* **1.** his verbis = *Numquid in nomine Pauli baptizati estis?*

Morem reconciliandi Lapsos ante expletam poenitentiam Martyrum precibus ac Libellis inductum usque ad Constantini Magni tempora perdurasse, colliges ex fragmento historiæ passionis Sanctorum Dativi, Saturnini, Felicis, Ampelii & aliorum, qui sub Anulino Africæ Proconsule, grassante Diocletiani persecutione, gloriosam Martyrii palmam promeruere, a quodam hæretico Donastista conscriptæ, quæ extat apud Gabrielem Albaspinæum, ubi his verbis traducitur Mensurius Archiepiscopus Carthaginensis = *Qui combustorum veniam librorum a Martyribus poscere, ac implorare debuerat; ut delicta sua majoribus flagitiis cumularet, eo animo sæviebat in Martyres, quo divinas tradiderat leges* = Anulinus, de quo meminimus, notissimus est in Sanctorum Optati & Augustini scriptis, cui Constantinus Magnus plures dedit literas.

Cæterum non ob Martyrum preces tantum, sed etiam ob alias caufas Lapsis, vel aliis flagitiis oneratis reperies factas ætate D. Cypriani Indulgentias. Trophimo Episcopo, ejusque plebi Idololatriæ labe inquinatis, ac subinde ad publicæ satisfactionis onera ferenda toto vitæ spatio obstrictis, id quod poenitentiæ supererat, condonavit S. Cornelius Papa. Hujus generalis remissionis causa potissima fuit, quod fere omnis populus poenitentiæ se jugo subjecisset, atque maternam Ecclesiæ pietatem crebris gemitibus imploraret. Hæc mirifice illustrat D. Cyprianus in *Epist.* supralaudata ad Antonianum, ab omni prorsus vitio Romanum Pontificem purgans quod ita se gessisset, cum falsò a Novatianis fuisset evulgatum, temere & sine causa Trophimum cum sua plebe gratiam reconciliationis plenæque remissionis obtinuisse. = *De Trophimo, de quo tibi scribi desiderasti* (ait Sanctus Antistes) *non ita res est, ut ad te pertulit rumor, & mendacium malignorum. Nam sicut Antecessores nostri sæpe fecerunt, colligendis Fratribus nostris carissimis, Frater noster Cornelius necessitati succubuit: & quoniam cum Trophimo pars maxima plebis abscesserat, redeunte nunc ad Ecclesiam Trophimo, & satisfaciente, & pœnitentia deprecationis errorem pristinum confitente, & fraternitatem, quam nuper abstraxerat, cum plena humilitate & satisfactione revocante, auditæ sunt ejus preces, & in Ecclesiam Domini, non tam Trophimus quam maximus Fratrum numerus, qui cum Trophimo fuerat, admissus est: qui omnes regressuri ad Ecclesiam non essent, nisi cum Trophimo comitante venissent. Tractatu ergo illo cum Collegis plurimis habito, susceptus est Trophimus, pro quo satisfaciebat Fratrum reditus, & restituta multorum salus: sic tamen admissus est Trophimus, ut Laicus communicet, non secundum quod ad te malignorum literæ pertulerunt, quasi locum Sacerdotis usurpet* =. En quomodo propter unitatis Ecclesiæ bonum tam leniter se gessit S. Cornelius Papa.

Eandem exercuit humanitatem erga Lapsos S. Cyprianus, nova Gallieni contra Christianos recrudescente persecutione, non expectata alia poenitentiæ canonicæ exhibitione: censuitque Decretum in causa Lapsorum, de quo supra mentionem fecimus, pro naturaliter obeuntibus latum, ad violenter morituros esse extendendum; ut certamen pro Christi fide suscepturi ad Sacramentorum participationem recepti, eorumque virtute roborati, alacrius in arenam contra Christiani nominis adversarios prosilirent, atque hujus vitæ cursum gloriose ac feliciter consummarent = *Merito* (inquit D. Cyprianus in *Epist.* LIV. in ordine, *ad S. Cornel.* laudatum data = *trahebatur dolentium pœnitentia tempore longiori, ut infirmis in exitu subveniretur quandiu quies & tranquillitas aderat, quæ differre diu plangentium lacrymas & subvenire sero morientibus in infirmitate pateretur. At vero nunc non infirmis*

sed fortibus pax necessaria est, nec morientibus, sed viventibus communicatio a nobis danda est, ut quos excitamus & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, sed protectione Corporis & Sanguinis Christi muniamus: & cum ad hoc fiat Eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra Adversarium volumus, munimento Dominicæ saturitatis armemus. Nam quo modo docemus, aut provocamus eos, in Confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi Sanguinem denegamus? aut quo modo ad Martyrii poculum idoneos facimus, si non eos prius ad bibendum in Ecclesia poculum Domini jure communicationis admittimus? Interesse debet Frater carissime inter eos, qui vel apostataverunt & ad sæculum, cui renunciaverant reversi gentiliter vivunt, vel ad Hæreticos transfugæ facti contra Ecclesiam parricidialia quotidie arma suscipiunt: & inter eos, qui ab Ecclesiæ limine non recedentes & implorantes jugiter ac dolenter Divina & paterna solatia, nunc se ad pugnam paratos esse, & pro Domini sui nomine, ac pro sua salute stare fortiter & pugnare profitentur. Hoc in tempore pacem nos non dormientibus, sed vigilantibus damus: pacem non deliciis, sed armis damus: pacem non ad quietem, sed ad aciem damus. Si secundum quod eos audimus, & optamus & credimus fortiter steterunt, & adversarium nobiscum in congressione prostraverint. Non pœnitet pacem concessisse tam fortibus, imo Episcopatus nostri honor, gradus & gloria est, pacem dedisse Martyribus, ut Sacerdotes qui sacrificia Dei quotidie celebramus, hostias Deo & victimas præparemus.

Aliud prædictæ disciplinæ exemplum dedit S. Cornelius Papa absolutionis beneficium a pœnitentia publica impendens Maximo, Urbano, Sydonio, & Macario, qui etsi aliquando præclaræ Confessionis Christianæ fidei argumenta dedissent, tamen postea ad Schisma a Novatiano conflatum defecerant. = *In Presbyterium venerunt* (ait D. Cornelius in *Epist. ad S. Cyprian.* inter Cyprianicas XLVI.) *Maximus, Urbanus, Sydonius, & Macarius & plerique Fratres, qui se eis adjunxerant, summis precibus desiderantes ut ea, quæ ante fuerant gesta, in oblivionem cederent, nullaque eorum mentio haberetur, proinde atque si nihil esset, vel commissum, vel dictum invicem omnibus remissis, cor mundum & purum jam Deo exhiberent . . . . . . una vox erat omnium gratias Deo agentium gaudium pectoris lacrymis exprimentium, complectentes eos, quasi hodie pœna carceris fuissent liberati. Et ut ipsorum propria verba designem: Nos, inquiunt, Cornelium Episcopum Sanctissimæ Catholicæ Ecclesiæ electum a Deo omnipotente, & Christo Domino nostro, scimus: Nos errorem nostrum confitemur: nos imposturam passi sumus: circumventi sumus perfidia & loquacitate factiosa. Nam etsi videbamur, quandam communicationem cum schismatico, & hæretico homine habuisse, sincera tamen mens nostra semper una fuit; nec enim ignoramus unum Deum esse, unum Christum esse Dominum, quem confessi sumus, unum Spiritum Sanctum, unum Episcopum in Catholica Ecclesia esse debere. Ista eorum professione non moveremur? ut quod ante potestatem sæculi erant confessi, in Ecclesia constituti comprobarent? Quapropter Maximum Presbyterum locum suum agnoscere jussimus: cæteros cum ingenti populi suffragio recepimus* = Quod laudabiliter factum fuisse, his verbis declarat. S. Cyprianus *in Epist.* XLVII. *ad Cornel.* data = *Merito illos revertentes* (nempe Maximum, Urbanum, Sydonium, & Macarium) *summo, ut scribitis, gaudio & Clerus & Plebs, & Fraternitas omnis excepit, quoniam in Confessoribus gloriam suam conservantibus & ad unitatem revertentibus, nemo non socium se & participem eorum gloriæ computat. Hujus diei lætitiam de nostris possumus sensibus æstimare; nam cum istic ad literas vestras, quas de eorum Confessione misistis, lætatus sit omnis Fratrum numerus, & summa alacritate hunc nuncium communis gratulationis exceperit; quid illic, ubi res ipsa & præsens lætitia sub oculis omnium gerebatur? Cum enim Dominus in Evangelio suo dicat: esse summum gaudium in Cælo super uno peccatore pœnitentiam agente; quanto majus est gaudium, & in terris pariter & in Cælo super Confessoribus ad Ecclesiam*

fiam Dei cum gloria sua & cum laude redeuntibus, & redeundi viam ceteris exempli sui fide & probatione facientibus? Hic enim quosdam Fratres nostros error induxerat, quod sibi communicationem sequi viderentur; quo errore sublato, lux omnium pectoribus infusa est, & Ecclesia Catholica una esse, nec scindi, nec dividi posse monstrata est. Nec quisquam jam facile poterit Schismatici furentis verbis loquacibus decipi; quando probatum sit, bonos & gloriosos Christi milites non potuisse diu aliena fallacia vel perfidia extra Ecclesiam detineri.

Ad majorem hujus rei evidentiam & illustrationem observare minime pigeat, varia remissionum similium monumenta; ut evidentissime demonstretur, a Patribus & Conciliis posterioribus sæculis, eamdem, quæ antiquitus observata fuit, disciplinam fuisse retentam. Concilium Eliberitanum, congregatum non ante Novatiani Hæresim ac Decii persecutionem, idest ante annum CCL. ut arbitratur Joannes Morinus *lib.* 19. *de Administrat. Sacram. Pœniten. cap.* 19. aut anno CCCV. Constantio & Galerio imperantibus, ut scribit Baronius *in tom.* 2. *Annal. Ecclesiastic.*, sed imminente Diocletiani & Maximiani persecutione circa annum CCCI., ut ostendit Natalis Alexander *in tom.* 4. *Histor. Ecclesiast. Dissert.* 21. *prop.* 3. decernit, elapso triennio Diaconis quibusdam sponte crimen suum confitentibus residuum pœnitentiæ relaxandum *can.* LXXVI. = *Si quis Diaconus se permiserit ordinari, & postea in crimine mortis fuerit detectus, quod aliquando commiserit, si sponte fuerit confessus, placuit eum, acta legitima pœnitentia post triennium accipere communionem. Quod si alius eum detexit, post quinquennium acta pœnitentia, accipere communionem laicam debere* =. Mandat Concilium Ancyranum celebratum anno CCCXIV. inspici Pœnitentium conversationem, & quo fervore & qua devotione eos pollere noverint Episcopi, indulget fieri ab injunctis satisfactionibus relaxationem = *Quotquot autem* (sunt verba Canonis V.) *ascenderunt in Templum cum veste lugubri, & recumbentes inter alios manducaverunt Flentes, si compleverint pœnitentiam triennii temporis, sine oblatione suscipiantur ad communionem, idest ut ipsi oblationem offerant. Si autem perducti ad Templa manducaverunt, triennio maneant in pœnitentia, tertio vero anno communicent sed sine oblatione, ut dictum est: in quarto perfunctionem suam recipiant. Episcopum autem hanc habere licentiam oportet, ut perspecta singulorum conversatione, normam regulamque conversationis attribuat, idest humanius agens secundum vitæ modum, tempus alicui pœnitentiæ breviet, aut etiam prolixius quod correctione necessarium viderit, addat. Discutiatur autem omnium horum & præcedens vita & posterior, & ita circa eos Sacerdotalis se humanitas moderetur* = Quod confirmat *can.* XXII. descripta prius pœnitentia a quibusdam Criminosis implenda = *Modus autem hujus pœnitentiæ in Episcoporum sit arbitrio, & secundum conversationem Pœnitentium, possint & extendere tardantibus, & minuere studiose festinantibus*. Cohæret Conciliis Eliberitano & Ancyrano Nicæna Synodus celebrata anno CCCXXV. pro iis, qui tempore persecutionis, imperante Licinio excitatæ, a fide Christi defecerant. = *De iis*: (sunt verba *Canon.* 1I.) *qui propter necessitatem prævaricati sunt, aut propter abolitionem facultatum, aut propter periculum, aut aliquid hujusmodi, quod factum est sub tyrannide Licinii, placuit Sanctæ Synodo, licet indigni sint, misericordia tamen aliquid circa eos humanius ostendi* = Idem fieri voluit *Canon.* XII. iis, qui a superioris vitæ flagitiis resipiscentiam demonstraverant, novæque conversationis & pœnitentiæ ordinem præscriptum inchoare minime dubitaverant = *In his omnibus propositum & speciem pœnitentiæ oportet explorare. Quotquot enim metu & lacrymis, atque pœnitentia, vel bonis operibus rebus ipsis conversionem suam, non simulatione demonstrant, si demum tempus Auditionis implentes, tum demum in oratione communicent; postmodum vero licebit Episcopo de iis aliquid humanius cogitare* = Nicænum ergo Concilium permittit Episcopis, intra Auditionem Pœnitentibus durissimum Substrationis gradum relaxare, eosque ad Consistentiam transmittere, imo de illis etiam aliquid humanius cogitare,

 idest

idest tempus ibi insumendum abbreviare. Canon hic longe D. Cypriani decreto clementior; illud enim solum satisfactioni proximos Indulgentia donavit. Eandem voluit exerceri humanitatem Laodicena Synodus. = *Eos, qui in diversis Lapsis peccant* = [sunt verba *Canon.* 1I.] *& in Oratione Confessionis, & pœnitentia perseverant, & se a malis perfecte convertunt, tempore pœnitentiæ juxta proportionem delicti dato, propter Dei miserationes & bonitatem ad communionem adducere oportet* =. Observa hic non fuisse hanc Synodum celebratam ante Concilium Nicænum, ut volunt Baronius *tom.4. Annalium in Append. & Binius*, sed post illud; cum in ea fiat mentio Photinianæ Hæreseos, quam circa Sirmiensis dumtaxat Concilii tempus emersisse compertum est, nempe anno CCCLI. Quod si S.Epiphanius affirmet *hæref.* LXXI. Photinum in Sardicensi jam antea fuisse damnatum = *memoria Lapsus est* (ut inquit Natalis Alexander *to.4. hist. Eccles. cap. 3. artic.* 8.) = *ac Sardicensem pro Sirmiensi usurpavit* = Approbat D. Basilius in *Epist.* ad Amphilochium Iconii in Lycaonia Episcopum data anno CCCLXXIV. prudenti Prælatorum arbitrio demandatum, pœnitentias Canonicas, secundum quod circumstantiæ postularent, vel minui, vel augeri his verbis = *Est autem tuæ prudentiæ, pro circumstantiæ proprietate, pœnas intendere, vel remittere* = Qua ductus authoritate Carthophylax ita sentit religiosam Canonum Censuram universim retinendam, ut inspecta temporum morumque qualitate, dispensatio seu Indulgentia adhibeatur. = *Adhærendum est*, inquit, *iis quæ Synodice promulgata & confirmata sunt. Deinde ex personarum & temporum, morumque qualitate dispensatio facienda, magno permittente Basylio* = Consentit D. Basilio S. Gregorius Nyssenus ejus Frater in *Epist.* ad Letojum Mytilenensem Episcopum data, ubi descriptis pœnitentiæ gradibus, a quibusdam publicis peccatoribus percurrendis, subdit = *Eadem erit observatio ab eo, qui Ecclesiam administrat & pro ratione conversionis illi quoque tempus contrahatur, adeo ut novem annis in unoquoque gradu vel octo, vel septem, vel sex, imo etiam quinque tantum anni ponantur, si pœnitentiæ magnitudo tempus vincat, & superet correctionis studio eos, qui in longo tempore præstitutos, susceptas a se maculas segniter eluunt*.

Falsò tamen hanc adscribi Epistolam Nysseno affirmant Scultetus in *Medulla Patrum*, & Rivetus *lib.3. Crit. Sacr. cap.24.* tum ob stylum, qui diversus ab aliis operibus ejusdem reperitur, tum propter pœnitentiæ formam, eo vivente satis severam, neque ita distincte observatam; uti tradit Author hujus Epistolæ, qui dum non raro veterum Patrum statuta commemorat, se Græculum Authorem ostendit, sub ementito nomine Nysseni. His vero pseudocriticorum ratiociniis Græcos Patres in Trullana Synodo congregatos opponimus, qui ut mox videbimus Nysseni Canones hujus Epistolæ comprobarunt, & Zonaram qui suis commentariis eos illustravit. Nec aliquod facessit negotium ea diversitas styli; cum hic alius in Epistolis, ac in libris Polemicis, & Orationibus adhibeatur; quamvis & venustas orationis, & splendor jucunditate mixtus, qui styli ipsius character est (ut observat Photius) in hac Epistola non desit. Nemo insuper non novit, eam pœnitentiæ canonicæ impositionem maxime Nysseni ætati congruere, hanc conferens Epistola cum alia D. Basylii ad Amphilochium. Nec mirum est, S. Antistem veterum Patrum meminisse, cum plurimi Episcopi & Doctores, qui quatuor sæculorum spatio floruerunt eo titulo meritò decorari potuerint. Et sane eorundem mentio sub iisdem nominibus in Epistola mox laudata D. Basylii, ac Canonibus Concilii Nicæni non raro occurrit, dum leges, ac regulæ commendantur.

Idem quod Nyssenus decrevit Concilium Aurelianense IV. celebratum anno DXLI. Can. VIII. = *De his, qui post Baptismi Sacramentum, ad hæresis Lapsum descendunt, in Episcoporum potestate consistat, cum eos viderint dignam pœnitentiam agere, quando, vel qualiter communioni pristinæ reformentur* = & Can. XXVII. = *Quisquis Homicidium commiserit, pro modo pœnitentiæ distinguendus, in Sacerdotis potestate consistat* = Longam annorum seriem pœnitentiæ, juxta veteres Canones observandam ab iis, qui Sacro Baptismatis lavacro regenerati, hæretica se labe coinquinaverant Concilium Epaonense

nense sub initium sæculi VI. nempe anno DXVII. celebratum, cura & pietate Sigismundi Regis Burgundiæ, ad duos annos restringit, residuum pœnitentiæ relaxando sub onere jejunandi atque Ecclesiam frequenter adeundi = *Lapsi* (verba sunt *Can.* XXIX.) *id est iis, qui in Catholica Ecclesia baptizati prævaricatione damnabili post in hæresim transierunt, grandem redeundi difficultatem sanxit antiquitas. Quibus nos annorum multitudine breviata, pœnitentiam biennii conditione infrascriptæ observationis imponimus, ut præscripto biennio, tertia die sine relaxatione jejunent, & Ecclesiam studeant frequentare in pœnitentiam, locum standi & orandi humilitatem noverint observandam, ac etiam si ipsi, quomodo Catechumeni procedere commonentur, abscedant. Hoc si observare voluerint constituto tempore, admittentur ad Altarium, & observatio relaxetur* = Hanc tandem disciplinam Conciliorum, ac Patrum authoritatibus expensis, ratam habuerunt Patres Concilii Trullani, congregati anno DXC. eandemque observari mandarunt can. II. = *Firmi maneant Apostolorum Canones Patrum, qui Nicææ, Ancyræ, Neocæsareæ, Gangris, Antiochiæ, Laodiciæ, Constantinopoli, Ephesi, Calcedone, Sardis, & Carthagine convenerunt: quin etiam Canones Dionysii Alexandrini, Petri Alexandrini, Gregorii Thaumaturgi, Athanasii, Alexandri, Basilii, Gregorii Nysseni: & nulli licere prædictos Canones adulterare* = & mox = *Oportet autem eos, qui solvendi & ligandi potestatem a Deo accepere, peccati qualitatem considerare & ejus, qui peccavit ad conversionem promptum studium, & sic morbo convenientem afferre medicinam..... omnem enim rationem init Deus, isque, cui pastoralis traditus est principatus, ut errantem ovem reducat, & ei, quod est a Serpente vulneratum, medeatur: & neque per desperationis præcipitia impellat, nec ad vitæ desperationem & contemptum fræna relaxet; sed una quidem omnino ratione, sive per acriora, & adstringentia, sive per molliora & leviora medicamenta affectioni resistat, & ad ulceris obductionem annitatur, fructus pœnitentiæ examinans, & sapienter dispensans, & gubernans hominem, qui ad superiorem illuminationem vocatur.*

§. IV.

Indulgentiæ ab anno Christi DCC. *usque ad exitum sæculi* XI. *concessæ.*

ALIA via post sæculum septimum pœnitentialium Canonum rigor temperari cœpit; cum enim ob quædam iterata crimina Lethalia, quorum causa plurium annorum pœnitentia injungebatur, quandoque homines desperare contigeret eo onere prægravatos, & interdum nec hominis ætas sufficeret, ad eluenda per pœnitentiam a Canonibus præscriptam commissa peccata, data est facultas Pœnitentibus redimendi eleemosynis, jejuniis, flagellationibus aliisque pietatis, ac religionis officiis duriores labores in longius tempus protrahendos, ne quis ex hac vita Dei & Ecclesiæ debitor decederet; factumque est, ut Pœnitens breviori temporis compendio ea satisfaceret, quæ plurimorum annorum termino persolvere tenebatur. Meminit de hac Redemptione Burchardus in suo Pœnitentiali = *Quisquis non potest sic agere pœnitentiam, ut superius diximus, faciat sic; si tres annos continuos jejunare debet, & jejunare non potest, in primo anno eroget in eleemosynam solidos viginti sex, in secundo anno solidos viginti, in tertio solidos decem & octo; potentes autem homines plus dare debent.*

Rei novitatem longe ante Burchardi tempora eleemosynis inductam, seu potius novæ remissionis abusum, qui in Brittannicis Insulis invaluerat, minime approbarunt Patres Concilii Cloveshoviensis I. celebrati anno DCCXLVII. præside Cutberto Archiepiscopo Cantuariensi *Can.* VII. ubi de vero eleemosynarum fine pertractarunt, ne ad nova perpetranda flagitia foret illicium = *Nova adjuventio*, inquiunt, *periculosa consuetudo, & non ad hoc fine dubio dandæ* [nempe eleemosynæ] *ut quælibet vel minima saltem peccata eo licentius cuipiam agere liceat, quo vel ipse, vel alius pro eo eleemosynas faciat.... Non sit quoque eleemosyna illius ad hoc data esurienti, ut se ipsum commessationibus,*

nibus, ebrietatibus illicitis supra modum ingurgitet; ne per hoc quod venalem Dei justitiam ponat, ab eodem, non solum acrius, sed citius juxta merita illius judicetur. Postremo igitur sicut nova adinventio juxta placitum propriæ voluntatis suæ, nunc plurimis periculosa consuetudo est. Non sit eleemosyna porrecta ad minuendam, vel mutandam satisfactionem per jejunium, & reliqua expiationis opera a Sacerdote Dei pro suis criminibus jure canonico indictam, sed magis ad augmentandam emendationem suam . . . . . Bonum est eleemosynas quotidie dare, sed pro his non est abstinentia remittenda. Non est jejunium impositum semel juxta Ecclesiæ regulam, sine qua non remittuntur ulla peccata, relaxandum, sed peccatorum = Redarguunt postea Patres dicti Concilii quorundam divitum excessum, qui parce jejunando, crebris aliorum jejuniis, ac laboribus pœnitentias canonicas redimere posse arbitrabantur. = *De hoc prolixius ideo disputandum est, quia nuper quidam dives secundum hoc sæculum petens reconciliationem pro magno quodam facinore suo citius sibi dari, affirmans in suis literis idem nefas juxta multorum promissa intantum esse explatum, ut si deinceps vivere possit, trecentorum annorum pro eo plene jejunium satisfactionum modis, per aliorum scilicet psalmodiam, & jejunium, & eleemosynas persolutum esset, excepto illius jejunio, & quamvis ipse utrumque, vel parum jejunaret. Ergo si ita placari potest per alios Divina justitia, cur divites, o stulti promissores, qui pro suis flagitiis aliorum innumera, suis possunt præmiis jejunia redimere, difficilius voce veritatis, regnum intrare Cœlorum, quam per foramen acus Camelum transire, dicuntur?*

Verum ut justis causis occurrentibus humanæ fragilitati suaviori remedio consuleretur, ac aliqua pœnitentiarum canonicarum vigeret authoritatis; satius existimarunt postea Episcopi & Concilia morem illum recipere, suaque authoritate firmare. Hinc facile deprehendes, hujusmodi Redemptiones non fuisse meras mutationes onerum pœnitentialium, quæ a Canonibus injuncta fuissent, in alia pia opera, sed veras Indulgentias; siquidem cum illæ non possent gravissimis pœnitentialium Canonum oneribus omnino commensurari, dabatur locus relaxationibus eorundem, ab Episcopis media Clavium potestate faciendis: ac proinde, qui Redemptionum beneficio gaudebant, vera & propria Indulgentia donabantur, sicut superius dictum est de Lapsis ad pacem atque communionem receptis ob preces Confessorum, ac de aliis, de quibus Canones memorati tum Conciliorum, tum Sanctorum Basilii Magni & Gregorii Nysseni locuti sunt.

Consone ad hanc disciplinam usque ad sæculum XIII. in Ecclesia retentam, putarunt Patres Concilii Triburiensis I. celebrati anno DCCCLXXXV. in prælio, vel in longo itinere, aut in infirmate constitutis aliquid de jejunio ab Homicidis feriis legitimis implendo, detrahendum, ideoque *Can.* LVI. habetur = *Et nisi vel in hoste, aut in aliquo magno sit itinere, vel longe, vel diu ad Dominicam Curtem, vel si in infirmitate detentus sit, tunc licitum sit ei, tertiam fœriam, & quintam atque Sabbatum redimere uno denario, vel pretio denarii, sive tres pauperes pro nomine Domini pascendo: ita dumtaxat ut vel carne, vel vino, vel medone; idest de tribus una re utatur, non omnibus vescatur. Postquam autem de itinere domum revertatur, aut de infirmitate liberetur, prædictas ferias non redimat, sed statuto modo pœniteat.*

Huc spectat statutum Patrum Concilii Rhemensis, celebrati anno DCCCCXXIII. pro militaribus copiis, quæ bello Suessionico, inter Carolum & Robertum Reges excitato interfuere, damnatis ad percurrendum spatium pœnitentiæ trium annorum: *Ut tribus quadragesimis per tres annos agant pœnitentiam: ita ut prima quadragesima sint extra Ecclesiam, & reconcilientur. Omnibus vero his quadragesimis, secunda, quarta & sexta feria in pane & sale & aqua abstineant, aut redimant: similiter quindecim diebus ante Nativitatem Salvatoris; omni quoque sexta feria per totum annum, nisi redemerit, aut festivitas celebris ipsa die acciderit, vel cum infirmitate, sive militia detentum esse contigerit.* Fusius pariter in suis *Capitularibus excerptis* talem potestatem proposuit Isacius Episcopus Lingonensis *tit.* I. *cap.* I. = *Nullus Presbyter,*

byter, aut Laicus Pœnitentem cogat vinum bibere, aut carnem manducare, nisi ad præsens pro ipso unum, aut duos denarios juxta qualitatem pœnitentiæ dederit.

Ne vero per eleemosynarum elargitionem, aut cibum pauperibus præstitum, iis dumtaxat provisum esset, qui ingenti copia divitiarum affluerent, egenis, hisce spiritualibus remediis ob facultatum inopiam, destitutis, alia adinventa sunt remedia, quibus ad omnes Redemptionis beneficium extenderetur, ut constat ex *Pœnitentiali* relato in *Collect. Anglicana ad annum* CMLXVII. sub titulo *de satisfactione num.* 18. & 19. = *Quisquis poterit unius diei jejunium unico denario redimere; potest etiam unusquisque unius diei jejunium 220. psalmis redimere: potest etiam unusquisque, unius duodecim mensium jejunium triginta solidis redimere, vel unum aliquem liberando tanti æstimatum: & pro unius diei jejunio decantet vir ille senis vicibus Pater noster: & pro unius diei jejunio genuflectat homo ille, & ad terram se inclinet sexaginta vicibus dicens Pater noster. Possit quis etiam unius diei jejunium absolvere, si in oratione semetipsum per omnia membra sua Deo extendat vera contritione & fide recta, & quindecim vicibus Pater noster, jam tunc conceditur illi totius diei peccatorum allevatio; septenne jejunium potest quis in anno uno absolvere, si quotidie cantaverit Psalterii psalmos itidem nocte, & quinquaginta Vespere; unica etiam missa potest quis absolvere duodecim dierum jejunium, & cum decem missis eximitur quatuor mensium jejunium, & cum triginta missis potest quis eximere totum anni jejunium; si voluerit vero Dei amore pro se ipso intercedere, & peccata sua confiteri Confessario.* Ad majorem huic rei claritatem conciliandam non erit inutile adducere quod habetur in *Decreto* Burchardi *lib.* 12. = *Pro uno die, quem in pane & aqua jejunare debet, quinquaginta psalmos in Ecclesia, si fieri potest, decantet; sin autem in loco convenienti eadem faciat, & eo die, excepto vino & carne, & sanguine, quidquid velit comedat.*

Plura super hujusmodi Redemptionibus observatu digna reperies apud Joannem Morinum *de Pœnitentiis lib.* 12. *cap.* 17. ex quibus colligi potest concessas quidem Redemptiones ejusmodi fuisse, sequentibus servatis modificationibus, saltem in nonnullis regionibus. Primo ut vix, aut nusquam daretur redimi pœnitentia canonica anno primo. Raro anno secundo & tertio. Deinde ut vix indulgeretur in tribus Quadragesimis, nusquam vero in Quadragesima Paschatis festum immediate præcedente. Has observationes probat citatius Morinus ex antiqua Canonum collectione manuscripta Abbatis Reginonis jussu Ratbodi Ecclesiæ Trevirensis Episcopi, circa medium sæculi x. edita, in qua *lib.* 2. *cap.* 44. & *sequent.* hæc habentur = *Si quis forte non potuerit jejunare, & habuerit unde possit redimere, si dives fuerit pro septem hebdomadibus det solidos viginti. Si non habuerit tantum unde dare possit, det solidos decem; si autem multum pauper fuerit det solidos tres . . . . . Pro uno mense, quod in pane, & aqua pœnitere debet, psalmos decantet mille ducentos genuflexo, & si non genuflexo* 1680., *& omni die si vult, & abstinere non potest, reficiat ad sextam; nisi feria quarta, & sexta jejunet usque ad nonam: Carnem & vinum non sumat, pro una hebdomada psalmos genuflectendo decantet, aut in uno loco per ordinem psallat. Qui vero psalmos non novit & jejunare non poterit pro uno anno, quem jejunare debet in pane & aqua det in eleemosyna* 26. *solidos; & in unaquaque hebdomada diem unum jejunet usque ad nonam: idest feriam quartam & alium, idest feriam sextam usque ad vesperum, & tres quadragesimas quantum sumit, penset, & medietatem tribuat in eleemosyna. Primo anno quidam permiserunt triduanas quatuor; alii duodecim triduanas: idest semel in mense uno. Quidam dixerunt triduanas agere in verberibus & in vigiliis insistendo triduum; pretium autem unius diei, idem Agapen duorum vel trium pauperum, sive unum denarium: Alii totum psalterium in Æstate, in Hyeme vero, & in Vere vel Autumno quinquaginta psalmos* = Quo Regionis textu clare percipitur, iis dumtaxat annui Redemptiones, qui satisfactiones, in Pœnitentialibus injunctas implere non possent = *Si quis forte non pote-*

poterit jejunare = & ex eo quod ibi subditur, colliges, Redemptionis modum fuisse commissum Sacerdotis arbitrio = *Ecce diversorum Patrum diversas opiniones de remediis peccatorum, vel de leviganda pœnitentia in ordine posuimus, in arbitrio prudentis Sacerdotis relinquentes, quid salubrius & utilius animæ pœnitenti esse decernat* = Petrus Pictaviensis S. Victoris Canonicus, qui Innocentii III. ætate suum Pœnitentiale conscripsit pro Sacerdotum directione, de Redemptionibus hæc tradidit observanda = *Omnes, qui ex justa causa videntur non posse sine magno gravamine frequenter, vel in arcta dieta jejunare, possunt Redemptiones, vel compensationes adhibere per orationes, per eleemosynas, per peregrinationes, vel disciplinas, vel abstinentiam a carnibus, vel piscibus, vel hujusmodi, secundum statum personarum, a vino, vel in quadragesimalibus cibis* = Temporis tamen decursu Ecclesia ad indulgendum propensior, citra tales modificationes, Redemptionibus usa est; adeo ut possent Pœnitentes pro libito vel oneribus a Canonibus pœnitentialibus præscriptis vacare, vel Redemptiones, inconsultis etiam Sacerdotibus eligere.

Morem hunc redimendi pœnitentias canonicas facto comprobavit S. Petrus Damiani Cardinalis & Episcopus Ostiensis; cum enim Mediolanum, Legati potestate præditus, a Nicolao II. circa annum MLXII. missus fuisset, ut eam Ecclesiam Simoniaco crimine pollutam, Clericorumque impuritate labefactatam, ac penitus collapsam restituere, Romanæque Ecclesiæ reconciliare niteretur, ita leniter, prudenterque concreditum sibi munus obivit, ut Guidonem Archiepiscopum & Clerum, ad veram pœnitentiam amplectendam induxerit, præstita pecuniæ quantitate in pios usus impendenda, aliisque sanctis operibus opportune relaxandam, ut habetur ex *Opusculo 5. ad Hildebrandum Romanæ Ecclesiæ Archidiaconum* = *Centum itaque annorum ipsi* (loquitur S. Episcopus Cardinalis de Archiepiscopo) *pœnitentiam indidi, Redemptionemque ejus taxatam per unumquemque annum pecuniæ quantitate præfixi* = & post pauca de Clericis inferioribus subdit = *Qui solum constitutæ a Diabolo regulæ canonem dederunt, ita ut nonnulli eorum vix peccatum hoc esse cognoscerent, quinque annorum pœnitentiam acceperunt hoc modo, ut omni tempore, Æstate simul & Hyeme duos dies, duabus autem anni quadragesimis, Natalem videlicet & Sanctum Pascha præcedentibus, tres dies per hebdomadam jejunarent in pane & aqua. Eorum autem, qui plus dederunt, septem annorum est pœnitentia sub eadem scilicet jejunii quantitate distincta: postque septennium, quandiu vixerint, sextam feriam jejunabant. Qui autem jejunare facile non potest, unum ex his diebus per omnem hebdomadam redimere licentiam habet, ita ut unum psalterium meditetur, aut medium cum quinquaginta metaneis, aut unum pauperem pascat, & lotis pedibus nummum porrigat.*

Prædia & Terras plurimos Pœnitens Ecclesiis obtulisse, ut inde pœnitentialium laborum remissionem perciperent, testatur idem S. Petrus Damiani *lib. 4. Ep. XII. ad V. Episcop.* = *Non ignoras, quia cum a Pœnitentibus terras accipimus, juxta mensuram muneris eis de quantitate pœnitentiæ relaxamus. Sicut scriptum est: Divitiæ hominis redemptio ejus. Perpende igitur, & congrua ratione considera, quia sicut is, qui prædia præbet Ecclesiis, pœnitentiæ suæ pondere merito levigatur; sic ille qui subtrahit, subeundæ pœnitentiæ digna mole deprimitur. Nam si dator absolvitur, consequens est, ut præreptor vinculis innodetur: tantique hic debiti teneatur obnoxius, quanto ille non ambigitur absolutus.*

Recolendum hic est, quod observat Thomassinus *de Benefic. p. 3. lib. 1. cap. 74. n. 5.* Ea omnia a Pœnitentibus oblata pie ac religiose, consuevisse in Clericorum, Monachorum, Pauperumque sustentationem, in sartatecta Ecclesiarum, Pontium constructiones & instaurationes impendi.

Nec tantum eleemosynis, aut psalmorum recitationibus, concurrente divitiarum inopia, aliquid detrahi de pœnitentiis canonicis indulgebatur, verum etiam flagellationibus; ut tradit sœpe laudatus D. Petrus Damiani in *lib. 5. Epist. 8.* = *Laicis*, inquit, *permittebatur peccata sua eleemosynis redimere, & eo modo multorum annorum pœnitentias implere. Idem sane per flagellationes Monachis indul-*

gen-

gendum, qui per professionem suam pecuniarum adminiculo carent = Et deinde ostendit, quam bene congrueret, Monachos hujusmodi media pro redimendis satisfactionibus adhibere, ne onere solvendi pœnam temporalem pro culpis commissis gravati, ex humanis decederent = *Cum Sacerdotes Ecclesiæ annosam indicunt quibusdam Peccatoribus pœnitentiam, numquid non aliquando certam præfigunt pro annorum redemptione mensuram; ut nimirum facinora sua eleemosynis redimant, qui longa jejunia perhorrescunt? Sed quia hæc pecuniæ redemptio in antiquis Patrum Canonibus minime reperitur, absurdum esse, & frivolum judicabitur? Quod si hoc Laicis indulgetur, ut peccata sua eleemosynis redimant, ne surripiente mortis articulo, ex hac vita sine reatus sui (quod absit) absolutione recedant, quid Monacho præcipiendum erit, qui & longam forte pœnitentiam peccatis exigentibus accipit, & pecunias olim funditus, quibus redimatur, abjecit?*

Ex quibus post annum millesimum facta est nova pœnitentias computandi ratio, ita ut quinquaginta, & centum annorum pœnitentiæ, integre paucorum dierum numero persolverentur. Cum enim Psalterii cantatio eleemosynarumque largitio unius anni pœnitentiæ responderent, qui pluries Psalterium cantabant, aut eleemosynam ad Pauperum inopiam sublevandam erogabant, vel se verberibus percutiebant, totidem Indulgentiarum annos lucrabantur; unde D. Petrus Damiani in *Libello*, seu *Epist. ad Alex.* II. *de vita Sanctor. Rodulphi, & Dominici* hæc refert de S. Rodulpho. *cap.3.* = *Sæpe pœnitentiam centum annorum suscipiebat, quam scilicet per viginti dies allisione scoparum, Cæterisque pœnitentiæ remediis persolvebat. Psalterium quotidie, cum duo non posset, unum saltem non negligebat implere, quod nimirum cum esset in Cella constitutus, armata scopis utraque manu totum cum disciplina continuare consueverat* = & *cap.7.* de asperrima D. Dominici pœnitentia verba faciens, perspicue declarat, qua ratione, flagellationibus, una cum psalmis recitatis, centum annorum pœnitentia relaxaretur = *Quadragesimalibus circulis, sive cum pœnitentiam peragendam habet; crebro enim centum annorum pœnitentiam suscipit, tunc per dies singulos, dum se scoparum tunsionibus afficit, ut minus tria Psalteria meditando persolvit. Centum autem annorum pœnitentia, sicut ipso Auctore didicimus, sic expletur. Porro cum tria scoparum millia unum pœnitentiæ annum apud nos regulariter expleant, decem autem psalmorum modulatio, ut sæpe probatum est, mille scopas admittat, dum centum quinquaginta psalmis constare Psalterium non ambigitur, quinque annorum pœnitentia in unius Psalterii disciplina recte supputantibus, invenitur . . . . consequitur ergo, ut qui viginti Psalteria cum disciplina decantat, centum annorum pœnitentiam se peregisse confidat. Quamquam & in hoc plerosque noster Dominicus superet; quia cum nonnulli unam manum in disciplinis agendis exerceant iste revera ut Beniamin filius contra rebelles Carnis illecebras utraque manu infatigabiliter pugnat* = . Quod S. Viri exemplum induxisse plurimos tum viros tum mulieres ad suscipiendam hanc diuturnæ, pœnitentiæ methodum paucis diebus exhibendæ, testis est S. Petrus Damiani *lib.7. Epist. 29.* = *Hujus itaque S. Senis exemplo*, inquit, *facienda disciplinæ mos, adeo in nostris partibus inolevit, ut non modo viri, sed & nobiles mulieres hoc purgatorii genus inhianter arriperent; nam & relicta Theobaldi sublimis utique generis, & non infimæ dignitatis mihi aliquando retulit, per præfixam hujus disciplinæ regulam centum annorum se pœnitentiam peregisse* = Inter nobiles in quos dicit Damianus usum illum verberum propagatum, Henricum II. Imperatorem oportet recensere, de quo Reginardus in *Reb. gest. Annon. Archiepisc. Colonien. cap.6.* hæc habet = *Considerans Henricus Imperator nominis Majestatem longe suis præcellere meritis, numquam insignia regalia sibi præsumpsit imponere, nisi clam per Confessionis ac pœnitentiæ, verberum insuper satisfactionem, licentiam a quolibet Sacerdotum suppliciter mereretur.*

Hinc occasionem arripuit Jacobus Boyleau in *Histor. Flagellantium* sive *de recto, & perverso flagrorum usu apud Christianos* SS. Dominico Lor[illegible] adscribendi & Petro

tro Damiani, morem Fidelium propriis se manibus flagellandi, asseruitque ante illos utique flagra in usu fuisse, ita tamen ut Fideles verbera ab aliis reciperent, non vero propriis se manibus cæderent. Sed invicte hunc errorem refellit Eminentissimus Lambertinus in Opere de *Servor. Dei Beatificat.*, & *Beat. Canonizat. tom. 3. lib. 3. cap. 28. n. 7.* ostendens ex probatis autoribus, morem illum usu receptum apud viros pietate celebres, BB. Dominico Loricato & Petro Damiani antiquiores = *Animadverti potest*, inquit, *Spontaneas istas flagellationes, quas disciplinas vocant, fuisse adhibitas a Guidone Pomposiano Abbate, & a S. Poppone pariter Abbate. Quod utique satis est, ne Dominicus & Petrus pro autoribus haberi possint, uti bene annotavit Mabillonius in Præfat: I. in sæcul. sextum Ordinis S. Benedicti, ubi inquit: neuter vero (loquitur de Guidone & Poppone) id addiscere potuerat ab exemplo Dominici Loricati utroque junioris, multo minus Petri Damiani, qui ne dum ea de rescripserat: Mabillonio autem adhæret Graveson: in Hist. Eccles. tom. 4. par. 1. decimi, & undecimi sæculi pag. 305. & sequentibus.* = Pari infelicitate innuere velle videtur Boyleau loco cit. consuetudinem adhibendi flagella amore carnis mortificandæ minime probandam ex eo potissimum, quod Methodus verberandi lumbos ad venerem provocet, ac flagellorum ictus dorso incussi oculis officiant; cum enim plurimorum Sanctorum hujusmodi exempla, quæ ad imitandum nobis proponit Ecclesia, oppositum edoceant *hos duces*] ut verbis utar Mabillonii *in præf. in sæculum sextum Ord. S. Benedicti*) *sequi non inverecundum aut despectum, imo perquam honorificum & tutum esse, nemo jure negaverit* = Nec alicujus ponderis est argumentum vel de incitamento ad venerem, vel de damno oculis illato, quia, ut inquit Eminentissimus Lambertinus = *Hoc unum certum est, quod ex centum hominibus, qui se flagellant, unus invenietur, si etiam invenietur, qui ex flagello incitetur ad Venerem: cumque reliqui nonaginta novem rebelles carnis motus cohibeant ope flagellationis, nemo est qui non videat, pium flagellationis usum licite ex prædicta ratione improbari non posse; & multo magis, cum admittendum sit, quod, qui carnis rebellionem in sua carne experiretur, non solum posset, sed etiam deberet ab ea se abstinere; quod ipsum fieri deberet etiam ab illo qui, ex flagellis adhibitis, visus defectum pateretur; nisi forte uterque verberationis locum mutando, se ab utroque periculo liberaret* =. Quam vero flagellationem damnaverit Clemens VI. dicemus §. 6.

Sub iisdem fere temporibus, quibus novimus flagellationes, aliosque pietatis actus pro redimendis pœnitentiis canonicis laudabiliter usurpatos, maxime percrebuit consuetudo concedendi Indulgentias accedentibus ad Sedem Apostolicam, seu ad Sanctorum Petri & Pauli Apostolorum Limina peregrinantibus. Ex fragmentis extantibus penes Sirmundum *fragm. 7.* habes de Eriat Franco, qui Monachum Presbyterum necaverat, ac pro satisfactionis Canonicæ remissione ad Apostolorum Limina iter susceperat, ita Nicolaum I., qui electus fuit Pontifex anno DCCCLVIII., ad Hincmarum Archiepiscopum Rhemensem scripsisse = *Usque ad mortem pœnitentiæ ejus quantitas extendi debuerat, sed ob devotionem ejus fidei, sive quia ad suffragia Apostolorum festinavit, humanius cum illo peregimus* = Sædem Apostolicam adiit Sæculo X. Salomon Constantiensis Episcopus, qui circa annum DCCCCLXXX. vixit ob procuratam trium adversariorum suorum necem, *veniam* = petiturus, a Papa *vero benigne susceptus, cum ibi supplicans aliquandiu moraretur, indulgentiam sibi ab eo plorans petiit. Tandem ab Apostolico indulgentiam adeptus domum revertitur*, = (inquit Ekkehardus *parte 1. pag. 45.*) Eodem sæculo, plenæ remissionis obtinendæ gratia; Sanctorum Apostolorum Limina visitasse Vdalricum Augustensem Episcopum, habes apud Gerardum in ejus vita n. 61. Is quippe Romam ultimo profectus, = *votorum antea ibi dispositorum promissionibus devotissime expletis, & gravissimarum Emolumentorum & Indulgentiarum donis acceptis, reversus est.* = Non dissimili gratia donatum refert Gregorius VII. *lib. pr. Epist. 77. ad Beatricem & filiam ejus Methildem*, Guarnerium Argentoratensem Episcopum, qui ad Alexandrum II. accesserat, exhibitis veræ compunctionis signis = *Cum tanta fatiga-*

tigatione (verba sunt Epistolæ Laudatæ) *sicut audivimus, jejunando pariter, & pleramque pedes eundo, compunctionem suam & obedientiam demonstravit, ut Confratres nostri pro competentia eorum temporum miserendum sibi fore existimarent, & decernerent* = Ex hoc fortassis veteri Christifidelium more adeundi Sanctorum Apostolorum Limina percipiendæ Indulgentiæ causa, prodiit apud Saracenos impia consuetudo peregrinandi ad Maumethi sepulchrum falso existimantes, plenam peccatorum veniam se obtenturos; adeo ut, interempto uno ex Christianis, idem remissionis beneficium compararetur = *Qui non potest peregrinari ad Mecham.* (inquiunt Saraceni apud Raynaldum ad annum MCCCXIX. *n.*32.) *Si unum interficiat Christianum, ita plenam obtinet veniam peccatorum, ac si Meccham personaliter visitasset.*

Ea tamen viguit inter Summos Pontifices & Episcopos mutua Charitas humanitasque, ut Pœnitentes ab Episcopis ad Sedem Apostolicam missi iterum a Summis Pontificibus ad Episcopos dirigerentur. Ablegatum ad Alexandrum II. ab Italiæ Antistite Presbyterum quendam invenimus, qui Presbyterum alium de medio sustulerat, ut pro tam infando facinore condigna animadversione corriperetur; cui Pontifex (ut ex ejus *Epistola* 29. deprehenditur) quatuordecim annorum pœnitentiam injunxit, qui numerus dimidio minor erat eo, quem Canones illa ætate consueti pro memorato crimine definierant: præcepitque, ut statutam pœnitentiam impleturus in Monasterio recluderetur, facta Episcopo, vel Abbati potestate post triennium minuendi pœnitentiæ rigorem ac tempus = *Et si tibi,* inquit Pontifex, *vel Abbati videtur sibi remittere, si hunc observasse pœnitentiam videris, post tres annos liceat* = Salisburgensem pariter Episcopum exoravit Gregorius VII. ut alteri Pœnitenti, veniæ aliquid faceret, contemplatione Romanæ peregrinationis; ut habetur ex *lib. Epistolar.* Ejusd. *Epist.* 30. ibi: = *Pro amore S. Petri, cujus Limina præsentium portitor requisivit, studeat religio tua viscera pietatis sibi aperire: quatenus non pœniteat eum tanti itineris laborem subiisse.*

Ast non solum personales indulgentiæ, verum etiam Locales ad hæc tempora pro Ecclesiarum Dedicationibus referuntur concessæ. Ad finem Sæculi x. habes mandatum Pontii Arelatensis Archiepiscopi; ut deprehenditur ex ejus Epistola, quæ habetur *tom.6. Spicileg. Dacher. pag.* 427. in Dedicatione Ecclesiæ Montis-Majoris, ubi annuæ remissionis ordo, pœnitentiarumque dispensatio ita describitur = *Si talis est, qui per indictam sibi pœnitentiam non introeat in Ecclesiam, nec communionem Corporis Christi, nec osculum pacis, nec capillos sibi tondeat, aut radat, nec linum vestiat, nec feria secunda, aut quarta, aut sexta aliquid gustet præter panem & aquam: hic si ad dictam Ecclesiam venerit in die Dedicationis, aut semel in anno, & adjutorium dederit ad opera Ecclesiæ, ex parte Domini nostri Jesu Christi & ex nostra sit absolutus de tertia parte majorum peccatorum unde pœnitentiam habet susceptam, usque ad ipsum diem revertentis anni, & habeat licentiam intrandi in totas Ecclesias, per totum ipsum annum, communicandi, & panem accipiendi, & tondendi, & radendi, & lini vestiendi, excepto quadragesimali tempore, & jejuniis de quatuor temporibus, et si tres dies de septimana sunt ei vetiti per pœnitentiam, unum reddimus ei & comedat & bibat quod ei Deus dederit, duos alios jejunet; & si duo unum reddimus ei; & si unus, illum reddimus ei tali tenore, ut pascat tres pauperes. Denique illos, qui de minoribus peccatis sunt confessi & habeant pœnitentiam acceptam, si venerint ad Dedicationem Ecclesiæ aut semel in anno cum adjutorio ad opera Ecclesiæ, absolvimus de una medietate acceptæ pœnitentiæ usque ad unum annum. Omni anno absolutio, quæ facta fuit in Dedicatione, celebrabitur annua remissione, si venerint Pœnitentes.* = Non dissimilem remissionem a prædicta, præclaræ Ecclesiæ Magalonensi Synodaliter dedit ad undecimi sæculi exordium, Gaufredus Archiepiscopus Narbonensis. Ita apud Philippum Labbeum habet antiquus Cathalogus Episcoporum Magalonensium, ad Episcopatum Arnaldi. Alias duas hujusmodi concessiones affert Mabillonius *in præfat. Sæculi* v. *Benedictin*, unam factam pro Ecclesia S. Victoris Massiliensis, alteram pro Ecclesia Cassinensi = *Indefinite* (inquit) *tunc temporis indul-*

gentiæ concedebantur, *sequenti sæculo ad certum tempus*, *vel in perpetuum*, *& quidem passim ab occasione Dedicationis Ecclesiarum. Benedictus XI. indulget*, *ut omnis pœnitens*, *qui ad Limina Ecclesiæ S. Victoris Massilensis recens dedicatæ tritis passibus venerit*, *Ecclesiæ fores sibi pateant*, *& indultis facinoribus peccaminum*, *omnium criminum squalloribus absolutus*, *libere ad propria lætus redeat*; *eo scilicet tenore*, *ut de reliquo emendetur* . . . . . *Celebris & plena fuit indulgentiarum gratia ab Alexandro* II. *concessa in Dedicatione Ecclesiæ Cassinensis*, *tam iis*, *quos præsentes esse contigerit*, *quam omnibus*, *qui per octo continuos dies eo conventuri essent*, *confessorum peccatorum absolutione concessa* = In Sexto Tomo Spicilegii Dacheriani ad annum MLXV. extat Epistola Rajambaldi Archiepiscopi Arelatensis pro Dedicatione Ecclesiæ S. Mariæ de Cerreno Gallo-Provinciæ vico, in qua legitur: ut Pœnitenti qui ad eam in consecratione ejus advenerit = *tertiam partem pœnitentiæ* remittat Episcopus *Et Ecclesiam* (idest ejus ingressum) *usque ad caput anni ei reddat* = idque ibi ad dictum annum MLXV. refertur. In codice manuscripto Lucensis Ecclesiæ servato inter Bibliothecæ Vaticanæ libros reperitur, Alexandrum II. anno MLXX., expleta dictæ Ecclesiæ solemni Dedicatione concessisse, *ut octo dierum spatio Dedicationis memoria perageretur annis singulis*, *concessa indulgentia pœnitentiæ*. Cum Andegavos se contulisset Urbanus II. anno MXCVIII. = *Tunc in septuagesima dedicata est* Ecclesia ab ipso Papa, qui edicto jussit, *ut in eodem termino*, *quo Dedicationem fecerat*, *indictum publicum celebraretur uno quoque anno apud S. Nicolaum*, *& septima pars pœnitentiarum populo convenienti ad illam celebritatem dimitteretur* = ut inquit Fulco Comes in *Spicilegio Dacherian. tom.* 10. *pag.* 396.

§. V.

Indulgentiæ labente sæculo XI. *aliisque subsequentibus sæculis datæ*, *necnon Ecclesiæ statuta contra earum Excessus & Abusus*.

LATIOR ac locupletior est Indulgentiarum materia labente sæculo XI. aliisque subsequentibus sæculis, quam reperimus tum diversa forma, tum uberioribus ac frequentioribus concessionibus ab hactenus descriptis illustratam. Retroactis siquidem temporibus sive datas ad Martyrum Libellos inspicias, sive pœnitentiarum Redemptiones, sive quascumque alias remissiones, raro totum onus implendæ satisfactionis, ut deinde observatum est, generaliter expungebatur. Hujus majoris beneficentiæ exemplum eluxit in Hierosolymitana Expeditione anno MXCV. in Concilio Claramontano indicta, Urbano II. ibi Præside, plenam omnium peccatorum veniam despondente Hierosolymam pro Terra Sancta recuperanda proficiscentibus. Existimavit Summus Pontifex, nec immerito, defatigationes, labores, asperitates, expensas, Patriæ, Familiæque abdicationem, vitæque pericula, quibus sacra Expeditio veluti condiebatur, multorum annorum pœnitentialium Canonum oneribus æquiparari. Ne vero timor proprias facultates amittendi tam eximium opus præpediret, placuit Urbano II. Patribusque ibi congregatis, Synodali decreto bonorum omnium tuitionem iis polliceri, qui tesseram militarem assumerent, signum nempe Sanctissimæ Crucis rubri coloris supra scapulam dexteram impressum, donec rediissent. Cujus decreti virtute, si qua de rebus ad Crucesignatos pertinentibus quæstio moveretur, Episcoporum munus erat de ea cognoscere, ac invasores censuris obstringere. Ad hanc Expeditionem libenti animo suscipiendam Urbanum Pontificem his verbis adhortatum fuisse Christifideles, refert *Guillelmus Tyrius lib.* 2. *de Bello sacro* = *Furta*, *incendia*, *rapinas*, *Homicidia & cætera*, *qualia qui agunt Regnum Dei non possidebunt*, *hoc Dei benepla-*

placito redimite obsequio, ut delictorum, quibus ad iracundiam provocastis, celerem indulgentiam, hæc vobis obtineant pietatis opera, & deprecatio collata Sanctorum. Monemus igitur, & exhortamur in Domino, & in remissionem peccatorum injungimus, ut Fratribus nostris, & cælestis Regni cohæredibus, qui Hierosolymis, & in finibus ejus habitant, afflictioni & laboribus compatientes, Infidelium insolentiam debite compescatis animadversione . . . . . Nos autem misericordia Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum auctoritate confisi, Fidelibus Christianis, qui contra eos arma susceperint, & onus hujus peregrinationis assumpserint, immensas pro suis delictis pœnitentias relaxamus. Qui autem in vera pœnitentia decesserint, & peccatorum indulgentiam & fructum æternæ mercedis se non dubitent habituros = Ideoque *Can.* I I. dicti Concilii relato *dist. 6. cap. Nullus* = habetur = *Quicumque pro sola devotione, non pro honoris, vel pecuniæ adeptione ad liberandam Ecclesiam Dei Hierusalem profectus fuerit, iter illud pro omni pœnitentia reputabitur.* = De Oratione laudata Urbani mentionem faciunt pariter Robertus Monachus in *Historia Hierosolymitana lib.* I. Baldricus Archiep. in *Hist. Hierosolym.* Fulcherius Carnotensis in *Gest. peregrination. Francor.*, Guibertus Abbas in *Hist. Hierosolym.* De cujusvis generis & conditionis hominum multitudine, quæ sacram hanc peregrinationem aggressa est, hæc refert Gulielmus Malmsburiensis *lib.* 4. = *Destituebantur agri cultoribus, Ædes habitatoribus, totis porro migrabatur Urbibus, nullus necessitudinum amor, affectus patriæ vilis. . . . Gaudium erat euntibus, mæror remanentibus. Videres Maritum cum Matrona cum omni postremo familia euntem. Videres Carpentis impositos totos in iter transferre penates. Angustus erat limes transeuntibus, arctus trames itinerantibus, sic ruebant agmina serie longa trahentia. Opinionem hominum vincebat numerus, quamvis existimaretur sexagies centum millia itinerantium.*

Visum est Christiano Lupo, Urbanum I I. Turpinum Rhemensem Archiepiscopum imitatum fuisse, de quo refert *tom. 5. dissert. de Satisf. & Indulg.*, suis subditis plenam remissionem dedisse comitantibus Carolum Magnum ad sacrum bellum contra Saracenos Hispaniarum Regna devastantes susceptum. Sed fides sit penes Authorem. Hoc unum nobis innuere sufficiat; omnium fere Scriptorum opinione comprobatum, tam amplas generalesque Indulgentias pro Expeditionibus contra Infideles indictas, non fuisse sæculo X I. antiquiores. Majori cum fundamento asseri potest, Urbanum I I. exemplum sibi proposuisse Victoris I I I. prædecessoris sui, qui anno MLXXXVII., ex omnibus fere Italiæ populis exercitu instructo, militarem expeditionem congregavit adversus Saracenos, Italiæ jugiter littora infestantes, atque Christianos captivos arripientes; iis autem militibus Christianis vexillum S. Petri dedit, addita remissione omnium peccatorum = *Æstuabat* [inquit Leo Cassinensis *lib.* 3. *cap.* 70.] *idem Apostolicus Victor Saracenorum in Africa morantium superbiam frangere, perfidiamque coercere. Concilio itaque cum Episcopis & Cardinalibus habito, ex omnibus ferè Italiæ populis exercitum congregans, illisque vexillum Beati Petri Apostoli tradens sub remissione peccatorum omnium, contra Infideles Impiosque in Africam dirigit. Christo itaque Duce ingressi in Africam centum millia pugnatorum occiderunt* = De qua expeditione loqui videtur Bertholdus in *Chronic.* ad annum MLXXXVIII. & si rem paulo aliter narret.

Quod salubriter in Claramontano Concilio Urbanus I I. edixerat, Calistus I I. in Concilio Lateranensi I., Generali IX. innovavit, declaravitque tum fructum, tum finem Hierosolymitanæ Expeditionis *can.* X I. relato *dist.* 61. *cap. ultimo*, Extenditque eandem Indulgentiæ & relaxationis ubertatem amplectentibus aliam expeditionem contra Mauros Magnæ Hispaniæ parti dominantes = *Eis, qui Hierosolymam proficiscuntur* [sunt verba Canonis memorati] *& ad Christianam gentem defendendam, & tyrannidem Infidelium debellandam efficaciter auxilium præbuerint, suorum peccatorum remissionem concedimus: & domos & familias, atque omnia bona eorum in Beati Petri & Romanæ Ecclesiæ protectione,*

ne, ficut a Domino noftro Urbano ftatutum fuit, fufcipimus . . . . . eos vero, qui pro Hierofolymitano, vel Hifpanico itinere Cruces fibi in veftibus pofuiffe nofcuntur, & viam dimififfe, Cruces iterato affumere, viam ab inftanti Pafcha ufque ad fequens proximum Pafcha perficere, Apoftolica authoritate præcipimus. Alioquin ex tunc eos ab Ecclefiæ introitu fequeftramus. In omnibus Terris eorum Divina officia, præter Infantium Baptifma & morientium pænitentias, interdicimus = Id factum refert Baronius ad annum MCXXII., in quo certe fallitur, Robertus enim de Monte Concilium Romanum, quo controverfia de Inveftituris compofita eft, (quod certe aliud non eft a Lateranenfi I. in quo hæc Indulgentia facta eft) anno MCXXIII. celebratum teftatur = *Anno*, inquit, MCXXIII *Concilium Romæ celebratur, pax inter Regem & Sacerdotem reformatur, & jus Inveftiturarum Epifcopalium ab Imperatore exfeftucatur* = Simon etiam Dunelmenfis in *Hiftoria de Geftis Regum Angliæ*, Fulco Beneventanus in *Chronico*, paffimque Scriptores, qui hoc fæculo vixere, iftud Concilium cum anno MCXXIII. illigant.

Idem plenariæ remiffionis beneficium conceffit poftea Eugenius III. anno MCXLV. in fui Pontificatus exordio, pro alia Expeditione in Terram Sanctam, auditis Legationibus e Syria miffis, de damnis ab Infidelibus illatis, Edeffa Capta, Antiochia & Hierofolymis in difcrimen adductis, ut colligitur ex *Epiftola* Eugenii Pontificis ad Ludovicum VII. Galliarum Regem, cæterofque Principes ac Fideles in Galliis exiftentes: ibi = *Nos autem veftrorum quieti, & ejufdem Ecclefiæ deftitutioni paterna follicitudine providentes, illis, qui tam Sanctum tamque perneceffarium opus & laborem devotionis intuitu fufcipere, & perficere decreverint, illam peccatorum remiffionem, quam præfatus Prædeceffor nofter Urbanus inftituit, auctoritate nobis a Deo conceffa confirmamus* = Pluribus vero privilegiis recenfitis pergit Pontifex in Epiftola laudata. = *Peccatorum remiffionem & abfolutionem juxta Prædecefforis noftri inftitutionem, Omnipotentis Dei & Beati Petri Apoftolorum Principis auctoritate nobis a Deo conceffa, talem concedimus, ut qui tam fanctum iter devote inceperit & perfecerit, five ibidem mortuus fuerit, de omnibus peccatis fuis, de quibus corde contrito, & humiliato confeffionem fufceperit, abfolutionem obtineat, & fempiternæ retributionis fructum ab omnium Remuneratore percipiat* = Juxta Eugenii votum de hac contra Turcas Expeditione in Galliis anno MCXLVI. tractatum eft in Concilio apud Vizeliacum celebrato; de ea pariter meminere Anonymus in *Geft. Ludovici* VII. *apud du Chefn Tom.* 4. *Hift. Franc.* Chronicon Mauriniacenfe, & Odo de Diogilo, qui *lib.* I. *de profectione Ludovici in Orientem* de Eugenio loquens inquit = *Optabat ipfe tam Sancto operi manum imponere, fed, Tyrannide Romanorum præpeditus non potuit, Sancto vero Claravallenfi Abbati Bernardo curam iftam delegavit: Tandem dies adfuit Regi optatus: Abbas etiam Apoftolica authoritate, & propria fanctitate munitus, & convocatorum maxima multitudo loco & termino pariter adfuerunt* (nempe Concilio Vizeliacenfi). *Sufcepit ergo Rex a Summo Pontifice fibi miffum Crucis infigne, & Proceres multi cum eo* = Extat D. Bernardi Abbatis fermo exhortatorius ad Milites Templi, in quo refert, omni vitiorum genere fœdatos viros, facram hanc Expeditionem fuiffe amplexatos pro canonicarum pœnitentiarum relaxatione obtinenda = *Pauci admodum* (verba funt dicti fermonis) *in tanta multitudine hominum illò confluere videas, nifi utique fceleratos & Impios, Raptores & Sacrilegos, Homicidas, Perjuros, Adulteros de quorum profectione ficut duplex conftat quoddam provenire bonum, ita duplicatur & gaudium; quandoquidem tam fuos de fuo difceffu lætificant, quam illos de adventu, quibus fubvenire feftinant. Profunt quippe utrobique, non folum utique ipfos tuendo, fed etiam ipfos non opprimendo. Itaque lætatur Ægyptus in profectione eorum, cum tamen de protectione nihilominus lætetur mons Sion, & exultent Filiæ Judæ* = In alia ejufdem Sancti Abbatis *Epift.* 246. virorum pene immenfa multitudo defcribitur his verbis = *Vacuantur Urbes & Caftella, & pene jam non inveniunt, quem aprehendant feptem mulieres virum unum, adeo ubique viduæ remanent viris* = Quanta autem

tem fiducia plenam remissionem percipiendi undique confluentes dictam sacram Expeditionem susceperint, testis est Otho Frisingensis, qui eidem interfuit cum Fratre suo Conrado Germaniæ Rege *lib. 1. de Gestis Friderici* I. *cap.* 40.

Ut ad aliam Hierosolymitanam Expeditionem Christifideles alliceret Cælestinus III. anno MCXCV. plenariam omnium peccatorum remissionem ad eam proficiscentibus dedit, non dissimili usus forma a prædecessoribus Pontificibus adhibita; ut colligitur ex ejus *Epist. ad Hubert. Cantuarien. Archiepisc.* data, quam refert Baronius ad dictum annum = *Nos autem* (sunt verba Epistolæ memoratæ) *illis, qui pro Divinitatis amore hujus peregrinationis laborem assumere, & quantum in se fuerit implere studuerint, de indulto nobis auctoritatis officio illam remissionem impositæ pœnitentiæ per Sacerdotale ministerium facimus, quam Prædecessores nostri suis noscuntur temporibus statuisse; ut videlicet, qui corde contrito & humiliato spiritu laborem hujus peregrinationis susceperint, & in pœnitentiam peccatorum hoc iter expedierint, si in fide decesserint, plenam suorum criminum indulgentiam & vitam consequantur æternam.*

Non dissimile spirituale munus cum pluribus privilegiis majori, novaque liberalitate dispensavit Innocentius III. anno MCCXV. in Concilio Lateranensi IV. Generali XII., facta ejus exstensione ad eos etiam Christifideles, qui ad Sacra Bella propriis sumptibus milites alendos destinarent: redditque hujus Indulgentiæ participes eos omnes, qui juxta conditionis & facultatis suæ qualitatem ac devotionem vel propriis redditibus, vel consilio saltem, tam pium opus adjuvarent. Statuit insuper Innocentius in eodem Concilio, ut Crucesignati anno MCCXVII. calendis Junii in Regnum Siciliæ convenirent, quo personaliter accedere proposuit tum ut Sacræ Expeditionis negotium ejus consilio felicius promoveretur, tum ut Christianus Populus cum Divina & Apostolica benedictione ad Terræ Sanctæ subsidium proficisceretur. Hæc habes ex Decreto Concilii prælaudati infra §. 7. *n.* 1. recitando. Plurimos Reges ac Principes hanc Sacram Expeditionem in Concilio Lateranensi Generali solemniter indictam, Indulgentiæ plenariæ comparandæ gratia suscepturos eidemque opem allaturos fore, sperabatur; verum Innocentio III. e vivis sublato anno MCXVI. decimo septimo calendas Augusti non responderunt votis & expectationi successus, piis Synodi & Innocentii Pontificis consiliis funestis casibus præpeditis; Petrus enim Corteniacus Constantinopolitanus Imperator a Theodoro Comneno captus & in vincula conjectus nullum valuit auxilium Sacræ Expeditioni præbere: Germania, ob controversiam de Imperio inter Othonem & Fridericum excitatam, non poterat opus tam sanctum suis viribus adjuvare: Gallia partim de Campaniæ Principatu Theobaldum inter & Everardum ambigua inter contentiones detinebatur, partim Albigensium rebellione fluctuabat: Aragonia pro restitutione Tolosani Comitis instructis militum copiis contendebat: Italia denique tranquilla pace minime fruebatur. Crucesignatis tamen Messanam anno MCXVII., ut constitutum erat, adeuntibus, Honorius III. Pontifex Innocentii successor Archiepiscopum Cusentinum illuc legavit, eos pro concione hortaturum, ut armis tum spiritualibus tum militaribus roborati sese mutuo charitatis studio complecterentur. Id constat ex *Epistola* 500. *libri* 1. *Registri Honorii Papæ*, qua pariter reddit rationem, cur Messanam non perrexerit, quo Innocentius III. se profecturum promiserat ad fausta Crucisignatis precandum = *Sane*, inquit, *cum felicis memoriæ Innocentius Papa prædecessor noster, inspirante Domino, aspirans ad subsidium Terræ Sanctæ disposuerit personaliter hoc tempore accedere in Siciliam, si Dominus annuisset, ut ipsius consilio & auxilio disponeretur salubriter populus Christianus, cum benedictione Divina & Apostolica profecturus, nos qui eidem in onere successimus & honore, si viderimus aliquatenus expedire, libenter illuc personaliter venissemus, ut pote qui ad promovendum tantum Christi negotium modis omnibus aspiramus; sed cum gens sine duce, ac sine capite procedere videatur, non fuit de Fratrum nostrorum vel aliorum consilio, ut nunc in Siciliam accedere deberemus, ne si hac vice non impleretur desiderium populi Christiani, crederetur de cætera res desperata. Cæterum ne ibi omnino re-*

pu-

putemur absentes, absentiam nostram per tui præsentiam) scilicet Archiepiscopi Cusentini) *Providimus compensandam &c.* Deinde Albanensi Episcopo Legationem Apostolicam commisit, ut vice sua Sacræ Expeditionis negotium ordinaret atque disponeret.

Relatis autem Indulgentiæ plenariæ largitionibus non possumus non accensere Indulgentiam *Portiunculæ* nuncupatam; ea quippe sola, abunde sufficeret ad statuendam tum Ecclesiæ in dandis remissionibus peccatorum potestatem, tum plenam in terris authoritatem Summi Pontificis. Id non raro Paulum IV. dixisse testatur Michael Medina *in tract. de indulg. disp.* 1. *cap.* 13. his verbis = *Hæc historia adeo ingentis momenti est, ut quod Paulus* IV. *Sanctæ memoriæ frequenter dictitare solebat, ea sola, non tantum ad asserendam Ecclesiasticam potestatem concedendi indulgentias, sed etiam, ad Pontificis auctoritatem adstruendam, abunde sit* = Sed proximius ad tam celebris Indulgentiæ historiam accedamus.

Cum D. Franciscus Assisiensis pro salute Christifidelium procuranda charitatis incendio conflagraret, quadam nocte Assisii in Ecclesia S. Mariæ Angelorum *de Portiuncula* totus orationi affixus, a Christo, qui cum Beatissima Virgine Maria ei apparuerat, gratiam instantissime postulavit; ut quotquot rite confessi, in Sacram illam Ædem, ubi morabatur, introirent, plenam omnium peccatorum veniam obtinerent. Non renuit Christus Francisci preces admittere, eum tamen pro gratiæ impetratione ad Romanum Pontificem (qui tunc erat Honorius III. Perusii commorans) voluit dirigere, cui Claves ligandi atque solvendi in terris commendaverat. Quid egerit deinde Franciscus cum Romano Pontifice, ita narrat Wadingus *tom.* 2. *Annal. Minor. ad annum* MCCXXI. *n.* 21. = *Mane facto, Beatus Pater, eis convocatis* (nempe sociis) *præcepit, ne cui præfata vulgarent; assumptoque socio Fratre Masseo de Marignano, ad dominum Papam Honorium, tunc cum Curia Perusii commorantem profectus est; apud quem introductus humiliter ait: Sancte Pater, nuper ad honorem Beatæ Virginis Matris Christi, vobis Ecclesiam quamdam restauravi: supplico itaque Sanctitati vestræ, ut in ea Indulgentiam liberam absque oblationibus instituas. Respondit Pontifex: Hoc convenienter fieri non posse, quoniam qui indulgentiam obtinere cupit, debet eam aliquo modo promereri, præsertim manum adjutricem extendendo. Sed indica mihi, inquit, quot annorum indulgentiam petis illic institui? Respondit Sanctus. Beatissime Pater & Domine, placeat sanctitati vestræ non tam donare annos, quam animas. Et quomodo, inquit Pontifex. animas! vis animas? velim, ait Beatus Franciscus, placeat Sanctitati vestræ, quod quicumque ad illam Ecclesiam venerint contriti & confessi, atque, uti decet, per Sacerdotem absoluti, ab omni culpa & pœna liberentur in Cælo & in Terra, idque a die sui baptismatis usque ad diem & horam introitus præfatæ Ecclesiæ. Ad hoc Pontifex. Magnum est quod petis Francisce, nec est Curiæ Romanæ consuetudo hujusmodi Indulgentiam largire. Respondit Beatus Franciscus. Quod peto Domine, non ex me postulo, sed ex parte ejus, qui misit me Dominus Jesus Christus; statimque Papa intulit, ter publice dicens: Placet mihi quod hoc habeas; domini tamen Cardinales, qui aderant, dixerunt: Videte Domine quid agatis, si enim huic tantam conceditis Indulgentiam, ultramarinam Indulgentiam destruitis, & insuper ipsa, quæ ad Limina Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli instituta est, deinceps non æstimabitur. Ait eis Papa: Dedimus & concessimus, non expedit irritum facere, quod actum est; Sed modificemus Indulgentiam, ut ad diem tantum naturalem protendatur. Revocato itaque Beato Francisco, dixit: Ecce concedimus ex tunc, quod quicumque venerit & intraverit Ecclesiam, pro qua postulas, rite confessus & contritus, liberetur ab omni culpa & pœna. Istud autem valere volumus per diem tantum naturalem a primis vesperis includendo noctem, usque ad vesperas sequentis* = Verum elapsis duobus annis, & nondum destinata die, qua Fideles tam eximii beneficii fructum participarent; Franciscus Divino monitus oraculo ut designaret diem, qua S. Petrus Apostolus fuit a vinculis mirabiliter absolutus, incipiendo a secundis vesperis dictæ diei, qua canit Ecclesia = *Deus, qui Beatum Petrum Apostolum a*

vin-

vinculis absolutum, illæsum abire fecisti, nostrorum, quæsumus absolve vincula peccatorum &c.: usque ad vesperas sequentibus diei, includendo noctem intermediam, Romam profectus, quo Honorius III. advenerat, ab eo, pro statuta divinitus die, gratiæ concessæ confirmationem obtinuit.

Scimus plerosque de hujus Indulgentiæ veritate dubitare, & præsertim Kemnitium acerrimum Indulgentiarum impugnatorem impudenter mentiri, dum refert, Seraphicum Patriarcham Franciscum coram Summo Pontifice, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus sacra stygmata, tamquam sigilla Bullæ Indulgentiæ, quam postulaverat, ostentasse. Cæterum nullus Author, ipso excepto, hoc refert, aut somniat; imo nedum verum non est (ut pie docteque monet Cardinalis Bellarminus) sed nec verosimile, virum summe studio humilitatis addictum, qui Æterni Regis secretum abscondere optime noverat, Divinæ beneficentiæ charismata jactasse. Rursus anachronismi facile posset redargui Kemnitius; S. enim Franciscus (ut ex Wadingo aliisque probatis Historicis didicimus) primo *Portiunculæ* Indulgentiam anno MCCXXI. ab Honorio III. impetravit, ac duobus interjectis annis ejus confirmationem anno scilicet MCCXXIII., sacrorum vero stygmatum impressionem anno MCCXXIV. obtinuit. Sed non immerito vellet Kemnitius hujus Indulgentiæ historiam falsam ac fabulosam existimari; ea quippe, non tantum in Ecclesia Indulgentiarum usus & virtus, summique Pontificis potestas validius confirmantur, ut dicebat Paulus IV., verum etiam aliud Ecclesiæ dogma de Sacramentali Confessione, Heterodoxorum dicteriis impugnatum, perspicue declaratur; Christus siquidem ita annuit votis S. Francisci eam Indulgentiam petentis, ut tamen non nisi per suum in terris Vicarium Romanum nempe Pontificem voluerit obtineri: illamque rite confessis, & per Sacerdotes absolutis prædictam Ecclesiam *Portiunculæ* certa die visitantibus prodesse.

Quod si dixeris silentium D. Bonaventuræ de hujus Indulgentiæ concessione, qui tam accuratam Seraphici Patriarchæ moribus, gestisque describendis operam navavit, non leviter rælatæ historiæ officere veritati; responsio in promptu est: ea, quæ omnibus patent, ita nota sunt, ut Scriptoribus non indigeant. Superfluum itaque censuit Scriptor seraphicus enarrare, quod ea ætate de *Portiunculæ* Indulgentia erat omnibus constanti fama vulgatum. Eo vel maxime, quod quamquam compertum sit, argumenta hujusmodi negativa sæpe magna cum laude tempestive adhiberi, eorum tamen vis sæpe etiam parva, aut nulla est, tum præsertim quum uno silente Auctore, aliorum suffragia non desunt, & ad historiæ fidem conciliandam plura alia supersunt, quæ eam probent, monumenta. Supplent sane Seraphici Scriptoris silentium duo synchroni testes, quorum primus est Frater Masseus de Marignano deponens, se fuisse socium S. Francisci, quando ad ipsius preces Honorius III. Ecclesiam Sanctæ Mariæ de *Portiuncula* Indulgentiæ plenariæ munere decoravit = *Quod ipse fuit* (ita habetur ex depositione authentica Fratris Massei laudati) *cum Beato Francisco apud Perusiam, ante præsentiam Sanctæ Memoriæ Domini Papæ Honorii, quum petivit Indulgentiam omnium peccatorum pro illis, qui contriti, & confessi convenirent ad locum Sanctæ Mariæ de Angelis, quæ alio nomine Portiuncula nominatur, prima die Kalendarum Augusti, a vespere dictæ diei, usque ad Vesperas sequentis diei; quæ Indulgentia cum fuisset tam humiliter postulata, fuit tandem a Summo Pontifice liberalissime & gratissime concessa; quamvis diceret ipse Summus Pontifex: non esse consuetudinis Apostolicæ talem Indulgentiam facere* = Secundus est Petrus Salphanus referens, se pariter præsentem fuisse promulgationi dictæ Indulgentiæ factæ a D. Francisco coram Episcopis, illumque ita loquentem audivisse = *Ego volo vel omnes mittere in Paradisum: & annuntio vobis Indulgentiam, quam habeo ab ore Summi Pontificis: omnes vos, qui venistis hodie, & omnes qui venient annuatim tali die bene contriti, habebunt Indulgentiam omnium suorum peccatorum* = Hi autem duo testes nedum referuntur a Wadingo ex authenticis sui Ordinis monumentis, verum etiam a Balutio *tom.4. Miscellan. pag.490. ex manuscrip. Biblioth. Colbertinæ*. Rursus universam dictæ Indulgentiæ historiam

F plene

plene probant literæ testimoniales Teobaldi Episcopi Assisiensis, quarum Authographum servatur Romæ in Archivio Conventus Patrum Minorum Conventualium ad Sanctos Apostolos signatum quadruplici charactere T. Floruit autem Teobaldus circa annum MCCCVIII., egitque cum Fratre Marino nepote Fratris Massei (quem socium S. Franciscus elegerat, quum primum Perusium profectus est de ea Indulgentia eum Honorio III. tractaturus,) ut totam rei seriem exactissimè intelligeret: eamque insuper, (ut ipse ait) perceperat, a pluribus, qui tunc ex multis longinguis Regionibus Assisium confluxerant, atque a BB. Leone, Benedicto & Raynerio Aretinis S. Francisci sociis individuis. Prædictis literis testimonialibus ad eam historiam magis confirmandam addi possunt, præter Pisanum *lib. 1. cap. 22.*, Marcum Ulysipponensem *lib. 2. cap. 2.* aliosque graves & probatos Authores, Romanum Martyrologium Venetiis impressum MDIX., aliaque duo Francisci Maurolici & Joannis Molani pariter Martyrologia. Deterruisset nos jure merito tam prolixa hujus Indulgentiæ probatio, nisi excitasset utilitas, ut ea firmiter propugnata, quasi armamentarium habere possimus, unde tela opportune victricia depromamus ad conterendos Ecclesiæ hostes subinde hinc, illincque emergentes.

Cæterum, an Indulgentia *Portiunculæ* temporum decursu a Sede Apostolica iis fuerit extensa, qui ad dictam sacram Ædem cunctis diebus devote contriti & confessi accessissent, non leve superiori quo vivimus sæculo dissidium inter Patres Minores Conventuales, & Minores de Observantia novimus excitatum. Ad prædictæ Indulgentiæ extensionem tuendam innitebantur potissimum prædicti Patres Minores de Observantia antiquæ ea de re traditioni, imo & vivæ vocis Oraculo Pauli III., quem sub mense Septembris anno MDXLIV. id concessisse ex authenticis literis testimonialibus Massei Bardi olim Episcopi Clusini, asserebatur, quarum tenorem hic referimus = *Fidem indubiam facimus & veritatis verbo attestamur, qualiter de anno millesimo quingentesimo quadragesimo quarto, de mense Septembris infra octavam Nativitatis B. Mariæ Virginis Sanctissimus in Christo Pater & Dominus noster Dominus Paulus Divina providentia fel. record. Papa III. dum esset Perusii in Conventu Sancti Francisci de Monte Fratrum Minorum Observantiæ ad puteum S. Egidii, ubi omnes Fratres ejusdem Conventus, inter quos, & nos tunc temporis adscripti eramus, & sanctissimos ejus pedes deosculaæmur R.P. Fr. Masseus de Perusio, tunc Vicarius ejusdem Conventus narravit prælibato Sanctissimo D.N. Papæ, Fratres omnes Minores de Observantia pie credere, omnes Christifideles intrantes Cappellam D. Mariæ Angelorum de Assisio consequi semper plenariam Indulgentiam, prout consequuntur Kalend. Augusti: & audivisse præfatum Sanctissimum D.N. Papam dixisse: sic & nos hucusque credidimus, & quatenus in eadem Cappella plenaria Indulgentia, prout vos credidistis, non esset, prout & nos credidisse attestamur, eam ponimus, & auctoritate Apostolica concedimus. Et quoniam omnia & singula, dum sic agerentur, audivimus, & una cum multis aliis Fratribus, & præsertim R. P. F. Josepho Rosciolo, tunc temporis Guardiano in eodem Conventu, & præfato Fratre Masseo præsentes fuimus, propterea ad perpetuam rei, sicut supra gestæ memoriam, has præsentes fieri jussimus, per nos subscriptas, & nostro, quo in similibus utimur, majori sigillo muniri fecimus, & per infrascriptos Notarios publicos subscribi. In quorum omnium & singulorum fidem &c. Datum ex Ædibus nostris Episcopalibus in Terra Castri Plebis die VII. Mensis Octobris MDLXXXVIII. Indictione prima Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Domini Sixti divina providentia Papæ V. anno IV.* = Hinc factum est ut supra januam Ecclesiæ *Portiunculæ* hoc carmen fuerit inscriptum = *Augusti hic veniam dat tibi quæque dies* = Rei tamen negotio ad sacram Congregationem Supremæ & Universalis inquisitionis delato, libritisque rationibus hinc inde deductis, a memorata sacra Congregatione responsum est sub die 3. Octobris anno MDCLXXXXI. = *Ex hactenus deductis non constare de dicta Indulgentia quotidiana perpetua; & proinde abradendam, seu removendam esse inscriptionem super Januam cappellæ Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Angelorum Assisii: sci-*

scilicet: *Augusti hic &c.* = ut plenius habetur infra in Decreto §. 7. n. XXVII.

Post emanatam vero hanc sacræ Congregationis Supremæ & Universalis Inquisitionis responsionem enixis precibus nonnulli Reges ac Principes supremi ab Apostolica Sede humiliter postularunt, ut Ædes Sanctæ Mariæ de *Portiuncula* Indulgentiæ plenariæ quotidianæ munere decoraretur, sed Innocentius XII. dictam Indulgentiam Ecclesiæ S. Mariæ Angelorum concessit, in qua reperitur Cappella S. Mariæ de *Portiuncula*, ut constat ex ejus Brevi infra §. 7. n. XXVIII.

Hinc verum non est, quod tradit Octavius a S. Francisco Ordinis Minorum de Observantia Episcopus Assisiensis in suo Opusculo inscripto: *Lumina seraphica Portiunculæ cap.* 2. ubi ait = *Ex concessione Innocentii XII. obtentæ fuerunt* (*ut ita dicamus*) *duæ Indulgentiæ, cum duæ sint Ecclesiæ; Sanctæ Mariæ Angelorum Magna continens, parva altera contenta* = ex quo postea pergit = *si in sacra Æde Portiunculæ non erat dicta Indulgentia* = nempe Plenaria Quotidiana *modo est, dum ea, quæ continenti Ecclesiæ data fuit, concessa intelligitur ex consequenti Contentæ*. Vel enim sacra Ædes *Portiunculæ* est Ecclesia distincta ab ea, quæ Sanctæ Mariæ Angelorum nuncupatur, vel est mera ejusdem Ecclesiæ Cappella? si primum admittitur, certum est Indulgentiam Ecclesiæ dumtaxat Sanctæ Mariæ Angelorum concessam minimè posse sacræ Ædi *Portiunculæ* convenire. Si vero secundum, tot fateri necesse est obtentas fuisse Indulgentias ex vi concessionis Innocentianæ, quot sunt Cappellæ Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Angelorum. Quod profecto nemo non dixerit a mente Apostolicæ Sedis alienum. Et si cum Octavio Episcopo instares, Innocentium XII. in literis datis ad Reges & Principes, qui Indulgentiam plenariam sacræ Ædi *Portiunculæ* concedendam petierunt, hæc verba usurpasse = *Ecclesiam Sanctæ Mariæ Angelorum de Portiuncula nuncupatam* = hoc nihil evincit; cum luce meridiana clarius sit, in Brevi novæ hujus concessionis non fieri mentionem sacræ Ædis *Portiunculæ*, sed dumtaxat Sanctæ Mariæ Angelorum.

Sed ad alias Indulgentias ineunte sæculo XIII. potissimum dari consuetas transeamus. Præter plurimas, & quidem partiales in Sanctorum Canonizationibus, Altarium Ecclesiarumque Consecrationibus datas, invalescente jam usu impertiendi integram peccatorum remissionem Fidelibus pecuniam conferentibus ad sacras Expeditiones modo superius descripto, non apparuit, quare pœnitentiæ a Canonibus injunctæ relaxari nequirent iis, qui eleemosynam pro aliis piis usibus erogarent, puta pro Ecclesiarum & Monasterium constructione, vel reparatione; ideoque plurimæ sub hac formula fuerunt concessæ = *Qui denarium in ædificationem hujus Ecclesiæ, vel Oratorii contulerit, tertiam, vel quartam partem pœnitentiarum imponendarum illi in Domino relaxamus* = uti refert Morinus *lib.* 10. *n.* 2.

Plura tamen in percurrendis hisce Indulgentiis notanda sunt, quorum unum Indulgentiarum excessibus, aliud earum abusibus accensetur. Quod spectat ad primum; quamquam Romani Pontificis parce se gesserint in dandis Indulgentiis nedum toto sæculo XII. quin etiam sub initium sæculi XIII., plurimos nihilominus Episcopos in iis concedendis justo liberaliores extitisse, testatur Concilium Lateranense IV. sub Innocentio III. congregatum eorum improbans nimiam largitatem *can.* LXII. his verbis = *Quia per indiscretas & superfluas Indulgentias, quas quidam Ecclesiarum Prælati facere non verentur, & claves Ecclesiæ contemnuntur, & pœnitentialis satisfactio enervatur* = ideoque contracta est a Patribus dicti Concilii Episcoporum potestas largiendi Indulgentias, quo via effusioribus concessionibus præcluderetur: ac statutum est, ne imposterum ab Episcopis amplior Indulgentia fieret quam unius anni in Basylicarum Delicationibus; in Anniversariis vero earundem, cæterisque occasionibus, non alia, quam quadraginta dierum concederetur, juxta moderamen a Romanis Pontificibus observatum: ut *can. cit.* = *Decernimus ut cum dedicatur Basilica, non extendatur Indulgentia ultra unum annum, sive ab uno solo, sive a pluribus Episcopis dedicetur; ac deinde in Anniversario Dedicationis tempore quadraginta dies de injunctis pœnitentiis indulta remissio non excedat. Hunc quoque dierum numerum Indulgentiarum literas præcipimus moderari, quæ pro quibuslibet causis aliquoties*

ties conceduntur; *cum Romanus Pontifex, qui plenitudinem habet potestatis, hoc in talibus moderamen consueverit observare* = Ab eo tempore plenaria Indulgentia fuit summis Pontificibus reservata, collatà potestate Legatis a Latere partiales moderatas concedendi. Hinc *Pileum* Ecclesiæ S. Praxedis Presbyterum Cardinalem, Urbani VI. Legatum in Anglia, quod biennales ac triennales daret Indulgentias, omnibus fuisse stupori, & de attentato suspectum, scribit Thomas Walsingamensis.

Declarato Indulgentiarum excessu, ad earum abusus notandos descendimus. Facta, occasione sacrarum expeditionum contra Saracenus & Hæreticos, extensione plenariæ remissionis ad adjuvantes opus maxime Ecclesiæ Dei proficuum propriis eleemosynis: imo partialibus frequenter concessis, porrigentibus manus adjutrices ad construenda & reparanda Templa aliaque loca pia; tum a summis Pontificibus tum ab Episcopis instituti sunt Prædicatores, qui Concionibus per Urbes & Oppida discurrentes, Christifideles ad lucrandas Indulgentias allicerent, eorumque oblationes exciperent, dicti communiter *Quæstores*, seu *Prædicatores Quæstuarii*. Verum cum isti falsas sæpe numero pro veris Indulgentias proponerent, ac ad aurum potius extorquendum, quam ad animarum salutem procurandam intenderent, palmare argumentum Hæterodoxis datum est, ut contra Indulgentias audacter debaccharentur, atque Catholicis suaderent, eas parvipendere; ut notavit Petrus de Pilichdorf in suo opere inscripto = *Liber contra sectam Waldensium*, his verbis= *Non solum Waldenses Hæretici, imo multi Catholici quandoque titubant de Indulgentiis. Hoc facit indiscreta postulatio Quæstuariorum Sacerdotum, qui indifferenter omnibus hominibus hoc & illud facientibus Indulgentias promittunt. Et hoc non est de mente Domini Papæ, aut aliorum Prælatorum, qui non dant eas nisi vere pænitentibus & confessis & contritis* = Hinc Concilium Lateranense nuper laudatum ad pravos hujusmodi quæstus evitandos decrevit: Prædicatores, seu Quæstores ad quærendas eleemosynas non admitti, sine Romani Pontificis, aut Ordinariorum literis; & ne falsitatis vitium in illis obreperet, formam proposuit ab Apostolica Sede hujusmodi personis tradi consuetam; juxta quam Locorum Ordinarii literas in similibus casibus in posterum deberent concedere. Vide §.7. n.11. Decretum Concilii Lateranensis.

Hac tamen lege non obstante, auctis Quæstorum abusibus in maximum Christifidelium scandalum propter varia ab Indulgentiarum Prædicatoribus quæstuariis conficta mendacia, Concilium Viennense Generale xv. sub Clemente V. celebratum anno MCCCXI., Lateranensis IV. Concilii statutum innovavit: addiditque, literas Apostolicas obtentas ad eleemosynas recipiendas subiici in posterum debere Ordinariorum examini: Delinquentes corrigi pœnis ab eisdem Ordinariis infligendis, ut habetur ex Decreto infra §.7. n. III. recitando.

Prædictum autem Concilium nedum falsas pro veris Indulgentias Eleemosynarum Quæstores publicè proposuisse notavit, verum etiam quosdam ex Regularibus plurimas indiscretas prædicasse; & ideo eo crimine notatos subjecit per duos menses pœnis, quæ juxta eorum regulam pro gravibus excessibus imponi consueverunt; a quibus non nisi ubi manifesta postularet necessitas, possent absolutionis beneficium obtinere. Subiiciemus de hac re aliud dicti Concilii Decretum. §.7. n.IV.

Non tamen Constitutio laudata sub iis pœnis quamlibet vetat Indulgentiarum indiscretarum pronunciationem a Regularibus faciendam, sed eam dumtaxat, quæ directe, vel indirecte proprium concernit favorem, & quidem in sermonibus, seu Concionibus Ecclesiasticis; pari enim modo cavetur illa, ac Prælatorum detractio ibi = *Districtè inhibemus, ne in sermonibus suis Ecclesiarum Prælatis detrahant, seu Indulgentias pronuntient indiscretas*= Quod si Regulares immediate post concionem, aut in loco ad eam deputato, publice Indulgentias indiscretas prædicarent, in hujus Clementinæ Constitutionis fraudem, graviter delinquerent, pœnisque ibidem contentis subderentur; tunc enim, (ut inquit corduba *tr. de Indulg. quæst.* 12. & 15.) committit in legem, qui verba legis amplectens, contra legis nititur voluntatem; & fraus & dolus nemini patrocinantur.

Sed ad alias Indulgentias juxta temporum successiones datas oculum convertamus, inferius ad earum abusus & excessus enar-

enarrandos iterato reversuri. Emicat exeunte sæculo XIII. eximia Bonifacii VIII. liberalitas, qui cunctis Fidelibus quovis anno sæculari Basilicas Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli visitantibus, plenam omnium peccatorum veniam despondit; quapropter Chronicon Rothomagense a Philippo Labbeo publicæ luci datum, ita hoc Bonifacii munus commendat = *Papa Bonifacius concessit hoc anno nempe* MCCC. *visitantibus limina Apostolorum Petri & Pauli Romæ peccatorum indulgentiam generalem, statuens & concedens Indulgentiam consimilem ipsa Limina visitantibus quolibet anno centesimo, & ita fuit concursus maximus populorum* = & Nicolaus Trivettus: *Papa Bonifacius indultum faciens omnibus vere pœnitentibus, & confessis, qui per anni hujus spatium ac per quemlibet annum centesimum futurum, Romam ad Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli Basilicas voto peregrinationis humiliter accesserint & devote, cunctorum suorum concessit Indulgentiam peccatorum* = Pluries vero Romanis, quam Peregrinis confluentibus onus Ecclesiarum Urbis visitandarum adjecisse Bonifacium, habes ex verbis Constitutionis ejusdem, incipientis *Antiquorum*. infra §. 7. num. v. ibi = *statuentes ut qui voluerint hujusmodi Indulgentiæ a nobis concessæ fieri participes, si fuerint Romani ad minus triginta diebus continuis, seu interpolatis, & saltem semel in die; si vero Peregrini fuerint, aut forenses simili modo diebus quindecim ad Basilicas easdem accedant. Unusquisque autem plus merebitur, & Indulgentiam efficacius consequetur, qui Basilicas ipsas amplius, & devotius frequentabit*.

Tanto Romani Populi plausu hoc Bonifacii Diploma Indulgentiæ plenariæ fuit exceptum, ut durante anno millesimo trecentesimo cujuslibet sexus & ætatis personæ ad Sanctorum Petri & Pauli Basilicas accedere minime dubitaverint = *Nec mora* (inquit Jacobus Cardinalis S.Georgii ad Velum aureum, seu in Velabro Bonifacii VIII. Nepos in suo Tractatu; *de centesimo, seu Jubileo anno*, in Bibliotheca Patrum inserto tomo XIII.) *totius Orbis Caput Roma, Civitatis Populus, nullo sexus vel ætatis, dum pubertatis annos exegisset discrimine, ad suorum Patronorum Basilicas, quoad dierum intervallum finem acceptisset cursitabat* = Imo tantum ex exteris Nationibus hominum multitudinem Romam advenisse, a probatis Authoribus didicimus, ad hunc Indulgentiæ thesaurum comparandum, exceptiis iis, qui erant in via euntes & redeuntes, ut magna anni parte ducentorum millium numerum excesserit, vixque per Urbem quantumvis amplam & vastam liceret incedere; quorum aliqui in eximiæ devotionis erga Apostolorum Principes argumentum, aureis argenteisque donis eorum Altaria cumularunt.

Prævidens autem Bonifacius plurimos Indignos prædictæ Indulgentiæ Romam accessuros alio promulgato diplomate, quod subjiciemus §. 7. n. VI. ex Jacobo Cardinali, eos omnes, qui Saracenis merces resque prohibitas detulissent, Fridericum Siciliæ invasorem, Siculosque Romanæ Ecclesiæ hostes, quos die Cœnæ Domini in Ecclesia Lateranensi cum Genuensibus Belli sociis diris devoverat universæque Siciliæ sacro interdixerat, ac Columnenses ab Apostolica Sede damnatos, ab ejus participatione tamquam omnino incapaces exclusit.

Porro sicut Bonifacius noluit Indignos ad acquirendam Indulgentiam plenariam recipere, ita properante fine anni MCCC. in die Natalis Domini piorum Peregrinorum devotioni, atque commoditati consulens, illis, qui vel in Urbem tarde appulsi, vel in ea ægritudinibus vexati, aut etiam vita functi definitum dierum numerum implere non potuissent, vel alio legitimo impedimento Romam pervenire prohibiti fuissent, Indulgentiæ beneficium consequi concessit, hac edita declaratione.

1 *Ad honorem Dei & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, attendens Dominus noster Dominus Bonifacius Papa* VIII. *devotionem, quam vidit in populo Christiano, fervorem fidei, viarum tædia, personarum labores & onera expensarum, vult idem Dominus noster, quod omnes Forenses, qui hodie, scilicet in die Nativitatis Domini sunt in Urbe, licet non compleverint Indulgentiam, ut læti revertantur ad propria, plenam Indulgentiam consequantur*.

2 *Item placet ipsi Domino nostro Summo Pontifici, & vult, quod omnes illi qui venerunt ad Indulgentiam concessam per eum, & mortui sunt in via, vel in Urbe,* nume-

numero dierum taxato in ipsa Indulgentia nondum decurso plenam Indulgentiam consequantur.

3 *Item vult idem Dominus noster summus Pontifex, quod omnes illi qui arripuerunt iter ad istam Indulgentiam animo complendi eam, & justo impedimento impediti vel non pervenerunt, vel pervenientes non compleverunt, eandem plenam Indulgentiam consequantur.*

4 *Item quia annus iste Jubilæus finitur hodie, volens idem Dominus Noster velut pius Pater providere saluti animarum, omnibus illis, qui sunt vere confessi secundum formam Indulgentiæ suæ, & non satisfecerunt de alieno infra annum, nec possunt commode satisfacere propter temporis brevitatem, prorogat terminum ad satisfaciendum dumtaxat, usque ad festum Resurrectionis Dominicæ proxime venturum.*

Hic tamen non leve dissidium est inter Authores, num Bonifacius VIII. plenariam Indulgentiam Sanctorum Apostolorum Limina visitantibus primus ex Romanis Pontificibus dederit singulis centesimis recurrentibus, an potius id solum innovaverit; atque in scripturæ paginam redegerit? D.Antoninus *p.* 1. *tit.* 3. Polidorus *lib.* 8., Toletus *lib. 6. cap.* 24. Sanctarellus *variar. resolut. quæst.* 73., & qui summorum Pontificum gesta literis exararunt, ut Platina, Onuphrius, Panvinus & Ciacconius, prælaudato Pontifici ejus institutionem adscribunt, ea ducti ratione, quod plurimi Scriptores, qui supra Bonifacii ætatem in eradendis Veterum monumentis ad Ecclesiæ disciplinam spectantibus sedulo laborarunt, aliis relatis peccatorum remissionibus ab Apostolica Sede emanatis, plenariæ singulis centesimvis recurrentibus datæ nequaquam meminerint. Verum ad altiorem hujus historicæ veritatis indaginem omittendum non est, ea hic describere quæ tradit laudatus Jacobus Cardinalis S. Georgii ad Velum aureum; sub initium nempe anni trecentesimi supra millesimum, Romanos Cives catervatim ad Basilicam Principis Apostolorum confluxisse; cum increbuisset rumor, eo anno illic plenissimam peccatorum remissionem comparari, singulis centesimis eximia summorum Pontificum liberalitate Fidelibus concessam. Quamquam autem Bonifacii jussu perlectis, evolutisque antiquioribus libris & Bullis, nec scriptum aut momentum aliquod fuerit repertum in Archiviis, seu Carthophilaceis Ecclesiæ Romanæ, quod plenariæ aut alterius Indulgentiæ antiquitatem edoceret, deperditum fortasse vel temporum injuria, vel Schismatum & bellorum calamitate, quibus Roma concussa fuerat, Viventis tamen authenticum non defuit testimonium. Peregrinus enim quidam Sabaudus non ignobili genere ortus, inter multos seniores Romam tunc fuit ductus, centum & septem annos agens, qui coram Summo Pontifice, aliisque Romanæ Curiæ Proceribus constitutus, asseruit: una cum Patre suo Romæ adfuisse alio centesimo superiori sub Innocentio III., atque ab eo monitum, ut si forte centesimo futuro viveret, ad centum annorum Indulgentiam, unaquaque dicti anni die, comparandam, Romæ adesse non pigritaret; & ob hanc causam se Romam afferri præcepisse: Duos verò Bellovacensis Diœcesis, aliosque Gallos & Italos veneranda canitiæ præstantes, non centum annorum, sed plenariæ concessionem, ut rumor erat apud Romanos, confirmasse. Addit insuper dictus Cardinalis, Bonifacium expensa Populi Romani pietate, ejusque rei constanti assertione, prævio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, Constitutionis Apostolicæ supracitatæ munimine eam Indulgentiam firmius roborasse, atque ad eam obitnendam Basilicæ S. Pauli visitationem antea minime injunctam, addidisse. Hæc a memorato Cardinali descripta tanti faciunt Cyrillus Franchus in *tract. de Jubileo*, Navarrus in *comment. de Jubil. notab.* 7. Thomas Zerula *tr.* 5. *Indulg.* Franciscus Pagi in *Breviar. Romanor. Pontif. tom.* 4. *in vita Bonif.* VIII. aliique, ut constanter, affirment, Indulgentiam plenariam visitantibus Sanctorum Apostolorum Limina anno centesimo recurrente, ante Bonifacium VIII. fuisse concessam usuque receptam. A quibus profecto putamus minime recedendum; argumentum enim aliorum negativum, innixum dumtaxat antiquorum Scriptorum silentio juxta accuratæ critices regulam, levis momenti ac ponderis est reputandum, contra authentica aliorum testimonia, & contra avitam Romani Populi traditionem. Accedit ad hujus Indulgentiæ antiquitatem confirmandam testimonium Flaminii, re-

rum,

rum, a Sancto Patriarcha Dominico gestarum scriptoris accuratissimi, cujus hæc sunt verba = *Fuere per idem quoque tempus ex propinquis illius* (hoc est S. Dominici) *tres quidem non dissimiles, quorum duo in Ordine Prædicatorum magna cum laude vixerunt, tertius vitam duxit eremiticam, qui cum annum ageret quintum decimum, & annus erat ille Jubileus, Romam venit, & post annos centum, idem ad alterum Jubileum rediit, & coram Bonifacio VIII. Pontifice Maximo juravit, se superiori Jubileo interfuisse; qui reversus in Hispaniam, diem suum feliciter obiit* = Hæc ille, & refertur a Maluenda *Annalium S. Dominici Centuria prima ad annum* MCCLXX.

Veritati tamen consonum nequaquam arbitramur, Bonifacium VIII. in despondenda ea plenissima peccatorum remissione ad Judaici Populi Ritum inspexisse, apud quos quolibet anno quinquagesimo recurrente ita Jubileum celebrabatur, ut ære alieno gravati absolverentur, ac Servi libertate donarentur; quamquam enim nequeat plenior libertas excogitari, quam peccatorum in hoc Jubilæi anno impensa relaxatio, quia tamen Pontificem laudatum, Jubileum celebrandum, non anno quinquagesimo, sed centesimo promulgasse notius est, quam ut probatione indigeat, perspicue datur intelligi, non id factum ex Israelitici Populi, sed potius Romanæ Urbis antiquis ritibus, quibus centesimo quolibet anno ludi sæculares magna soleminate indicebantur, his verbis clamante Præcone: = *Universi superstites, ad illud ludi genus quale nec hactenus vidistis, nec amplius visuri estis accedite* = Cum enim summi Pontifices veterum Ethnicorum observationes in sacras Cæremonias convertere semper sategerint, ut Festa S. Petri ad Vincula, nec non Purificationis Beatæ Virginis Mariæ, aliaque hujusmodi instituta, apertissime demonstrant, idcirco Bonifacius prædecessorum Pontificum morem imitatus, ad centesimum annum sancte celebrandum, cunctos Christianæ Reipublicæ populos expositis Indulgentiarum muneribus invitavit,

Liberalius postea quam Bonifacius Indulgentiæ plenariæ thesaurum aperuit Clemens VI., qui annum illum celebrem, in quo Indulgentia plenaria visitantibus Basilicas Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli despondebatur, ex centesimo ad quinquagesimum reduxit, adjecto onere lustrandi Lateranensem Ecclesiam: primus inter Romanos Pontifices, (ut putat Franciscus Pagi in *Breviario Romanor. Pontif. in vita Bonif.* VIII. cum quibusdam eruditis scriptoribus) qui Jubilæi nomen usupaverit = *Revera*, inquit, *Clemens VI. primus ex Pontificibus Romanis reperitur, qui Jubilæi appellatioue usus fuerit*. Quod tamen verum dumtaxat arbitramur de Romanis Pontificibus, eorumque Diplomatibus ad indicendam ejusmodi Indulgentiam emanatis; cum alias constet ex declaratione Bonifacii VIII. anno MCCC. edita, quam supra retulimus ex sæpius memorato Cardinali S. Georgii ad Velum aureum, annum illum ob plenariam Indulgentiam Jubilæum fuisse appellatum = *Item quia annus Jubilæi finitur bodie &c.*

De mox dicta Clementis VI. reductione ita loquitur Author Magni Belgici Chronici Vindesenii Monasterii Canonicus Regularis = *Primo anno Papæ Clementis B. Birgitta revelatum per visionem dixit, ut Papa Avenione Romam redeat, quo se & universam Ecclesiam reformet, & annum Jubilæi indicat. Sed Papa Romam venire non maturavit; annum tamen Jubilæi maxime ad instantiam Romanorum de centesimo anno ad quinquagesimum reduxit, & inter Ecclesias pro consequendis Indulgentiis anni Jubilæi visitandas, connumeravit Ecclesiam Lateranensem.*

Non unum eluxit in memorata reductione Clementis Pontificis Consilium; voluit enim eum ritum in Jubilæi Ecclesiastici celebratione inposterum observari, tum quia Jubilæum juxta Mosaicæ legis ceremonias non anno centesimo sed quinquagesimo, recurrente celebrabatur; tum quia, ob humanæ conditionis vicissitudines, vitæque brevitatem quamplurimi ex Christifidelibus essent, quibus ex Jubilæo quolibet centesimo anno celebrato nullum spirituale emolumentum obventurum credebatur; tum quia Romanus Populus per Legatos ad sedem Apostolicam specialiter destinatos id enixis precibus humiliter postulaverat. Vide §. 7. n. 7. Clementis VI. constitutionem. Extat pariter inter Pontificis laudati sermones ref-

responsio ab eo facta Romanis, qui per Legatos decem & octo cives, sex videlicet de quolibet Urbis statu, majori, medio & minori ei obedientiam præstiterunt, ac Jubilæi celebrationem ad annum quinquagesimum, aliaque humiliter postularunt, in qua apud Balutium. *col.* 862. sic illos alloquitur = *Vos Romani venistis, & proposuistis coram nobis & Fratribus nostris sex pro parte omnium Romanorum. Primo venistis ad exhibendam obedientiam filialem. Secundo ad petendam veniam paternalem. Tertio ad notificandam lætitiam universalem. Quarto ad postulandam nostram præsentiam corporalem, Quinto ad impetrandam Indulgentiam plenam. Sexto ad offerendum totius Romani regiminis dominationem generalem*.

Ut aliquid de Populi concursu ad hoc Jubilæum comparandum intelligas, lege Mattheum Villani fratrem Joannis, qui dicto Jubilæo Romæ interfuit *lib.* 1. *cap.* 58. referentem Fideles amplissimi Jubilæi comparandi, quod Clemens Pontifex dederat, cupiditate excitatos, miraque alacritate, cunctis posthabitis iter agressos, tanta multitudine Romam confluxisse, ut eorum numerum inire sit impossibile, veruntamen communi æstimatione creditum, a die Nativitatis Christi anni MCCCXLIX. usque ad Festum Resurrectionis, quod anno MCCCL. in diem 28. Martii incidit, decies ac duodecies centena peregrinorum Millia in Urbe perpetuo fuisse, sacro Ascensionis, ac Pentecostes tempore, ultra octies centena millia, æstate adulta, tum ob ferventissimum æstum, tum ob colligendarum frugum necessitatem, confluentium numerum imminutum, non tamen ita, ut non fuerint singulis diebus Romæ ducenta Peregrinorum millia: æstivo calore remisso, adeo, ad Limina Apostolorum euntium multitudinem crevisse, ut Peregrinorum numerum, qui ab initio dicti anni Romæ fuerat, si non excesserit, saltem æquaverit; quorum pietas maxime eluxit in sacra stipe Ecclesiis collata ad earum ornatum. Sed ex tanto peregrinorum numero vix decimum quemque ad patrios rediisse lares, aliis vel pestilentia sublatis, vel longingui itineris laboribus absumptis, scribit Meyerus *lib.*13. *Annal Flandr.*. Spectatæ nobilitatis utriusque sexus personæ ex Transalpinis Indulgentiæ plenariæ thesaurum comparaturæ, tam arduum iter arripere minime detrectarunt, inter quas Ludovicus Ungariæ Rex, Maria e Flandria Mater Guidonis Cardinalis, Boloniæ Comitissa, Marchionnissa Montisferrati, Insularum Fuxique Comitissæ, Vicecomes Caramagni, Elnensis Episcopus, ut referunt Mattheus Villanus prælaudatus & Bonfinius *dec.* 2. *lib.* 10., alii vero Reges ad ea sacra Loca, profecturi, nisi eos publicarum rerum moles ab ea peregrinatione suscipienda revocasset, a Clemente hujus gratiæ participationem, remisso onere Romam adeundi, humiliter flagitarunt. Verum quod habuerunt in votis nequaquam eam obtinuisse colliges ex Clementis literis datis Avenione XIX. Kal. Septembris anno Jubilæi Ad Augonem Cypri Regem recitatis a Raynaldo ad dictum annum, ibi = *In Indulgentia, præsenti anno quinquagesimo Jubilæo Principis Apostolorum, & Beati Pauli Basilicas, & Lateranensem Ecclesiam de Urbe, visitantibus concessa per nos pro salute Fidelium animarum, pro qua concedenda tibi remanenti in Regno tuo Percivallus devote ac simpliciter cum omni diligentia, & sollicitudine institit multas rationes & causas, quare id fieri deberet adducens, tuæ non possumus annuere voluntati. Licet enim plures alii Principes, sicut tu etiam, id devote petierint, Venerabiles Fratres nostri attendentes quod Indulgentia ipsa, sicut pro ipsarum animarum salute, sic pro honore Sanctorum, ac veneratione concessa est, consentire quod daretur alicui, nisi easdem Basilicas & Ecclesiam visitarent, nullatenus voluerunt*.

Clementis VI. liberalitatem auxit Urbanus VI. ad quoscumque trigintatres annos Jubilæi Indulgentiam reducens, tum quia non omnes annum quinquagesimum complerent, tum ob præclaram ætatis Christi memoriam, de quo agit Gobelinus Persona in *Cosmodrom. æt.* 6. *cap.* 81. = *Dominus*, inquit, *Urbanus Papa anno Pontificatus sui undecimo, Nativitatis Domini* MCCCLXXXIX. *tertio idus Aprilis* (legendum sexto idus) *tria memorabilia insignia constituit. Primum fuit, quod annus Jubilæi per Clementem* VI. *de centesimo ad quinquagesimum annum deductus, deberet temporibus inde futuris de tri-*

trigesimotertio anno in trigesimum tertium observari; *& statuit*, *quod anni Nativitatis Domini tunc proxime venturus videlicet* MCCCXC. *deberet esse Jubilæus*, *& movit eum*, *quod totum tempus vitæ Domini nostri Jesu Christi in humanitate*, *postquam natus est de Virgine*, *per cujus mortem Thesaurus Ecclesiæ*, *unde Indulgentiæ peccatorum quæcumque emanant*, *cumulatus est*, *trigintatrium annorum curriculo complebatur* = Ejusdem reductionis ad dictum annorum numerum meminit pariter Theodoricus de Niem in *libris de Clementini schismatis origine lib.* 1. *cap.* 68. = *Urbanus*, inquit, *ultimo anno Pontificatus annum Jubilæi abbreviavit*, *scilicet ad singulos trigintatres annos*, *& constituit*, *quod tunc anno Domini Millesimo trecentesimo Octogesimo octavo in Festo Natalis Domini inciperet annus Jubilæus in Urbe*, *& duraret per annum inclusive*, *prout & factum fuit* = Sed in hoc Niemi textu in quo legitur: Jubilæum indictum fuisse celebrandum anno Millesimo trecentesimo octogesimo octavo, citra dubium est, errorem irrepsisse; cum Paulus II. Constitutione incipiente *Ineffabilis*, quam recitabimus §. 7. n. VIII. dicat = *Urbanus* VI. *in sua obedientia nuncupatus provide considerans*, *quod ætas hominum amplius solito in dies laberetur paucиores*, *ac desiderans quamplurimos ejusdem Indulgentiæ fieri participes*, *cum ad annum quinquagesimum propter brevitatem vitæ plurimi hominum minime perveniant* . . . . *annum quinquagesimum ad trigesimumtertium reducens*, *statuit* . . . . . *quod universi Fideles vere pœnitentes & confessi*, *qui in anno a Nativitate ejusdem Domini Millesimo trecentesimo nonagesimo*, *& deinceps perpetuis futuris temporibus de trigintatribus annis in trigintatres annos Basilicas Sanctorum Apostolorum ac Lateranensem*, *& Sanctæ Mariæ Majoris prædictæ Urbis Ecclesias causa devotionis modo præmisso visitarent*, *eandem consequerentur remissionem*, *& veniam peccatorum* = In quo notandum, onus illud visitationis Basilicæ S. Mariæ Majoris additum sacrum plenariæ Indulgentiæ thesaurum consecuturis, non a Bonifacio VIII., aut Clemente VI., sed a Gregorio XI. injunctum fuisse, ut videre est in ejus Constitutione cujus initium est *Salvator Noster*, data Avenione 3. cal. Maii anno MCCCLXXIII. Pontificatus sui anno tertio.

Verum, quod Urbanus VI. decreverat, videre non potuit; viam siquidem universæ carnis ingressus Idibus Octobris anno MCCCLXXXIX. (quo pariter anno Constitutionem laudatam de reductione Jubilæi ex trigesimotertio in trigesimumtertium annum ediderat sexto Idus Aprilis), successori suo Bonifacio IX. illud celebrandum reliquit = *Sed ipse Urbanus* (pergit Theodoricus Niemus loco mox citato) *illum* (nempe Jubilæi annum a se indictum) *non vidit*, *quia prius ab hac luce migravit*, *& innumerabiles peregrini toto illo anno postquam incæpit Jubilæus*, *præsertim de Alemannia*, *Hungaria*, *Polonia*, *Bohemia*, *Anglia*, *& aliis Regnis*, *ac Provinciis*, *quæ fuerunt de obedientia Urbani*, *ad Urbem venerunt* = Hæc omnia confirmat Gobelinus in *Cosmodrom. ætate* 6. *cap.* 86. = *Primo*, inquit, *Pontificatus ipsius* (nempe Bonifacii) *anno juxta ordinationem Domini Urbani Papæ* VI. *& ex hujus approbatione*, *plurimi*, *qui obedientiam Bonifacio præstabant*, *pro Indulgentiis anni Jubilæi consequendi de Universis Mundi partibus ad Urbem Romanam confluxerunt*. *Illi vero*, *qui de Regno Franciæ erant*, *& alii ejus obedientiam repudiantes hoc anno pro hujusmodi Indulgentiis Romam non venerunt* = Premebatur ea ætate tetro ac miserabili schismate Ecclesia Dei, quo nullum gravius, atque detestabilius legitur in Ecclesiasticæ historiæ monumentis; & quamquam plurimæ Nationes Sanctorum Apostolorum Sacra Limina visitaturæ Romam accessissent propter Jubilæum, tamen Galliæ, Hispaniæ, Scotiæ, Siciliæ, Cypri Reges aliique minores Principes, nec non & Insula Rhodus ab obedientia Urbani & Bonifacii se subtraxerant, ac Petro de Luna, qui Benedictus XIII. dicebatur, obsequebantur, quamobrem eorum subditi Jubilæum Urbani VI., qui ab ipsis illegitimus Papa reputabatur, percipere recusarunt.

Aliud sedente Bonifacio IX. anno MCCCC. celebratum Romæ Jubilæum reperimus. An autem illud Pontifex laudatus indixerit, nemo ex veteribus Scriptoribus affirmat. Victorellus apud Spondanum ad an-

num MCCCCI. testatur, se diligenter evoluto Bonifacii IX. Regesto, nullam hujus rei memoriam invenire potuisse. Hoc tamen citra controversiam à Scriptoribus communiter recipitur, Bonifacium minime prohibuisse Jubilæum hoc anno juxta antiquam consuetudinem celebrandum, ejusque occasione, ex cunctis Orbis Christiani partibus, magnam Fidelium multitudinem, Romam, præsertim Nationis Gallicæ advenisse, non obstante quod prohibitum esset Regis Edicto, eo peregrinari, ne Bonifacius pro legitimo Pontifice agnosci videretur. Theodoricus de Niem, quæ præsens viderat monumentis suis consignans, *lib.2. cap.28.* ait = *Galli asserentes hunc annum Jubilæum secundum antiquam institutionem Ecclesiæ, ad Urbem cater vatim utriusque homines sexus causa devotionis in maxima multitudine pene per totum illum annum advenerunt quorum multi erant Nobiles, & egregiæ personæ, ac longa offertoria ad Urbis Ecclesias attulerunt* Cohærent, quæ scribit Gobelinus loco nuper citato, dicens = *Illi qui de Regno Franciæ erant, juxta priorem Ordinationem Clementis VI. anno Domini* MCCCC. *in maxima multitudine pro hujusmodi Indulgentiis consequendis Romam venientes, Limina Sanctorum visitabant* = Alia plura de cæterorum quoque Populorum concursu sunt Authorum testimonia; ex quibus pariter constat, ex tanta Mortalium colluvie maximam partem, grassante pestilentia, fuisse consumptam; & Boninsegnius, qui prope erat, *lib.4.* asserit, singulis diebus ea abreptos fuisse in Urbe sexcentos, & Octingentos homines.

Nemo tamen sibi suadeat adeo peculiarem & propriam fuisse Indulgentiam plenariam recurrente anno Jubilæi dari consuetam, ut non cœperit mox fieri frequentior; cum enim cunctis datum non esset ex omnibus Mundi partibus Romam ad Sanctorum Apostolorum Limina visitanda confluere, primo concessa est Ecclesiis Primatialibus, ac subinde aliis Urbium, quin imo & Pagorum adjecto onere porrigendi manus adjutrices = *Dominus Bonifacius* [scribit Author Magni Belgici Chronici] *sub anni Jubilæi Urbis Romæ Indulgentiarum forma Coloniensi Civitati concessit, ita ut venientes Coloniam, vel ibidem habitantes isto anno mediante visitantes certas Ecclesias ad hoc directas cum oblationibus suis, possent consequi Indulgentias, quæ visitantibus Urbem Romanam in anno Jubilæi concessæ erant, videlicet plenissimam remissionem omnium peccatorum. Quo anno elapso, similis annus ab eodem Bonifacio sub eadem forma concessus est Civitati Magdeburgensi; & ad utramque hanc Civitatem missus est Collector Papæ, qui certam partem recepit Oblationum; deinde Indulgentias similes concessit visitantibus alias nonnullas Civitates Germaniæ ad certos menses; unde in Misnia, & Praga ex hujusmodi concessione concursus magnus populorum fuit; deinde idem concessit multis locis Alemanniæ, ut visitantes certas istorum locorum Ecclesias consequerentur Indulgentias similes, quæ erant quondam concessæ tali, vel tali loco, seu tali, vel tali Ecclesiæ, quæ in ipso privilegio concessionis exprimebantur; de quibus locis, vel Ecclesiis fama vulgaris erat, quod ea, vel eas visitantibus concessæ olim essent a Sede Apostolica Indulgentiæ plenissimæ. Prædictæ vero Indulgentiæ non solum concedebantur in locis insignibus, sed in Villis etiam non muratis, & in Monasteriis, vel Ecclesiis sitis in Campis; & in omnibus privilegiis concessionum prædictarum ponebatur clausula: Porrigentibus munus adjutrices: ita ut hujusmodi Indulgentias, nisi qui ipsis locis, vel Ecclesiis manum porrigeret adjutricem, nemo consequi videretur* = Similes concessiones ea ætate datas ita refert Walsingamus *in Historia Anglicana* = *Elienses per hoc tempus pares esse cupientes Norvicensibus, qui in Festo Trinitatis, & Buriensibus, qui in Festo S. Edmundi Indulgentias impetrarunt a Sede Apostolica, obtinuerunt peregre adventantibus, & Ecclesiæ suæ benefacientibus in Festo Trinitatis a primis Vesperis usque ad posteriores Vesperas feriæ Martis in hebdomada Trinitatis, vere contritis & Confessis plenam remissionem* = Alia plura de pari concessione indulta Principibus ac Populis, vel ex Litteris Bonifacii, vel ex diversis Authoribus affert Andreas Victorellus in libro idiomate Italice scripto *de Celebrat Jubilæor*. Ita plane totalis peccatorum relaxatio deinde aliorum Pontificum liberalitate cœpit frequentius concedi, adjectis oneribus Con-

fes-

fessionis, nec non Sacramentalis Communionis eam comparare volentibus. Porro ne pluribus intra annum plenariis a Fidelibus percipiendis certæ Ecclesiæ decorarentur, Summorum Pontificum pia sollicitudo hanc clausulam in concessionibus apponi curavit; quam, collatis invicem hujusmodi Indulgentiarum Brevibus, Bonifacium IX. primo adhibuisse comperimus = *Volumus autem, quod si alias visitantibus dictam Ecclesiam, vel ad ejus fabricam manus porrigentibus adjutrices, aliqua alia Indulgentia in perpetuum, seu ad certum tempus nondum elapsum duratura, per nos concessa fuerit, præsentes literæ nullæ sint.*

Hic vero non omittendum, labem, quæ ex audaci pecuniæ captandæ avaritia, atque nimia Pontificiorum Administratorum licentia tunc manaverat, ipsi Bonifacio aspergere Gobelinum; in quo profecto deceptus est, & emendandus; ii enim, qui obtenta facultate promulgandi Indulgentias turpiter abusi fuerant pecuniæ interventu, & nulla in Sacramentali Confessione injuncta satisfactione Pœnitentium Crimina relaxaverant, ac super quibuslibet irregularitatibus dispensationem impenderant, graviorum suppliciorum metu sibi metipsis mortem intulerunt: quidam vel in frustra a Plebe concisi, vel erroribus hæresis involuti misere perierunt, sicque peccatorum suorum ipsimet pœnas luerunt.

Cæterum in quæ nam opera Eleemosynas ex Indulgentiis legitime collectas, converterit Bonifacius, sicut etiam exitum eorum, qui in promulgandis Indulgentiis prædictos excessus perpetraverant, ita describit Bzovius ad annum MCCCXC. = *Tectum in primis Basilicæ Vaticanæ tantum quantum erat, deciderat, Ecclesiæ & Basilicæ Urbanæ Suburbanæque diuturnam Pontificum sive Avenione sive alicubi locorum moram, vel collapsæ nonnullæ jacebant, vel ruinæ proximæ manum divitem suspirabant. Ædes quoque tum Pontificiæ tum publicæ casum expectabant, nisi aliquis prævertisset. Jam Hospitia Ægris, Orphanis & Peregrinis excipiendis nullos præ paupertate admittebant. Disciplinæ præterea publicæ ædificata munimenta diruta nulli usui fuerant: unde licentia peccandi ab impunitate scelerum viribus sumptis passim volitabat, non tantum Populo, Proceribus, Magistratui, verum etiam Summo Capiti sæpius infesta. Accedebat, augebaturque in Urbe, & in universo Suburbano Ecclesiæ patrimonio insolens Tyrannis Optimatum, qui in omnem occasionem vigiles rem Ecclesiasticam armis vexabant, diripiebant, occupabant. Regni præterea Neapolitani inter vehementissimos turbines tuendi, & ad obsequium revocandi causæ, maximos sumptus postulabant; & ut alias necessitates, quibus Ecclesia Romana gravissime laborabat, omittam, Bellum a Genuensibus, & Pisanis adversus Barbaros pro tutela totius Maris Mediterranei, ac præcipue Italiæ Africanis littoribus oppositæ, thesauros requirebant. His expensis Domi forisque faciendis, cum impar esset Bonifacius, nihil mirum si Commissos ubique Terrarum hoc anno disperserit, si quid subsidiorum nomine potuissent a pietate christiana, quæ aliorum incommoda pro suis depusans, alienæ novit succurrere inopiæ, obtinere. Si quid avara, vel perfida, vel impia Commissorum audacia vel extorsit, vel insano ore, aut privatim dixit, aut pro concione vulgavit, extra noxam Bonifacius est, qui non turpis lucri, sed necessitatis extremæ gratia, more ad id temporis recepto, postulavit, & in sacrilegos ex lege Ecclesiastica animadvertit; cum alios in Carceres detrusisset, alios aliis pœnis subjecisset, quod rem Sanctam cupiditate execranda vel polluissent, vel in sugillationem adduxisset. Non toleravit etiam Deus ipse infideles in vulgando Jubilæo Ministros, sed variis modis castigavit; hi enim, qui vel venum Indulgentias exposuerant, vel citra satisfactionem pœnalem, quam, pœnitentiam a Confessore impositam, vulgo dicimus, peccata confitentibus gravissima indulserant, vel malis artibus pecunias extorserant, vel potestate ligandi atque solvendi Petro & Sacerdotibus ejus a Christo in rem spiritualem ad corradendas opes abusi sunt, vel Ecclesiam defraudarunt, aliqui mortem sibi consciverunt, nonnulli malæ mortis genere perierunt, aliqui furore Populi interfecti sunt, alii in hæreses & errores prolapsi pessime decesserunt, justo Dei judicio intercedente; ut qui rem Sanctissimam impie ac inique ha-*

habuissent, male quoque perderentur = Habes §.7. n.IX. Bonifacii Literas ad Benedictum Episcopum Ferrariensem in Romandiola Romanæ Ecclesiæ Thesaurarium, quibus jubet in eos animadverti, qui obtenta Apostolicæ Sedis facultate, sacra Indulgentiarum præmia ad quæstum promulgantes pœnitentiæ Sacramentum profanaverant. Idem colligitur ex mandatis ejusdem, ad quosdam Germaniæ Episcopos datis, ut omni studio nefariorum ejusmodi Nebulonum simoniaci excessus coercerentur.

Alios Indulgentiarum excessus & abusus, qui velut Zizania in agro militantis Ecclesiæ plurimum excreverant, durante Schismate Cardinalium Gebbennensis & Petri de Luna, qui Clemens VII. & Benedictus XIII. dicebantur, evellere conatus est Martinus V. in Concilio Constantiensi anno MCCCCXIV. inchoato, revocando Indulgentias, gratias, & favores, qui pro pecuniis potius quam pro animarum salute prodierant post emanatam Clementis V. Constitutionem incipientem *Abusionibus*, iis dumtaxat probatis & confirmatis, quæ juxta formam in Clementina prælaudata præscriptam datæ fuerant; ut plenius constat ex Decreto infra referendo §.7. n.XII. Non ambigimus Martinum Pontificem ad id pariter fuisse excitatum ab articulis in eo Concilio Joanni XXIII. objectis, quorum vigesimus in ordine erat = *Quod Dominus, ut præfertur Joannes Papa Indulgentias in mortis articulo, prædicationem Crucis, item a pœna & culpa absolutiones, Ecclesiarum & Altarium portatilium concessiones, & Abbatum benedictiones . . . . . . pecunia vendidit numerata* = & vigesimus secundus = *Quod Dominus Joannes Papa Nicolao Mercatori in legatione existenti concessit, indulsit, & commisit, ut idem Nicolaus quibuscumque hominibus utriusque sexus ad suæ libitum voluntatis deputare posset Confessores: & quod hujusmodi Confessores deputati absolvere possent a pœna & culpa, certis tamen pecuniis taxatis mediantibus. Quas quidem prætensas Indulgentias idem Mercator publicavit, & publicari fecit in certis locis, Civitatibus, & Villis: ut pote Trajecti, Mechliniæ, Antuerpiæ & alibi, de quibus maximas pecuniarum summas exhausit, & extorsit, Christifideles seducendo, & statum, ac ritum Ecclesiæ Catholicæ enormiter scandalizando* = Cum vero Patres Constantienses plurimum de immoderatis Indulgentiarum concessionibus quærerentur, concordata edidit Nationum Martinus super earum reformationibus, quas habes §.7. n.XI. ex Hermanno Vender dart; ac altero, post suam electionem ad Summum Pontificatum die, nonnullas Cancellariæ Regulas pro illis inposterum concedendis voluit promulgari. Easdem recitabimus §. 7. n. XII. ex citato Hermanno Vender dart *tom. I. fol.* 979. ex Manuscripto Codice Vindobonensi.

Alium Indulgentiarum excessum correxit subinde Martinus Pontifex; Henricum enim Archiepiscopum Cantuariensem, qui anno MCDXX. Clero annuente, vel quæstus improbi gratia, vel præposteræ pietatis intuitu plenissimam fecerat peccatorum remissionem, non dissimilem ei, quæ pro Romano Jubilæo solet a Summis Pontificibus exhiberi, acri correctione objurgavit, datis Literis ad Jacobum Episcopum Tergestinum, & Simonem de Teremo Sedis Apostolicæ Nuntios in Anglia, pro rescindendiis iis, quæ de hac re acta fuerant, ac pro Archiepiscopi & Cleri excessibus legitime cognoscendis, ut deinde eosdem pœnis pro facinorum qualitate percelleret. Habes. §.7. n.XIII. Apostolicarum Literarum tenorem. Archiepiscopus interea excessum agnoscens, ab inceptis destitit reveritus Romani Pontificis authoritatem, cui dumtaxat competit in terris plenariæ Indulgentiæ gratiam cum annexis favoribus dispensare.

Anno MCDXXIII. quo Jubilæum in Anglia incassum indictum declaravit Martinus V. aliud Romæ legitime juxta formam, ab Urbano VI. præscriptam celebratum est, de quo pauci Scriptores meminere, fortasse, ut scite animadvertit Spondanus, quod ob intestina bella, quæ tam in universa Italia, quam in Gallia & Germania, aliisque Regnis & Provinciis grassabantur, pauci tunc Romam adire potuerint. Corrigendus tamen est Bzovius, qui Jubilæi Martini V. celebrationem cum anno MCDXXV. conjungit, dicens = *Eodem anno* (nempe MCDXXV.) *Martinus Papa Romæ annum Jubilæum celebravit* = Paulus enim II. Constitutione incipiente *Ineffabilis*, (de qua infra redibit sermo) disertissimis verbis asserit: Martinum Jubilæi reductionem per Urbanum VI. factam approbasse, eoque anno recurrente

ad

ad effectum deduci voluisse = *Martinus* V. *Romanus Pontifex Prædecessor noster* (verba sunt dictæ Constitutionis) *reductionem per eundem Urbanum factam hujusmodi ratam habens, & gratiam ipsam in sua firmitate persistere, & anno trigesimo tertio supradicto observari debere censuerat, & ad effectum deduci anno ingruente prædicto permiserat, prout observata extitit &c.* Quamobrem cum Urbani VI. reductio facta fuerit anno MCCCLXXXIX. ac Jubilæum anno MCCCXC. celebratum, necesse est dicere, subsequentis Jubilæi celebrationem in annum MCCCCXXIII. incidisse.

Sed ritum celebrandi Jubilæum trigesimotertio quoque anno Ecclesia Romana non retinuit; Nicolaus enim V. Clementis VI. Constitutionem incipientem *Unigenitus* ratam habens amplissima Indulgentiarum præmia iis proposuit, qui sacra Exomologesi animam expiassent, & quatuor Patriarchales Urbis Basilicas ritu a Prædecessoribus Pontificibus præscripto lustrassent = *In anno* MCCCCL. (inquit D. Antoninus 3. *par. tit.* 22. *cap.* 12. §. 3.) *celebratus fuit Jubilæus sub Nicolao Pontifice Urbis, prius prænuntiatus & publicatus solemniter cum Indulgentia plenaria visitantibus Ecclesias Urbis quatuor: scilicet Sancti Joannis Lateranensis, S. Petri, & S. Pauli, & S. Mariæ Majoris, certis diebus determinatis, Pœnitentibus & Confessis certo modo, & forma, ad quam consequendam convenerunt ex omni natione, quæ sub Cœlo est, Fidelium plurimi Mares & Fœminæ* = Cohæret D. Antonino Jannotius Manettus *Lib.* 2. *in Vita Nicolai V.* = *Ad hanc*, ait, *celeberrimam solemnitatem, in qua inter cætera omnium veterum peccatorum remissio, atque expressa cunctorum Indulgentia delictorum a cunctis cum pœnitentia ac confessione adventantibus acquirebatur, non solum ob hanc tantum divinam festivitatem, sed etiam ob admirabiles pontificalis personæ conditiones, quæ jam per totum pene terrarum Orbem fama undique resonante peragraverant, tota Populorum omnium Christianorum multitudo concurrisse, & confluxisse perhibetur, ut cæteris Jubilæis hactenus celebratis, numero & copia hominum utriusque sexus non inimerito præferri posse existimetur; tantæ enim Pannonum Germanorum, Cimbrorum, Britannorum, Gallorum, Hispanorum, Celtiberorum, Portugalensium, Græcorum, Dalmatarum, Italorum, cæterorumque Christianorum populorum (ut omnes uno verbo summatim comprehendamus) catervæ quotidie confluebant, ut concurrentium congregatio, cujuslibet mensis dimidio per arbitrium designato, in stuporem admirationemque procederet; tantæ namque & tam magnæ adventantium gentium catervæ quotidie concurrebant, ut quasi sturnorum, apumue & formicarum agmina, mirabile & incredibile dictu! viderentur* = Pergit Manettus prælaudatus enarrare maximam pecuniarium copiam ex Populorum confluentium donariis, atque eleemosynis eo anno collectam, atque in pia opera, summa cum laude & liberalitate a Nicolao Pontifice impensam = *Pontifex, ex hoc tanto, & tam immenso, & pene tam incredibili hominum ad hunc Jubilæum accedentium numero, maximam ac pene infinitam argenti copiam, tum ob ingentium vectigalium multiplicationem, tum ob magnam cunctarum rerum ad victum necessariarum quotidianam consumptionem, tum insuper ob generales uniuscujusque oblationes adeptus est, unde ad perpetuam hujus sacrosancti anni commemorationem plurimos amplos & inusitatos aureos feriri, & cudi fecerit, quos ab effectu ipso Jubilæos cognominavit, ac tanti ponderis erant, ut communi trium usitatorum aureorum pretio suo valore adæquarentur, proinde ex his duabus, & ob tritorum hominum, & jubilæorum aureorum causis cum ea, quæ ipsa numquam alias cæteris similibus annis evenisse comperimus; at illa non aliunde, quam ob maximam quandam, & pene incredibilem adventantium & concurrentium personarum multitudinem profluxisse cognoverimus. Hunc, de quo loquimur, Jubilæum, aliis singulis omnibus hactenus celebratis, numero & confluentium populorum copia, merito præponere, ac præferre non dubitamus. At vero ubi Pontifex magnos & ingentes pecuniarum thesauros exinde ad ærarium Apostolicum pervenisse cognovit, quamquam secundo Pontificatus sui anno pluribus simul locis, & intra & extra Urbem non modicis sumptibus construere, & aedifica-*

ficare cœpisset, & ingentem quoque Latinorum, & Græcorum Codicum congeriem congregare statuisset, atque aliquos insuper doctrinæ, & humanitatis studiis præstantes viros utriusque linguæ peritissimos annuis mercedibus & Ordinariis salariis ad sese evocasset, ex nova tamen, & inopinata prædictarum pecuniarum acquisitione ad continuam non modo cœptorum operum prosecutionem, sed amplificationem etiam aliorum hujusmodi, & innovationem mirum in modum, animum applicuit, ut ob perpetuam magnorum ædificiorum constructionem Romanæ Ecclesiæ honor, & Apostolicæ Sedis gloria simul cum singulari, & præcipua Christianorum omnium devotione abundantius, & latius amplificaretur; & ob assiduam insuper novorum præclarorumque operum tum traductionem tum compilationem præsentibus, & posteris studiosis hominibus plurimum adjumenti præberetur.

Elapsis viginti annis a prædicti Jubilæi celebratione Paulus II. humanæ conditionis fragilitatem, & mortalis vitæ brevitatem, nec non Ecclesiæ calamitates ex Indifidelium persecutionibus attendens, ad terminum quinque Lustrorum seu annorum vigintiquinque, lege perpetua primo celebrandum anno MCDLXXV., Jubilæum stabilivit, sicut semper postea usque ad hæc nostra tempora fuit observatum. Extat. § 7. n. XVI. Constitutio Pontificis laudati cujus initium est *Ineffabilis* edita 13. Cal. Maii MCCCCLXX. Ne tamen ob frequentem Indulgentiæ plenariæ morem, jam ut supra retulimus in alias Orbis Christiani partes invectum, Fideles patriis contenti remissionibus, Romam ad Jubilæum comparandum peregrinari negligerent, decrevit Sedes Apostolica, cunctas Indulgentias extra Urbem datas dicto anno recurrente suspensas esse. Hoc primo præstitit Sixtus IV. Constitutione incipiente *Quemadmodum*, recitanda §.7. n. XVII. qua Jubilæum a Paulo II. indictum pro anno MCCCCLXXV. confirmavit, approbavitque. Cum vero pauci ad Jubilæum, quod Romæ prædicto anno celebrabatur, præter communem expectationem contenderent, vehementibus armorum terroribus impediti, Sixtus Pontifex, ut exterarum Nationum saluti consuleret, Jubilæum Bononiæ instituit, amplissima noxarum proposita venia iis, qui expiata rite conscientia a Cal. Maii ad pridie Cal. sequentis anni quatuor illius Urbis Ecclesias opportunis additis precibus visitassent; ut tradit Carolus Sigonius *de Episcop. Bononiens. lib. 4. ad annum* 1475. addens, adeo ingentes populorum concursus eo factos, ut vulgo existimatum sit, Bononiam numquam tanta peregrinorum copia redundasse.

Mirabitur fortasse non nemo, Indulgentiæ plenariæ munus, quod raro admodum usque ad exitum sæculi decimiquarti vel pro sacris Expeditionibus, vel recurrente anno Jubilæi Romæ Christi fidelibus impensum fuerat, facilius deinde, ut vidimus, consuevisse dispensari, adeo ut expedire judicaverint Summi Pontifices, ad fovendam Fidelium ergo Romanum Jubilæum venerationem, cunctas Indulgentias extra Urbem concessas suspendere. Sed eam facilitatem non sine maturo consilio, ac cælesti providentia præstitit Sedes Apostolica; cum enim successu temporis Romana Ecclesia magis animadverterit, quamplurimos Fideles socordes ac desides in satisfaciendo & in perferendis pœnitentiarum oneribus, atque commode resumi non posse veterum Canonum disciplinam, satius duxit frequentioribus ac profusioribus Indulgentiarum largitionibus eos ad Sacramentorum frequentiam cæteraque officia pietatis ac Religionis allicere, quæ plurimum apud Deum pollent, tametsi tantum non præseferant onus, quantum Sacræ Expeditiones longaque itinera ad Limina Apostolorum, quam congruis remediis destitutos, & peccatorum pondere prægravatos relinquere; & profecto cum Ecclesiæ bono peruțile sit Christifideles a vitiorum semitis revocare, maxime Ecclesiæ bonum animarumque salutem Sedem Apostolicam intendisse dicendum est per frequentiorem uberioremque Indulgentiarum largitionem, quam superioribus sæculis fuerit in usu, adjectis oneribus Sacramentalis Confessionis & Communionis, aliorumque piorum operum excercitiis. Inconstantiam vero nemo dixerit hujus Œconomi Ecclesiasticæ consiliique mutationem: memor D. Cyprianum probatissimum Ecclesiasticæ Disciplinæ censorem, qui antequam Indulgentiarum januam Lapsis aperiret, eorum pœnitentiam diuturnorem fore, annuente Clero Romano decreverat, deinde mutata sententia, ut majori illorum utili-

tati

tati prospiceret, illico eosdem ad pacem atque reconciliationem admisisse, non expectata longiori poenitentia: talique censura notatum se his verbis vindicasse, datis literis ad Antonianum = *Quoniam de meo actu motus videris, mea apud te persona, & causa purganda est, ne me existimet aliquis a proposito meo leviter recessisse, ut cum Evangelicum rigorem primo & inter initia defenderim, postea videar animum meum, a disciplina & censura priore flexisse, ut his, qui libellis conscientiam suam maculaverint, & nefanda sacrificia commiserint, laxandam pacem putaverim, quod utrumque non sine librata, & ponderata ratione a me factum est; nam cum prælium gloriosi certaminis in persecutione ferveret, toto hortatu & pleno impetu, Militum vires fuerant excitandæ, & Lapsorum Mentes animandæ, ut pœnitentiæ viam non solum sequerentur, sed & ad Martyrii gloriam prosequerentur.*

Verumtamen ut in dandis liberalius Indulgentiis indemnis servaretur Ecclesiæ disciplina, atque sancte & in corrupte Thesaurus meritorum Christi dispensaretur, plura, & quidem salubriter a Concilio Tridentino statuta fuerunt; & quoniam Quæstorum abusus denuo plurimum invalverant, disceptatum est: An Quæstores essent omnino tollendi? Acerrime declamarunt plurimi ex Patribus, eos scilicet Lutheranæ hæresi fomitem non sine Christifidelium scandalo ministrasse, innumeros esse eorum dolos ac fraudes, quibus emungendæ pecuniæ immoderata tegebatur ingluvies; ac proinde hujusmodi officium penitus abolendum, ne id quod ad Fidelium pietatem fovendam videbatur institutum, vitiorum famularetur illecebris. Ex altera vero parte alii hanc sententiam minime probantes existimarunt, ob lolium in agro Domini disseminatum non esse eradicandum triticum, sed ab eo purgandum, Quæstorum usu Fidelium conscientiis consuli, quibus onus admodum grave erat ad Apostolorum Limina pro obtinendis absolutionibus a casibus reservatis accedere, Concilia Lateranense, Lugdunense ac Viennense non sustulisse Quæstorum Officium, sed corruptelis inde manantibus, editis Statutis, obviasse, opportunum fore remedium Indulgentiarum promulgationem Quæstoribus prohibere relicta facultate quærendi Eleemosinas medio tamen Officiali ab eisdem deputando, cui vetitum esset de collectis pecuniis, vel minimum percipere. Sed ii qui de tollendis Quæstoribus sententiam protulerant, reponere visi sunt, illo decreto, de quo mox dictum est, potius augendos fore, quam minuendos Quæstorum abusus, gesta in tribus memoratis Conciliis apertissime demonstrare, non tam Ecclesiæ mentem, sed insuper impotentiam corrigendi tam perditæ gentis molimina. His cum accederet voluntas Pii IV. Summi Pontificis, qui per Episcopum Lancianensem, datis Literis ad Sedis Apostolicæ Legatos, suam mentem de tollendis Quæstoribus aperuerat, communi consensu statuerunt Patres. *Sess.* 21. *cap.* 9. *de Reformatione*: Quæstorum nomen pœnitus abolendum, nec personas ad illud munus obeundum in posterum admitti; ut videre est in Decr. eorundem Patrum, quod dabimus infra §.7. n. XXI.

Hoc tamen generale Decretum quantum ad Quæstores eorum Hospitalium, quæ Eleemosinarum auxilio subsistunt modificationem, seu potius declarationem subiisse, diserte colligitur ex eo, quod S. Pius V. & Gregogorius XIII., prævia sententia sacræ Congregationis Concilii Tridentini, subinde statuerint (testæ Fagnano *in cap. cum ex eo de Pœnit. & Remission. n.*21 *& seq.*) dare literas Encyclicas Locorum Ordinariis in quorum Dioecesibus Hospitalia reperiebantur tenoris sequentis = *Has Eleemosynas, quæ in tua Diœcesi pro usu dicti Hospitalis dabuntur, permittas; dummodo personæ, quæ colligent eas, honestæ vitæ & spectate Religionis, & tuo judicio approbatæ sint, minimeque participes dictarum Eleemosynarum, & Quæstorum nomen nullo modo gerant, sed simpliciter Eleemosynarum collectores nuncupentur, quique non publicent ullas Indulgentias, nec concionentur, nec circumferant privilegia, nec Reliquias, nec minis, aut imprecationibus inducant Fideles ad eleemosynam; nec Campanellam aliaque instrumenta similia, nec Quæstorum insignia ferant, pulsent ad excitandas personas; nec petant eleemosynam tamquam debitam, aut solitam, nec ulla arte (etiam prætextu dicendi Orationes S. Antonii aut alterius Sancti, vel ali-*

aliter) extorqueant pecuniam, sed simpliciter; permodeste & cum omni dexteritate petendo eleemosynam pro sustentatione dicti Hospitalis, recipiant tantum, quod sibi liberaliter offertur; neque super his eleemosynis ullam conventionem quovis modo faciant, etiam in utilitatem dicti Hospitalis. Diligenter autem curabit amplitudo tua, ut hæc omnia rite observentur, & ad id diligenter animadvertat, imo, quo etiam Sanctitas sua conscientiam tuam gravari voluit, advigilabit, ut quidquid dictarum eleemosynarum nomine fuerit collectum, id totum in usum tantum ipsius Hospitalis, & non in alium convertatur.

Cæterum his sanctionibus non prohibetur Regularibus Mendicantibus citra Ordinariorum veniam in Civitatibus & Diœcesibus, ubi habent Conventus, eleemosynas quærere, dummodo per se ipsos, & non per alios id præstent; quamobrem testatur Fagnanus prælaudatus in *cap. Tuarum de Privileg. n. 3.* Sacram Congregationem Concilii declarasse = *Fratres Mendicantes non posse quidem ab Episcopis prohiberi, quominus per se ipsos, in Diœcesibus ubi habent Conventus, eleemosynam quærant; sed tamen si extra Loca ubi Monasteria existunt, quæritare voluerint, teneri suorum, Superiorum licentiam Ordinario ostendere; ac si extra Diœcesim, teneri etiam illius consensum obtinere. Cæterum nullatenus esse permittendum, ut eleemosynas quærant per alios, quam sui Ordinis Fratres* = Quod pariter respondisse Sacram Supremæ & Universalis Inquisitionis Congregationem Libello supplici Episcopi Baresis mense Martio anno MDCLIII., testatur Cardinalis Albitius in suo Opere *de Inconstantia in fide cap. 40. n. 114.* hoc referens dictæ Congregationis Decretum = *Eminentissimi & Reverendissimi Domini Cardinales Generalis Inquisitionis decreverunt, quod non sunt comprehensæ in Decreto contra Quæstores Religiones illæ, quæ mittunt proprios Religiosos ad quæstuandum, dummodo non publicent Indulgentias, & observent requisita a Sacro Concilio Tridentino.*

Ut vero ad alia Concilii Tridentini statuta de Indulgentiis transeamus, non ommittendum hic existimamus, Decreto de abolendis Quæstoribus aliud addidisse Patres, ne falsæ pro veris palam Indulgentiæ proponerentur, eas scilicet nunquam inposterum, publicari debere, nisi prævio Ordinariorum examine, nec non duorum de Capitulo, data eis facultate pia Fidelium subsidia recipiendi, citra tamen quamlibet mercedem. Prædicti autem duo de Capitulo ad Indulgentias juxta Tridentinum recognoscendas adhibendi, non ab ipsomet Capitulo sed ab Episcopo sunt eligendi ex declaratione Sacræ Congregationis Concilii sub die 22. Julii MDCXIV., relata a Lavorio *p. 2. cap. 13.*

Hic tamen difficultati discutiendæ aditus aperitur; an Tridentini decretum prælaudatum de modo publicandi Indulgentias, Regulares ab Ordinariorum jurisdictione exemptos afficiat; ita ut dicti Regulares, in Indulgentiarum publicatione ab illis omnino dependere teneantur? Sed id remanet solutum ex Responsionibus dictæ Sacræ Congregationis, quæ pluries [teste eodem Lavorio *loc. mox cit.*] statuit = *Regularibus non licere in ipsorum Ecclesiis, etiam pretextu privilegiorum publicare, vel proponere populo novas Indulgentias sibi ipsis concessas sine licentia & approbatione, vel authoritate Ordinarii; secus vero olim a Romanis Pontificibus concessas* = Idem quod mox vidimus a Concilio Tridentino decretum, sancivit Concilium Mediolanense V., Præside D. Carolo Borrhomæo Archiepiscopo Mediolanensi, celebratum anno MDLXXIX. sequentibus verbis = *Ne cuivis Rectori; Ecclesiæ etiam exemptæ, quovis modo, neque ulli Ordini Regularium, neque cuiquam Scholæ, Confratriæ etiam Rosarii, & Crucesignatorum loci ve pii, collegio, pretextu causave vel privilegiorum etiam antiquorum vel Indulgentiarum, quas sibi quovis modo concessas, etiam instar Ecclesiarum, Locorumve piorum, Confratriarumque Urbis Romæ habet: liceat illas ipsas in suis Ecclesiis promulgare; sed ut Decreto Tridentini cavetur, per Episcopum adhibitis duobus de Capitulo, illæ quotannis statuto tempore publicentur, atque evulgentur: Eleemosynæ item atque charitatis subsidia quæcumque eo nomine occasioneve a Fidelibus offeruntur, per eos ipsos colligantur, & Ecclesiæ locove, cujus causa Indulgentia concessa est, omnino*

no attribuantur; *idque gratis*, *ac nulla prorsus mercede*.

Ut aliis hujusmodi abusibus occurreret Concilium Tridentinum, voluit quæstus omnes pro Indulgentiis obtinendis aboleri, aliasque corruptelas in Provincialibus Synodis Episcoporum cura inquirendas & colligendas ad Summum Pontificem deferri; & moderationem in iis dispensandis sese concupire non siluit juxta veterem & probatam in Ecclesia consuetudinem. Extat hoc decretum §. 7. n.XXII.

Quod si hic cum Petro Suavi contenderes, modernum Indulgentiarum usum adversari menti Tridentini, quod voluit, in dandis Indulgentiis veterem Ecclesiæ disciplinam observari; haud negaverim olim in Ecclesia parciorem fuisse earum usum, verum illis verbis = *in his* (nempe Indulgentiis) *concedendis moderationem juxta veterem & probatam in Ecclesia consuetudinem adhiberi cupit* = nequaquam Tridentinum significare voluit (uti inquit Eminentissimus Pallavicinus eundem Suavem impugnans) ut omnino ad veterem severitatem fieret reditus, sed decrevit dumtaxat, seu potiùs concupivit, nimiam laxitatem inductam ad eos fines coarctari, quos temporum ac locorum conditio suaderet. Itaque cum hac ætate nequeat resumi, (ut superius innuimus) Canonicarum satisfactionum frequentia, & rigor, experientia teste didicimus, adjumentum asse suave & efficax, pro hominibus excitandis ad opera pietatis, illicium Indulgentiæ comparandæ, neque illo, dummodo sit prudens, ac temporum locorumque vicissitudini accomodatus, desides ad satisfaciendum Deo redduntur Fideles ad alia religionis atque pietatis officia; cum enim nemini certo constare queat, an impletis plane operibus in Indulgentiarum concessionibus requisitis, earundem fructum obtinuerit, remanet stimulus ex una parte, ut per novorum operum studium reddatur quis de solvenda pœna temporali sollicitus; ex alia vero, quæ ipsis ad hujusmodi spiritualia munera acquirenda injunguntur; studium pietatis adaugent, atque ad similia peragenda facilitatem inducunt.

Eam piam Concilii Tridentini mentem de quæstubus pro Indulgentiis penitus abolendis assecutus Pius IV., mandavit Brevium Indulgentiarum quarumcumque expeditionem sine clausula *porrigendi manus adjutrices*; gratis fieri, adjecta pœna excommunicationis latæ sententiæ in Ministros Curiæ Romanæ, si quid acciperent excepto salario *Registraturæ*, edita Constitutione, cujus initium est: *Decet Romanum Pontificem* anno MDLXII. sub die septima Novembris, quam dabimus §.7. n.XXIII. Ne autem prætextu Indulgentiarum, quæ concessæ jam erant cum clausula = *Pro porrigentibus manus adjutrices* temporale potius quam spirituale animarum lucrum quæreretur, aliaque illicita non sine Christifidelium scandalo perpetrarentur, uti de quibusdam viris in diversis Orbis partibus id agentibus fama vulgaverat, eas omnes Religionibus, Confraternitatibus, Ecclesiis, Monasteriis aliisque locis piis, ab Apostolica Sede antea concessas, S.Pius V. constitutione incipiente: *Etsi Dominici Gregis* emanata, VI. Idus Februarii anno MDLXVII. revocavit, ac irritas reddidit: eademque decrevit, ut imposterum Indulgentiarum ac facultatum per quoscumque Romanos Pontifices obtentarum prætextu, etiam in fidei, ac Sanctæ Cruciatæ favorem concessarum; nullus omnino quacumque præditus dignitate, vel Ecclesiastica, vel temporali auderet quæstus facere, aut Nuntios, Quæstores, Commissarios &c. pro eleemosynis recipiendis constituere, nisi ex speciali licentia & certa scientia Romani Pontificis pro tempore existentis; ut plenius constat ex eadem Constitutione referenda §.7.n.XXIV. Et quia in Diœcesi Toletana aliisque Hispaniæ Diœcesibus irrepserant abusus, adhuc post promulgatam hanc Constitutionem, ut iis, qui certam pecuniæ quantitatem solverent, concederetur quem voluissent sibi eligere Sacerdotem, qui eisdem absolutionem a casibus Episcopis reservatis impenderet, atque pœnitentiarum relaxationes profusius & indiscrete largirentur: indices præterea appenderentur casuum necnon Indulgentiarum in Ædibus sacris, quibus palam significabatur, solventibus pecuniæ summam, præter suprascripta, concedi facultatem cibos vetitos comedendi; item Missæ Sacrificium, nec non sepulturam tempore Interdicti, assumptionem quoque duorum & plurium Compatrum ad Sacrum Baptisma, præter eos, qui in Synodalibus Constitutionibus præfigebantur; Ecclesiarum reparationem Confra-

 ter-

ternitatum erectiones, & alias pias causas prætexendo; idem S. Pius V. alia edita Constitutione incipiente: *Quam plenum* anno MDLXX. quarto Nonas Januarii prædicta omnia abrogavit, jussitque supramemoratos indices, nec non scripturas, & monumenta quæcumque publica & privata, per Locorum Ordinarios, & alios Ecclesiarum Rectores ubicumque reperirentur, dilacerari, pœnitusque deleri. Habes hanc Constitutionem infra §.7. n.xxv.

Adeo Sanctæ ac salubriter editas existimarunt S. Pii V. Pontifices Successores prædictas Sanctiones, ut in plurimis Indulgentiis plenariis ac Jubilæis postmodum liberaliter datis nunquam posthac clausulam *pro porrigentibus manus adjutrices* adhibuerint.

Quamquam vero brevis hujus historicæ Dissertationis metas excederet Jubilæa omnia singillatim recensere, instituti tamen nostri ratio silentio præteriri non patitur Jubilæum universale a Romanis Pontificibus indici consuetum initio suscepti regiminis Ecclesiæ, primo a Sixto V. anno MDLXXXV. promulgatum. Hujus specialis gratiæ pontificio Diplomate admonentur Fideles ad divinam exorandam Majestatem, ut iis, quibus omnium Ecclesiarum sollicitudo commissa est, vires conferat pro Pastorali munere recte obeundo ad ejus gloriam & animarum salutem, Hæreses extirpet, Fidem Catholicam propaget, atque Christiani Populi calamitatibus opportune subveniat: atque conceditur 1.° cunctis Fidelibus, qui una, vel altera ex duabus Hebdomadibus designatis Ecclesias vel a Summis Pontificibus deputatas, vel a Locorum Ordinariis deputandas devote visitaverint, & feria IV., VI. & sabbato jejunaverint, nec non Confessi & Sacra Communione refecti fuerint, & eleemosynam pront eorum devotio suggesserit pauperibus erogaverint, plenissima peccatorum Indulgentia, & remissio, sicut in anno Jubilæi visitantibus Ecclesias certas intra, vel extra Urbem solet concedi. Idem Navigantibus & iter agentibus indulgetur, dummodo cum primum ad sua domicilia se receperint, supradictis peractis, Ecclesiam Cathedralem, vel Majorem, aut Parochialem visitaverint: & Regularibus utriusque sexus, etiam in claustris perpetuo degentibus, nec non Laicis & Ecclesiasticis personis Sæcularibus, vel Regularibus, etiam in Carcere aut Captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio impedimento detentis, qui supradicta opera præstare nequiverint, si obtineant a Confessariis ab Ordinariis approbatis eorum commutationem in alia pietatis opera, vel in aliud tempus prorogationem. 2.° tam Laicis, quam Ecclesiasticis, Sæcularibus & Regularibus, ut sibi ad dictum effectum Confessarium Sæcularem, vel Regularem ex approbatis ab Ordinario possint eligere, qui eos ab Ecclesiasticis censuris a jure, vel ab homine latis, & a criminibus etiam enormibus Locorum Ordinariis, vel Apostolicæ Sedi reservatis absolvant, vota insuper quæcumque (Religionis & Castitatis exceptis) in alia opera commutent, injuncta tamen eis in supradictis casibus pœnitentia salutari. Vide §.7. n. XXIX. hujus concessionis formam in Literis Apostolicis Sanctissimi Domini nostri Benedicti XIV.

Sed ut ad Sanctæ Sedis & Ecclesiæ Romanæ statuta, tum pro evellendis Indulgentiarum abusibus tum pro earum excessibus moderandis, unde digressi sumus, redeamus, id etiam hic recolendum est, quod cum sæculo XV. & XVI. plenariarum Indulgentiarum, & quarumdam etiam in forma Jubilæi concessionum invaluisset frequentia, eaque Summis Pontificibus nimia largitas videretur, idcirco Congregationi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium super hac re deputatæ a Clemente VIII. commissum est, ut nimis profusas earum largitiones; ubi opportunum judicaret, restringeret, aut revocaret = *Quarum Indulgentiarum* (inquit Papebrochius de illarum antiquitate pertractans) *cum tanta invalesceret frequentia, ut nonnullis Pontificibus nimia videretur, instituta excessui moderando Congregatio est* = Quamobrem Baronius ad annum Christi DCCCXLVII. Clementem Pontificem sequenti elogio decoravit = *Ad quam laudabilem antiquam formam Sanctissimus Dominus noster Clemens* VIII. *divino instinctu effusas nimis Indulgentiarum concessiones restringere aggressus est; fiunt enim potius remissiores vasta Indulgentiarum laxitate Fideles* = & Bellarminus *Lib.* 3. *de Pœnit.* idem Institutum expendens = *Laudandus merito est* (, inquit,) *Cle-*

Clemens VIII. *Pontifex Maximus, qui nunc sedet, quod Decretum Concilii Lateranensis sub Innocentio* III. *de moderandis Indulgentiis, & Decretum sessionis 25. de revocandis Indulgentiis ad veterem, & probatam Ecclesiæ consuetudinem executioni mandari studet* = Prædictæ Congregationis necessitatem expendens Clemens IX., eandem etiam sacris Reliquiis præpositam in perpetuum erexit, selectis ad id muneris obeundum quibusdam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, & Romanæ Curiæ Prælatis, nec non Regularibus Sacræ Theologiæ Pontificiique juris peritis, usque rerum & prudentia præstantibus, qui ex facultate sibi attributa. 1.° omnem difficultatem ac dubietatem in sacris Reliquiis, & Indulgentiis emergentem, quæ ad fidei dogmata non pertinent, expedirent. 2.° in Reliquiis & Indulgentiis, qui abusus subrepsissent, illos emendarent, & corrigerent judicii forma plane postposita, causasque judicialem formam requirentes ad proprios Judices remitterent. 3.° Apocryphas indiscretasque Indulgentias imprimi non permitterent, impressas recognoscerent & examine discuterent, ac ubi Sanctissimo retulerint, ejusdem authoritate reiicerent. 4.° Reliquias de novo inventas, quas Innocentius III. in Concilio Lateranensi citra Romani Pontificis approbationem publica veneratione coli prohibuit, recognoscerent, & examinarent. 5.° in concedendis tum Indulgentiis tum Sanctorum Reliquiis moderate se gererent, omniaque sancte & incorrupte fieri curarent; edita Constitutione cujus initium est: *In Ipsis Pontificatus nostri Primordiis* sub die 6. Julii anno MDCLXIX.; quæ habetur §.7. n.XXVI.

Eandem Sacram Congregationem, quæ subinde ab anno MDCLXXXI., quum Innocentius XI. claræ Memoriæ Michaelem Angelum Riccium ejusdem Sacræ Congregationis Secretarium sacra purpura donavit, in desuetudinem abierat, Clemens XI. anno MDCCX. instauravit, eo potissimum ductus consilio, ut in Indulgentiarum concessionibus moderamen a Clemente IX. prælaudato, & a Tridentinis Patribus expetitum adhiberetur.

§. VI.

De Erroribus contra Indulgentias Eorumque Authoribus.

POst descriptam quarundem Indulgentiarum seriem, ac post relatos excessus & abusus earundem Ecclesiasticis Sanctionibus correctos & emandatos, ad errores, qui tam directe quam indirecte Indulgentiarum dogmati adversantur, progredimur exponendos; ut in subsequentibus Capitibus in quibus Catholicam veritatem ab Hæreticorum dicteriis curabimus vindicare, opus non sit de omnibus singillatim mentionem facere.

Montanus Cathaphrigum Hæresis Author, natus in Mysia Phrigiæ Urbe, quæ Ardeban dicebatur, circa medium sæculi II. imperante Marco Aurelio, primus contra Indulgentiarum Dogma labarum extulit; Inter plures enim, quos protulit & disseminavit errores, veniam etiam omnibus criminibus tum quoad culpam, tum quoad pœnam concedi posse denegavit, teste D. Hieronymo, qui de Montano ejusque Sectatoribus ait. = *Illi* (nempe Montanistæ) *ad omne pene delictum Ecclesiæ fores obserant. Nos quotidie legimus: Malo pœnitentiam peccatoris quam mortem; & numquid qui cadit non resurgit? dicit Dominus: & convertimini ad me filii convertentes, & ego curabo contritiones vestras. Rigidi autem sunt, non quod & ipsi majora non peccent, sed hoc inter nos & illos interest; quod illi erubescant confiteri peccata quasi justi, nos dum pœnitentiam agimus, facilius veniam promeremur* = Scripserunt adversus Montanistas Appollinaris Episcopus Hyeropolitanus, referens apud Eusebium *lib.5. cap.16.* eorum doctrinam ut profanam & impiam in pluribus Asiæ Conciliis fuisse damnatam, Appollonius pariter qui & profligatos eorundem errores detexit & insectatus est, & Serapion in *Epistola ad Coricum, & Ponticum* data, quorundam Episcoporum subscriptionibus munita; ut habetur ex Eusebio *cap.17. ejusdem Libri*.

Tertullianus Carthaginensis, Centurionis Proconsularis filius, ex Ethnico ad Christianam Religionem conversus, quantum

editis antea voluminibus fidei Catholicæ profuit, tantum illi deinde nocuit consequentibus libris dum hæreticus esset conscriptis; Montani siquidem Errores sub initium sæculi III. olim a se execratos amplexatus, inter cæteros illum asseruit & propugnavit: Non dari in Ecclesia potestatem remittendi Fornicationem aliaque graviora crimina, quæ, modo in multorum notitiam devenissent, pœnitentiæ publicæ rigore plectebantur, existimans, hoc non homini, sed soli Deo convenire; ideoque *lib. de Pudic. cap.* I. Decretum a Zefirino Romano Pontifice latum de Indulgentia præstanda Mæchis, aliisque flagitiosis proscindens, & irridens, inquit = *Audio Edictum esse propositum, & quidem peremptorium: Pontifex Maximus, Episcopus Episcoporum, Ego & Mæchiæ & Fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto* = Mox sic discurrit adversus idem Decretum. *Oh Edictum cui adscribi non potest bonum factum! Et ubi proponetur liberalitas ista? ibidem opinor in ipsis libidinum januis, sub ipsis libidinum titulis. Sed hoc in Ecclesia legitur, & in Ecclesia pronuntiatur, & Virgo est! Absit a Sponsa Christi tale præconium* = & *cap.* 22. in Pontificem laudatum invehitur, eo quia ad Martyrum, preces & Libellos relaxationem pœnitentiæ Canonicæ Mœchis daret, dictitans, Martyrum passiones vix ad satisfaciendum Deo pro personalibus eorum reatibus sufficere; proindeque publicæ Pœnitentibus applicari minime posse = *At tu in Martyres tuos*, inquit, *effundis hanc potestatem, ut quisquis ex consensione vincula induit adhuc immollia, in novo custodiæ nomine statim ambiunt Mæchi: statim adeunt Fornicatores. Jam preces circumsonant, jam lacrimæ circumstagnant maculati cujusque, nec ulli magis aditum carceris redimunt, quam qui Ecclesiam perdiderunt. Violantur viri & Feminæ in tenebris plane ex usu libidinum notis, & pacem ab his quærunt, qui de sua periclitantur. Alii ad metalla confugiunt, & inde Communicatores revertuntur, ubi aliud Martyrium necessarium est, delictis post Martyrium novis. Quis enim in Terris & in carne sine culpa? Quis Martyr sæculi incola, denariis supplex, Mendico obnoxius aut Feneratori! Puta nunc sub gladio jam capite librato: puta in patibulo jam corpore expanso: puta in stipite jam leone concesso: puta in axe jam incendio adstracto, in ipsa dico securitate & possessione Martyrii. Quis permittit homini donare quæ Deo reservanda sunt, quæ nec Apostoli, quod sciam, Martyres & ipsi donabilia judicaverunt? Denique jam ad bestias depugnaverat Paulus Ephesi, cum interitum decernit Incæsto. Sufficit Martyri propria delicta purgasse. Ingrati, vel superbi est in alios quoque spargere, quod pro magno fuerit consecutus. Quis alienam mortem sua solvit, nisi solus Dei Filius? Nam & in ipsa passione liberavit Latronem; ad hoc enim venerat ut ipse a delicto purus, & omnia sanctus pro peccatoribus obiret. Proinde qui illum æmularis donando delicta, si nihil ipse deliquisti, patere pro me. Si vero peccator es, quomodo oleum faculæ tuæ sufficere & tibi, & mihi poterit.* = Quæ in Tertulliano expendens Baronius ad annum CCXVI. n. 6. exclamat = *Proh dolor! tam densa caligine ingenium adeo nobile offundi valuit, ut quod Christus vivens fecerat adulteræ indulgendo, & publicam in Civitate peccatricem suscipiendo, peccatumque dimittendo; ipse novo afflatus spiritu, sui ipsius Pseudoparacleti auctoritate neget in Ecclesia faciendum! At si non satis exemplis Christi, verbis saltem Christi debuisset admoneri, & apertæ lucis radiis illustrari. Et ubi nam, quæso, quod dixit Dominus, simillimos illi alloquens Pharisæos, attollentes de legis observantia supercilium: Meritrices, & Publicani præcedent vos in Regnum Dei? An, rogo, suscipiendæ in Cælum meritrices forent, nisi prius erroris pœnitentes fuissent ab Ecclesia in terra receptæ? An dedignaretur eas recipere hic Ecclesia, quas sciret Christi testimonio esse recipiendas in Cælum? purior ne esse potest Ecclesia Paradiso, vel Episcopus Deo Sanctior, ut quod Cælum suscipit, proscribat Ecclesia; & quod Christus recipit homo rejiciat?* = Eundem cum Proclo ab Erroribus non resipiscentem Ecclesiæ communione fuisse privatum, conjicit Pamelius in vita ejusdem.

Tertulliano addi potest Novatianus Presbyter Romanus, in summum Pontificatum primo conflato schismate intrusus contra S. Cor-

S. Cornelium anno CCLI. vel CCLIV. a Novato, qui aliud Schisma in Africa contra S. Cyprianum Ecclesiæ Carthaginensis Antistitem excitaverat. Hic Decretum provisorium in causa Lapsorum a Clero Romano sede vacante latum, de quo supra §. 3. meminimus, primo reprobavit; ac postea aperta fronte negavit, Ecclesiam Lapsis in persecutione Gentilium, seu Sacrificatis, atque Libellaticis veniam posse indulgere; ut tradit Author *libri ad Novatian.* sub nomine D. Cypriani = *Cogitanti mihi*, inquit, *& intolerabiliter omnino æstuanti, quid nam agere deberem de miserandis Fratribus, qui vulnerati non propria voluntate, sed Diaboli sævientis irruptione adhuc usque, hoc est, post per longam temporis seriem agentes, pœnas darent, ecce ex adverso obortus est alius hostis, & ipsius paternæ pietatis adversarius hæreticus Novatianus, qui non tantum, ut in Evangelio significatum est, sicut Sacerdos, vel Levites jacentem vulneratum præteriret, sed ingeniosa, ac nova crudelitate sauciatum potius occideret adimendo spem salutis, denegando misericordiam Patris, respuendo pœnitentiam Fratris* = Idem refert Eusebius *lib. 6. Histor. Eccles. cap. 35.* = *Novatus*, inquit, (substitue Novatianus) *Romanæ Ecclesiæ Presbyter, arrogantia quadam & fastidio contra Lapsos elatus, asseruit, non amplius illis* [*quamvis omnia quæ viderentur ad veram pœnitentiam, ad conversionem animarum, ad puram denique Confessionem spectare omnino peragerent*] *spem ullam salutis omnino reliquam fieri. Unde propriæ cujusdam sectæ & erroris eorum, qui præ inflata quadam mentis insolentia se ipsos* Καθαρὰς *esse, idest puros asserunt, dux fuit* = Sicut in Romano Schismate ducem habuit Novatum, ita & in erroribus commilitonem. In quo sane manifestum fuit inconstans Novati consilium, qui enim in Africa provisorium Cleri Romani Decretum in causa Lapsorum emanatum, tamquam nimis rigidum redarguerat, nullaque inspecta criminum diversitate asseruerat, omnibus peccatoribus veniam fieri debere incunctanter, Romæ e contra anteactæ lenitatis oblitus illud ipsum decretum Ecclesiasticæ disciplinæ penitus eversivum dictitabat; ita ut, qui olim duræ nimis austeritatis redarguebat Episcopos, nimiæ deinde facilitatis Cornelium Romanum Pontificem incusaret. Quod fortasse causæ fuit, ut Eusebius *lib.6.Hist.Eccles.cap.35.* & S. Epiphanius *Hæres. 39.* Novatum cum Novatiano confunderent, unumque pro altero usurparent.

Ut perversæ doctrinæ semen ubique terrarum spargeret Novatianus, Epistolas Encyclicas dedit ad universos Episcopos, ut testatur Socrates *lib.4. Histor. Ecclesiast. cap. 23.* ubi de eo ita scribit = *Deinde omnibus Ecclesiis ubique scripsit literas, ut eos, qui simulacbris immolassent, minime ad Mysteria admitterent, sed Deo, qui potest & habet authoritatem peccata remittendi. Quibus literis ad Provincias perlatis, singuli pro suo ingenio de rebus in illis significatis judicium fecerunt. Nam quia erat a Novatiano significatum, eos, qui post baptisma peccatum ad mortem commisissent, ad Mysteria non esse recipiendos: ejusmodi Canonis promulgatio quibusdam acerba & & severa nimis visa est, a nonnullis probata, utpote æqua, & ad vitam rectam instituendam multum afferens adjumenti. Dum hæc inter eos agitatur controversia, Literæ Cornelii Episcopi allatæ sunt, quæ significabant spem veniæ etiam illis esse reliquam, qui post Baptismum deliquissent.*

Temporis progressu, ut apposite & aptius ratiocinaretur, quæcumque peccata post Baptismum commissa indiscriminatim esse irremissibilia per Ecclesiæ Claves, censuit Novatianus cum Novato; cujus rigorem ejus sectatores ita temperarunt, ut negaverint Ecclesiæ authoritatem condonandi graviora delicta, secus vero leviora, teste D. Ambrosio *lib. 1. de Pœnit. cap. 2.* = *Sed ajunt*, inquit, *se, exceptis gravioribus criminibus, relaxare veniam levioribus. Non hoc quidem auctor vestri erroris Novatus, qui nemini pœnitentium dandam putavit, ea scilicet contemplatione, ut quod ipse non posset solvere, non ligaret, ne ligando speraret a se faceret solutionem. In eo igitur Patrem vestrum propria damnatis sententia, qui distinctionem peccatorum facitis, quæ solvenda a vobis putetis, & quæ sine remedio esse arbitramini. Sed Deus distinctionem non facit, qui misericordiam suam*

suam promisit omnibus, & relaxandi licentiam Sacerdotibus suis sine ulla exceptione concessit. Sed qui culpam exaggeravit, exaggeret etiam pœnitentiam, majora enim crimina majoribus abluuntur fletibus. Ita nec Novatus probatur, qui veniam interclusit omnibus, nec vos imitatores ejusdem sed condemnatores, qui ibi minuitis studia pœnitentiæ, ubi augeri oportet, quia graviora peccata majoribus sustentanda fulcris, docuit Christi misericordia;

Fregit tamen Novatiani impudentiam S. Cornelius Papa; etenim Romæ coacto Concilio sexaginta Episcoporum, ac totidem Presbyterorum, decrevit: Lapsos pœnitentiæ remediis curandos esse, & Indulgentia donandos, illumque cum sectatoribus anathemate perculsit, ut testatur *Euseb. Lib.6. Histor. Ecclesiast. cap.35.* Aliud insuper in Africa celebratum reperimus adversus Novatianum Concilium quadragintaduorum Episcoporum, in quo definitum est; Lapsis pacem esse concedendam expleta tamen diuturna pœnitentia, ut colligitur *ex Epist. S. Cypriani* ad Antonianum supra §. 3. citata.

Bellum contra Indulgentias sopitum iterum excitarunt Waldenses circa ann. MCLX. dicti etiam *Pauperes de Lugduno*, a Petro Waldo, qui cujusdam concivis repentina morte perterritus, cunctis opibus ac facultatibus in pauperes erogatis, innumerabilem pene virorum multitudinem congregavit, qui voluntariam Christi, atque Apostolorum exemplo amplexati sunt paupertatem; vocati etiam *Leonistæ*, *Picardi*, *Albigenses*, *Lombardi*, *Bohemi*, quia in hisce regionibus grassabantur: *Arnoldistæ Esperonistæ Josephistæ* a variis ipsorum Doctoribus: *Cathari*, eo quod se puros jactabant: *Patareni*, eo quod ad persecutiones ferendas se paratos gloriabantur. Cum Waldus novi Testamenti textum vulgari lingua sectatores edoceret = *pro temeritate* (ut inquit Rainerius olim inter Waldenses Episcopus, postea Deo afflante ad Fidem Catholicam conversus, atque sacræ Ordinis Prædicatorum Familiæ aggregatus, in Opusculo *de Hæreticis*) *cum fuisset reprehensus contempsit, & cœpit insistere doctrinæ suæ, dicens Discipulis: quod Clerus quando mala vitæ esset, invideret sanctæ vitæ ipsorum, & doctrinæ*. Hinc tam perditæ doctrinæ sectatores Romani Pontificis anathema in ipsos Latum nihil facientes, inter quamplurimos errores contra Sacramenta Ecclesiæ, Dogmata, Ritus & consuetudines promulgatos, Indulgentias pariter improbarunt = *Hæretici Waldenses* (inquit Petrus de Pelichdorf, qui eorum errores describendos suscepit in *Tract. contra Hæresim Waldensium cap.30.*) *reprobant Indulgentias Prælatorum Ecclesiæ, peregrinationes ad Limina Sanctorum Apostolorum & annum Jubilæi* = Idem tradit eruditus Anonymus relatus in *Bibliotheca veterum Patrum tom.13.* eorum etiam rationes & argumenta referens, quibus ad sui erroris patrocinium utebantur = *Indulgentiæ & Remissiones, quæ per Episcopos fiunt, nullius sunt utilitatis vel momenti*. 1.^m^ Fundamentum: *Si Benefactoribus alicujus loci remittitur tertia pars, vel hujusmodi injunctarum pœnitentiarum. Ergo remissiones illæ sunt venales. Si quis enim ovum, vel obolum dederit, erit benefactor; & si datur illi remissio pro pecunia, venalis erit remissio & remissionis gratia*. 2.^m^ *Si duorum vel plurim annorum pœnitentia in unius oboli oblatione commutatur, & annorum plurimorum in horam brevissimam. Ergo Deus defraudatur*. 3.^m^ *Si verum esset, quod de Indulgentiis dicitur. Ergo eodem pretio longæ & graves pœnitentiæ, quo leves & breves redimuntur*. 4.^m^ *Hujusmodi Indulgentiæ dant impunitatem peccandi, quia homines impune peccant, si tam levis, imo rediculosa sit remissio peccatorum*. 5.^m^ *Si Indulgentia esset vera, tunc insanissimi sunt, qui transfretationes, & alias longas peregrinationes suscipiunt; si tres oboli tantum eis prosunt*.

Visum est Christiano Lupo Waldenses admisisse Indulgentias, quas propter sacri transmarini belli susceptionem, aut alias laboriosas ad Sanctorum Limina peregrinationes tunc dabat Ecclesia, & damnasse dumtaxat quæstuarias. Cæterum cum illi asseruerint nullum superesse debitum pœnæ temporalis luendæ post remissam culpam, Anonymo laudato inter alios errores hunc referente = *Quandocumque dimittitur alicui culpa, dimittitur, & pœna* = aperte colligitur, omnium & quarum-

rumcumque Indulgentiarum utilitatem reprobasse.

In Lumberiensi vero Synodo celebrata, juxta Rogerium Hovedenum anno MCLXXV. de Erroribus convicti, ut pœnas Hæreticorum declinarent, Fidei dogmata oretenus professi sunt; juramento tamen ea firmare compulsi, pertinaciam & Hæreses prodidere. Inde ab Ecclesia ejecti, aliam subierunt damnationis sententiam in duobus Œcumenicis Conciliis Lateranensibus, III. celebrato sub Alexandro III. anno MCLXXIX. & IV. celebrato sub Innocentio III. anno MCCXV. Extat in lib. V. Decretalium *tit. VII. de Hæreticis* a Gregorio IX. prolata damnatio his verbis expressa = *Excommunicamus, & anathematizamus universos Hæreticos, Catharos, Patarenos, Pauperes de Lugduno, Passaginos, Josepinos, Arnaldistas, Speronistas . . . . Damnati vero per Ecclesiam, sæculari judicio relinquantur, animadversione debita puniendi: Clericis prius a Sacris Ordinibus degradatis. Si qui autem, de prædictis postquam fuerint deprehensi, redire voluerint ad agendam condignam pœnitentiam, in perpetuo carcere detrudantur.* = Eosdem etiam pœnis temporalibus addictos fuisse a Friderico II. habetur ex ejus Constitutione relata a Goldasto *tom. I. Constitutionum Imperial. pag. 295.* = *Patarenos, Speronistas* [sunt verba Constitutionis laudatæ] *Leonistas, Arnaldistas, Circumcisos, Passaginos, Josepinos . . . . Waldenses . . . . Pauperes de Lugduno, & omnes Hæreticos utriusque sexus, quocumque nomine censeantur, perpetua damnationis infamia diffidamus, atque bannimus, censentes, ut bona talium confiscentur, nec ad eos ulterius revertantur; ita quod filii eorum ad successiones pervenire non possint, cum longe sit gravius æternam, quam temporalem offendere majestatem.*

Heterodoxis Indulgentiarum impugnatoribus accensent aliqui Scriptores Circumcelliones ab antiquis illis e Donatistarum Secta longe diversos, qui suos errores promulgarunt circa medium seculi XIII. Verum non ablegarunt illi absolute ab Ecclesia Christi potestatem dandi Indulgentias, sed odio perciti adversus Innocentium IV. ob sententiam depositionis ab Imperio, in Fridericum II. anno MCCXLIV. latam in Concilio Lugdunensi I. Generali XIII., propter Simoniæ crimen quod falso Ecclesiæ Romanæ affingere non dubitarunt, perperam intulerunt, eandem Clavium potestate exutam non posse Delinquentes censuris percellere, nullam Indulgentiam elargiri, ac Sacerdotum absolutiones esse frivola, & vana molimina = *Hoc tempore* (ita loquitur Abbas Urspergensis in supplemento ad annum MCCXLVI.) *fuerunt in Suevia Prædicatores, qui in Pontificem Romanum, & Cardinales magna dicendi libertate os aperirent, Friderici II. & Conradi Filii causam justificantes, ausi dicere apud Summum Pontificem, Cardinales & Episcopos, nullam residere auctoritatem, quoniam omnes una labe Simoniæ maculati essent: nec quidquam tenere a Christo potestatis: & quod Sacerdotes in mortali constituti peccato neque ligarent, neque solverent, neque consecrarent: Quod nemo in Orbe Christiano interdicere posset divinis Officiis; quodque sine discrimine ea celebrarentur impune, & in fine suæ prædicationis, Indulgentiam, inquiunt, quam annuntiamus non a Papa confictam, non a Prælatis compositam, sed ex Deo omnipotenti vobis annuntiamus.*

Alii hic Flagellantium sectam referunt, Perusii primum circa annum MCCLX. exortam, ac deinde circa medium seculi XIV. per Bohemiam, Austriam & Hungariam grassantem, quæ cum non esset approbata ab Episcopis, quamprimum ab superstitionem atque hæresim degeneravit, immoderata enim ejus Sectatores propriorum Corporum Carnificina freti, cunctis inspectantibus exercitia, asseruerunt, neminem posse ab Ecclesia vel culpæ, vel pœnæ remissione donari, qui eorum institutum non amplecteretur. Extant apud Raynaldum ad annum MCCCXLIX. contra Flagellantes Clementis VI. Literæ ad Archiepiscopum Magdeburgensem ejusque suffraganeos, datæ Avenione XIII. Cal. Novembris anno MCCCXLIX. quibus Sectam illam & errores damnavit. Observatione tamen dignum arbitramur, non reprobasse Pontificem spontaneam proprii Corporis flagellationem, animo vere pœnitendi de culpis, sub prudentis moderatoris arbitrio susceptam, sed cum ostentatione factam, pluribusque erroribus contaminatam. Cæterum

rum ſuperfluum putamus, ſingulos errores, qui vel minimum ſapiunt contra Indulgentias, vel remotiſſime Clavium feriunt poteſtatem, ex profeſſo recenſere.

Hiſce ſepultis monſtris, Wicleffiana hæreſis contra Indulgentias e Tartaris erupit, authore Joanne Wicleffo, natione Anglo, ingenii dexteritate pollenti, ſed ſuperbo & ambitioſo, qui cum Collegii Cantuarienſis Oxonii præfectura, quam præter jus faſque invaſerat, Summi Pontificis decreto, cauſa cognita fuiſſet abdicatus, adverſus Pontificem & Eccleſiam aſcitis diſcipulis virus evomuit anno MCCCLXXVI. De Wicleffi erroribus ſub finem ſui Pontificatus certior factus Gregorius XI. Literas dedit ad Cancellarium, nec non Oxonienſem Accademiam, eos ſevere objurgans quod nefarios illius errores, radices in Anglia agere paterentur, in graviſſimum animarum, nec non Catholicæ Fidei detrimentum; ſcripſit pariter ad Richardum Regem, Cantuarienſem & Londinenſem Epiſcopos, ut omnem moverent lapidem ad naſcentem hæreſim opprimendam, ejus Authorem comprehendi curarent, & in cuſtodiam traderent, donec aliud a Sede Apoſtolica reciperent in mandatis. Extant hujuſmodi Literæ in Labbeana Collectione tom. XI., in quibus novendecim Wicleffi errores recenſentur. Porro Acceptis Gregorii Literis Epiſcopus Cantuarienſis & Londinenſis dictum Hæreticum in jus vocarunt, ut objectis criminibus ſatisfaceret. In eo Judicio conſtitutus Wicleffus ita erroneos articulos in molliorem ſenſum detorſit, ut nihil ab Eccleſiæ Catholicæ dogmate alienum ſenſiſſe, ſed ſolum obſcure & imprudenter locutus videretur; ac cæteroquin animum humilem paratumque damnandi errores Eccleſiaſticæ doctrinæ adverſantes profeſſus eſt. Ob ſuorum vero fautorum auctoritatem impune dimiſſus indictum ſilendi imperium mox obtrivit, antiquis Waldenſium aliiſque hæreſibus ab inferis excitatis; quos non omnes ſimul protulit, ſed pedetentim, prout malitia, aut temporum opportunitas tulit. Joannes Luke Theologus Oxonienſis ex Wicleffi operibus ducentos & ſexagintaſex errores enumerat, alii ſupra trecentos; quorum plurimi feriunt poteſtatem Clavium Summi Pontifici divinitus collatam. Hi exponemus dumtaxat, quos contra Indulgentias protulit Urbano VI. D. Petri Cathedram moderante, ex Henrico Knigton *de Eventibus Angliæ* = *Papa modernus Urbanus* VI. *non gerit vices Beati Petri in terris, ſed eſt filius Antichriſti. Nec erat verus Papa a tempore S. Silveſtri. Quod Papa non poteſt concedere aliquas Indulgentias: nec Epiſcopi quicumque; & quod omnes confidentes in hujuſmodi Indulgentiis ſunt maledicti . . . . . conſulendum eſt Fidelibus, quod non petant Curiam Romanam vel Avenionem, ad Papales Indulgentias vel abſolutiones a pœna & culpa, ſibi vel aliis impetrandas, quia Dominus totius Mundi non vult in tali brevi, vel anguſto loco conrctari, ſed in Cœlo exiſtens perpendiculariter cuilibet vigilanti eſt paratus ad lumen ſuæ gratiæ influendum.* = Expoſuit inſuper Indulgentias non eſſe ab Epiſcopis, ſed a ſolo Deo petendas. Audi ex citato authore alium articulum =. *Quantum ad Indulgentias, privilegia & regulationem Eccleſiæ in lege nova; patet, quod foret expediens toti Eccleſiæ, quod omnes novitates ejuſmodi ſint ſopitæ; omnia enim talia videntur eſſe phantaſmata, nec fundata rationibus nec ſcripturis: Sicut Chriſtus injunxit Adulteræ quod nolit amplius peccare, ita videntur, & Confeſſores debere injungere pœnitentiam Confitenti, quia nulla eſt Pœnitentiaria, a qua capi poteſt certior pœnitentia injungenda.*

Perverſa Wicleffi doctrina in pluribus Synodis Angliæ, Bohemiæ & Pariſiorum, & in Concilio Romano ſub Joanne XXIII. anno MCDXIII. profligata, iterum damnationis ſententiam ſubiit in Concilio Conſtantienſi celebrato anno MCDXV. poſt accuratum examen, quinque præſertim ſupra quadraginta propoſitionibus proſcriptis, (quorum quadrageſima, ſecunda in ordine fuit ſequens = *Fatuum eſt credere Indulgentias Epiſcoporum*:) ſub hac cenſura = *Hæc autem Sancta Synodus præfatos articulos quadragintaquinque examinari fecit . . . . . quibus examinatis fuit repertum (prout in veritate eſt) aliquos, & plures ex ipſis fuiſſe & eſſe notoriæ hæreticos, & a Sanctis Patribus dudum reprobatos, alios non Catholicos ſed erroneos, alios ſcandaloſos & blaſphemos, quoſdam piarum aurium offenſivos: non-*

nonnullos eorum temerarios & seditiosos = Idem Concilium libros, quos ille *Dialogum* & *Trialogum* nominavit, aliaque ejus opera publice cremari jussit: declaravitque, Wicleffum, (qui anno MCCCLXXXIV. die ultima Decembris repentina paralysi perculsus obierat) fuisse notorium Hæreticum, pertinacem, ac in hæresi decessisse: ejusque corpus, si posset ab aliis Fidelium corporibus discerni, exhumari, ac procul ab Ecclesiastica sepultura projici debere.

Nedum in Anglia sectatores habuit Wicleffiana Hæresis, sed plurimos etiam in Bohemia, Hussitas videlicet, qui durissimo schismate, cædibus atque seditionibus Catholicos perturbarunt. Horum præcipuus Antesignanus fuit Joannes Hus, velut alter dictæ Hæreseos Achilles, qui cum in Pragensi Universitate prius Magistri Artium, deinde Rectoris munus obiret, summam ob disertissimæ linguæ facundiam existimationem nactus, promulgatis Indulgentiis a Joanne XXIII. anno MCDXII. pro iis, qui contra perduellem Ladislaum Apuliæ Regem Urbes & Oppida Sedis Apostolicæ devastantem, arma susciperent, sequentes contra dictas Papales Indulgentias articulos publice proposuit, propagnavitque = 1.^m *Sacerdotes Christi habent potestatem vere pœnitentes absolvere a pœna & culpa*. 2.^m *Non tamen debent absolvere sub hac forma, nec absolvendi debent illud expetere, nisi hoc specialiter fuerit revelatum*. 3.^m *Nemo est capax Indulgentiæ nisi fuerit, & de quanto fuerit dignus vel dispositus per gratiam apud Deum*. 4.^m *Omnis recipiens tales Indulgentias, de tanto eas recipit, de quanto fuerit habilior apud Deum*. 5.^m *Nullius Papæ vel Episcopi prodest Indulgentia homini, nisi de quanto prius se disposuerit apud Deum*. 6.^m *Episcopi Indulgentia de tanto recipienti proderit, de quanto Episcopus eum in fide Christi instruxerit, & in devotionem & amorem Dei accenderit*. 7.^m *Sacerdotes Christi non habent potestatem donandi Indulgentiam secundum quantitatem temporis, nisi eis specialiter fuerit revelatum*. 8.^m *Prælati Ecclesiæ debent in ista veritate Catholica subjectos instruere, ne Laici infideliter occupati circa minus utilia attendant*. 9.^m *Licet sæculari brachio pugnare, & sibi subsidia ad bellandum præstare habitis conditionibus sexdecim Charitatis*. 10.^m *Non licet Romano Pontifici, nec expedit sibi, vel cuicumque Episcopo, vel Clerico pro dominatione sæculari, vel Mundi divitiis pugnare*. 11.^m *Quamvis non litigare pro terrenis sit inferioribus Christianis consilium, Sacerdotibus tamen pro loco & tempore transit in præceptum*. 12.^m *Non potest homo salvari, qui peccaverit, sine pœnitentia competenti*. 13.^m *Non est pertinens Papæ, subducta revelatione, cuilibet corde contrito & ore confesso dare & concedere plenissimam remissionem omnium peccaminum a pœna & culpa*. 14.^m *Papa multis talibus concedit Indulgentias, qui ex sibi dubio sunt præsciti, & Deus nulli tali concedit tales Indulgentias, ergo Papa in talibus extollitur supra Christum*. 15.^m *Papa in concessione Indulgentiæ usurpat quod Deo proprium est, scilicet donare vel remittere injuriam ipsi factam*. 16.^m *Positis Indulgentiis Papalibus a pœna & culpa, videtur quod potest Papa Purgatorium destruere*. 17.^m *Temerarie Sacerdotes præconizant, sine revelatione affirmantes Crucis erectionem esse licitam*. 18.^m *Non invenitur in Scriptura, quod aliquis Sanctorum diceret: Ego te absolvo: nec etiam inveniuntur Sancti, qui donassent Indulgentias sub annorum vel dierum numero, vel a pœna vel a culpa; unde quæsivi, & usque hodie requiro: Quis Sanctorum donavit Indulgentias? & non invenio*.

Prædictis Erroribus aliisque contra Ecclesiæ dogmata Asseclæ Joannis Hus imbuti, ad eorum defensionem tanto ardore conflagrarunt, ut cum Magistratus tres sordidæ artis viros, ob excitatam seditionem contra Indulgentias Papales a Sacerdote promulgatas, capitali sententia damnasset, occisorum corpora rapuerint, aureisque pannis circumvoluta per omnes Urbis vicos ac plateas detulerint, clamantibus Hussitarum Sacerdotibus [Ænea Sylvio teste in *Histor. Bohem. cap.* 36. & Chocleo *Lib.* 1. *Histor. Hussitar.*]: = *Isti sunt Sancti, qui pro testamento Dei sua corpora tradiderunt* = atque aromatibus condita apud Bethleem, quasi Martyrum reliquias honorifice sepelierint.

Hussitarum erroribus ad Sedem Apostolicam delatis, Alexander V. Archiepiscopo

Pragensi Literas dedit, ut Apostolica suffultus authoritate conciones ad Populum fieri prohiberet, nisi dumtaxat in Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, Parochialibus & Monasteriorum, aut earum Cœmeteriis: atque quatuor Theologis selectis, ac duobus in jure Canonico Doctoribus, de eorum consilio, contra eos, qui ejusmodi Dogmata edocerent aut approbarent, veluti contra Hæreticos sententiam ferret.

Inter Hussitas, qui vehementius contra Indulgentias debacchatus est, recenseri debet Hieronymus de Praga, vir sæcularis, sed & eruditus, contra quem, sequentes accusationis articulos in Constantiensi Concilio propositos fuisse, refert Hermannus Vander dart = *Item dixit & prædicavit præfatus Hieronymus in sua nequitia persistens, errores Wicleffi & Joannis Hus seminando & defendendo, quod nulla potestas dandi Indulgentias residet apud Papam, neque Episcopos: quodque Literis Apostolicis neque Episcoporum continentibus Indulgentias ulla fides sit adhibenda: & quod Indulgentiæ tales de nihilo proficiunt: prædicantesque Indulgentias impedivit, & desistere fecit, quando præsens fuit; prout de anno* MCDXII. *in Oppido Novadomo, mense Augusto, Pragensis Diœcesis in personis Dominorum Joannis de Altemuta, & Benesii Alterista attentavit, ipsis in Dote dictæ Parochialis Ecclesiæ existentibus, animo & intentione, certas Indulgentias per olim Dominum Joannem XXIII. in dicta Ecclesia concessas, intimandi & publicandi; præfatus Hieronymus de Praga statim cum hoc audivisset, Diabolico spiritu instigatus, personaliter ac propria in persona eandem Dotem cum multis Armatis suis in hac parte complicibus intravit, & ad prædictos Dominos, vultu irato & furibundo animo, & intentione iis injurandi, prorupit in hæc verba: Excatis vos viri mendaces cum vestris mendaciis, nam Dominus vester Papa Mendax, Hæreticus & Usurarius est, nullamque potestatem concedendi Indulgentias habet: Ipsosque Dominos Joannem & Benesium manu armata invasit, & minis & terroribus ipsos exire dictam domum usque ad Ecclesiam Parochialem, ibidemque intrare compulit: & de hoc non contentus eosdem cum terroribus & minis supradictis manu armata, etiam extra dictam Ecclesiam, usque ad extra portas Oppidi supradicti insecutus est; quin Domini Joannes & Benesius una cum Domino Plebano dicti Oppidi fugientes, vix manus Domini Hieronymi & suorum Complicum armatorum supradictorum evaserunt. Et sic est verum, publicum & notorium.*

Item quod idem Hieronymus publice asseruit & dixit in contemptum Clavium & Sedis Apostolicæ, quod Bullis Papalibus non esset credendum, neque fides adhibenda, neque etiam Indulgentiis Papæ esset credendum, quia nullæ sunt: nec etiam Papa posset aliquas Indulgentias dare, neque concedere; & hoc in contemptum, seu vilipensionem Sedis Apostolicæ & Ecclesiæ Romanæ, cujus caput est Papa. Et sic fuit, & est verum, publicum & notorium.

Item quod dictus Hieronymus Indulgentias prædicantes impedivit, quando præsens fuit; & cum præsens non esset, deputavit certos Laicos perversos, qui discurrebant per Ecclesias Civitatis Pragensis, dum ibi sermocinaretur, & prædicantes Indulgentias impediverunt & turbaverunt, de mandato & inductione dicti Hieronymi clamantes & dicentes: dictos Prædicatores esse mendaces, deceptores & seductores illorum de populo, quibus Indulgentias prædicabant & asserebant Indulgentias proficere; quæ quidem Indulgentiæ, ut dicti Laici publice asserebant, non proficiebant in aliquo Populo Christiano. Et sic, fuit & est verum.

Item quod præfatus Hieronymus pro executione suæ furiositatis præmissis malis non contentus, sed pejora malis accumulando; de anno MCDXI. *feria tertia intra octavam Pentecostes Literas Apostolicas Indulgentias continentes, exhortatorias ad pia & meritoria opera fecit capi & recipi, ac in quodam Curru cum Meretricibus, quibus hujusmodi Bullæ ad mamillas appensæ erant, poni procuravit, & palam & publice de minori Civitate & per antiquam Civitatem Pragensem duci, circumstantibus juxta currum Wicleffistarum Armatis cum fustibus & gladiis, juxta ipsius Hieronymi ordinationem, clamantes & præconizantes:*

tes: quod Literas & Bullas unius Heretici & Ruffiani ducerent ad comburendum; & sic in nova Civitato Pragensi, in platea prope Mediastinum, tamquam Hæreticas, & veluti continentes errores juxta sententiam Joannis Wicleff & Joannis Hus Hæreticorum prædictorum, eas publice comburi fecit, seu fieri procuravit. Et sic fuit, & est verum, publicum, notorium & manifestum.

In Constantiensi Concilio Petro de Alliaco Cardinali Cameracensi aliisque Hieronymum de Praga ad meliorem frugem revocare conantibus, non infelices prorsus fuerunt eorum labores; paratissimum enim se exhibuit Hæreticus ad quamcumque hæresim abiurandam, potissimum Wicleffianam & Hussiticam, cujus fuerat accusatus, ab eodem Concilio reprobatam, idque præstitit, edita fidei professione in sessione XIX. celebrata die 23. Septembris MCCCCXV. sub hac forma = *Ego Hieronymus de Praga Artium liberalium Magister, cognoscens veram Catholicam Ecclesiam, & Apostolicam fidem, anathematizo omnem hæresim, præcipue eam, de qua hactenus infamatus fui, & quam præteritis temporibus dogmatizaverunt & tenuerunt Joannes Wicleff & Joannes Hus in suis opusculis, libellis, seu sermonibus ad clerum & ad populum, propter quam causam prædicti cum suis erroribus & dogmatibus damnati sunt ab hac dicta Constantiensi Synodo tamquam Hæretici, & eorum doctrina prædicta sententialiter damnata, maxime in nonnullis articulis expressis in sententiis per hoc Sacrum Concilium contra ipsos latis. Consentio autem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ & Apostolicæ Sedi, & huic Sacro Concilio, & ore ac corde profiteor in omnibus & per omnia, & præsertim de Clavibus, Sacramentis, Ordinibus Officiis & censuris Ecclesiasticis, Indulgentiis & Reliquiis Sanctorum, & Ecclesiastica libertate, ac etiam de ceremoniis & aliis omnibus ad Religionem Christianam pertinentibus, prout ipsa Romana Ecclesia, & Apostolica Sedes, & hoc Sacrum Concilium profitentur: & specialiter quod prædictorum Articulorum plures sunt notorie hæretici, & dudum a Sanctis Patribus reprobati: quidam vero blasphemi, alii erronei, alii scandolosi: quidam vero etiam piarum aurium offensivi, & ipsorum nonnulli temerarii & seditiosi: & pro talibus fuerunt dicti Articuli per hoc Sacrum Concilium & nuper condemnati, & inhibitum omnibus & singulis Catholicis sub Anathematis interminatione, ne de cætero dictos Articulos seu eorum aliquem aliquis prædicare, dogmatizare, vel tenere præsumeret.*

Brevi tamen temporis spatio in Catholicæ fidei confessione permansit; in Hæresim enim, quam damnaverat, mox relapsus, & in Judicium iterum adductus, declaravit, se incendii metu errores abjurasse, Wicleffi & Joannis Hus sequi doctrinam, quam sanctam & justam arbitrabatur. Itaque pridie Calendas Maii anno MCDXVI. in Concilio laudato promulgata fuit in ipsum damnationis sententia, qua eum Sancta Synodus = *Hæreticum & in Hæresim relapsum, ex communicatum, anathematizatum damnavit* = eademque die combustus est, sicut anno superiori idem supplicium tulerat Joannes Hus.

Damnationem in Hæresim Hussiticam & Wiclefficam a Constantiensi Concilio latam promulgavit Martinus V. Constitutione incipiente *Inter Cunctas* edita anno MCDXVIII. octavo Cal. Martii, præscribens modum ac formam Archiepiscopis, Episcopis atque Inquisitoribus hæreticæ pravitatis examinandi quemcumque de hujusmodi erroribus suspectum, ubi sequentes ad Indulgentias spectantes interrogationes, proponuntur. n. XXVI. = *Utrum credat quod Papa omnibus Christianis vere contritis & Confessis, ex causa pia & justa possit concedere Indulgentias in remissionem peccatorum, maxime pia Loca visitantibus, & ipsis manus suas porrigentibus adjutrices: & utrum credat, quod ex tali concessione visitantes Ecclesias ipsas, & manus adjutrices eis porrigentes hujusmodi Indulgentias consequi possint* = & n. XXVII. = *Utrum credat quod singuli Episcopi suis subditis secundum limitationem Sacrorum Canonum hujusmodi indulgentias concedere possint* =

Nondum Hussitarum erroribus in Bohemia penitus eliminatis, alii sparsi sunt contra Indulgentias in Burgundia per quosdam Regulares aliosque Sacerdotes rerum Theologicarum imperitos. Ne vero eorum sermo

ut cancer serperet, totamque Galliam novis excitatis incendiis, veteribusque erroribus reviviscentibus in discrimen adduceret, Nicolaus V. Literas dedit Episcopis Cabillonensi, & Sindonensi, ut per Fidei Censores malis imminentibus obviarent, populosque Orthodoxæ Fidei rudimentis informarent. Vide earum exemplar §.7. n.xv.

Pessime etiam contra Indulgentiarum valorem sensit Sixti IV. ætate Joannes Ruchard de Wesalia Ecclesiæ Wormatiensis concionator, asserens. = *Indulgentias nihil aliud esse quam pias fraudes & deceptiones Christianorum, eosque stultos esse ac fatuos, qui pro Indulgentiis Romam pergerent, quas domi, si essent vere contriti de peccatis suis cum emendandi proposito, invenire potuissent* = De hoc aliisque erroribus Joannes ad Tribunal Sanctæ Inquisitionis accusatus, ab hæreticæ pravitatis Inquisitore Moguntiæ coactus est errores suos revocare, atque recessus in Monasterium, pœnitentiæ peragendæ causa, pœnam subire. = *Anno Joannis Kolnhausen Abbatis nostri* X. (inquit Trithemius in Chron. ad annum MCDLXXIX.) *condemnatus fuit apud Moguntiam Joannes Ruchard de Wesalia superiore, Sacræ Theologiæ Doctor, & ad revocationem quorundam articulorum, quos in Ecclesia Wormatiensi publice prædicasse ferebatur, per Doctorem & Inquisitorem coactus; cujus volumina, ipso inspectante, omnia igni tradita & combusta sunt, & ipse pro pœnitentia peragenda ad Conventum Fratrum Augustinensium ibidem relegatus, mærore consumptus brevi obiit*.

Non minori fortassis audacia contra Indulgentias pugnavit, atque linguæ suæ veneno florentissima Hispaniarum Regna ac potissimum Salmanticensem infecit Accademiam Petrus de Osma, qui, præter plurimos articulos Catholicæ doctrinæ de Sacramento Pœnitentiæ contrarios, id asseruit = *Romanum Pontificem Purgatorii pœnam remittere non posse* = Errorem hunc, nec non alios Alphonsus Archiepiscopus Toletanus, Pontificiis suffultus mandatis, accitisque ad eorum diligentissimum examen doctissimis viris, damnavit, ac Petrum ejusque Sectatores, nisi quæ docuerant publice retractassent, vinculo anathematis innodavit. Gesta ab Archiepiscopo Toletano laudato, nec non ejusdem sententiam damnationis latam adversus Petrum de Osma ejusque Sectatores a Sede Apostolica confirmatam, habes in Constitutione Sixti IV.edita die 5.Aug.anno MCDLXXVIII., quam recitabimus §. 7. n. XVIII. Addit Natalis Alexander *tom.* 8. *Hist. Eccles. cap.* 2. *art.* 8. Joannem Praxeanum nobilem ea ætate Theologum, Petrum Oxomensem justo volumine confutasse; & refert Bannes *in Comment.in* 2.2. *D.Thomæ quæst.* 1. *art.* 10. dicti Petri librum cum Cathedra in media Schola, ubi docuerat, igni traditum fuisse.

Sub iisdem fere temporibus Joannes Wesselus Friso Groningensis, Accademiæ Parisiensis Doctor, propter scientiam supra cæteros eminentem Lux Mundi nuncupatus, plurimum conatus est verbo & scriptis Catholicam Indulgentiarum veritatem obtenebrare, variis disseminatis erroribus, quos enumerat supplementum Abbatis Urspergensis. Affirmavit 1.° Indulgentiarum nullam memoriam reperiri in SS. Hieronymo, Ambrosio, Augustino aut aliis Patribus: omnesque D. Thoma Aquinate, & Alberto Magno antiquiores Doctores ab hac nova Indulgentiarum assertione discessisse, asserentes nihil esse aliud nisi piam fraudem & dolum non malum, quo Plebs officioso errore trahatur ad pietatem 2.° Esse in Sacris Literis earum memoriam, sed qua damnentur & improbentur, cum in secunda Epistola D. Petri habeatur: Vocationem nostram non fieri certam, nec nobis in Christi Regnum dari introitum, nisi per bona opera Christi præceptis conformia; adeoque Indulgentias nullo modo prodesse. 3.° Indulgentias non pertinere ad Clavium potestatem, sed ad potestatem & opus operatum Sacri Ordinis, quia per virtutem sacramentalis teconciliationis ex opere operato pœna æterna in temporalem commutatur, ac per eandem Christianæ regenerationis virtutem totaliter aufertur; quam revera Indulgentiam arbitratus est esse, eamque unicam ac veram, & omni alia, quæ per Pontificum Bullas dari potest, firmiorem: atque in ea præstanda inter Romanum Pontificem & Presbyterum Parochialem nullam intercedere diversitatem. 4.° Quod temporalis pœnæ, non minus quam Culpæ remissio, soli Deo reservatur = *Papam proinde*

de non amplius posse super pœnis relaxandis, quam super peccatis remittendis, sic arguens = *Qui, quæ intra hominem fit aguntur, ut nullis indiciis foris patent, scire non potest, dijudicare non potest. Quando purgandus oculus, aut quam purus esse debeat, quo dignus inveniatur videre Deum, oculus Mortalium definire non potest. Quæ Papa de se ipso definire non potest, hæc non potest in aliis judicare. Qui neque potest neque debet, si vult judicare, peccat & errat, & judicium est nullum, velut a non suo Judice latum. Omnis actus ex taliter nullo judicio sequens est etiam nullus. Plenaria remissio prærequirit judicium de perfecte purgato mentis oculo: unde non efficacior illa remissio est, quam sit illa præcedens dijudicatio* = Hinc infert: *Multos vere Confessos, contritionem & Indulgentialem conditionem executos, esse vere parvulos in Christo, vere adhuc valde informes Christo, multo partu opus habentes, antequam in eis Christus formetur. Papam nulla potestate arbitraria posse perfecte Christum formare in parvulis, ac imperfectis. Papam non posse evacuare quod ex parte est; & non posse facere de Viatore Comprehensorem, nec posse Viatorem perfectum etiam, in termino vitæ constituere*. = Ex donatione Indulgentiæ plenariæ facta a Pontifice, sic argumentatus est = *Potest igitur Papa per suas Indulgentias Divinæ justitiæ Divinæque Misericordiæ derogare. Sed hoc est impossibile, nisi Deus præjudicaret Divinæ Sapientiæ. Sed hoc non nisi per propriam stultitiam & errorem. Quod si faciat, scandalum præbet pusillis* = Affirmavit tandem, nostras pro peccatis satisfactiones Divinæ Majestati deberi ex rigida justitia, easque non nisi per ipsam Divinam Misericordiam remitti posse, aut temperari; ideoque hoc attentantem Papam in utrumque Divinæ gloriæ attributum peccare. Omnes Johannis Wesseli libri periērunt, præter Apologiam adversus Jacobum Angularem Naelduicensis Ecclesiæ Decanum, qui Indulgentiarum valorem contra ejus impietatem acerrime propugnaverat, quam cum articulis mox relatis aliisque vulgavit Melchior Goldastus.

Cum autem omnium fere antiquarum hæresum sordes instar capacissimæ Cloacæ excepisset Martinus Lutherus, natione Germanus, qui prius Ordini S. Augustini nomen dederat, mirum non est, quod a Dogmate pariter Indulgentiarum abhorruerit. Invidia percitus ob demandatam Indulgentiarum promulgationem pro porrigentibus manus adjutrices Fabricæ S. Petri a Julio II. feliciter inchoatæ, Joanni Tetzelio Ordinis Fratrum Prædicatorum Inquisitori Fidei, ansam arripuit debacchandi ex professo contra earum valōrem & potestatem. Abusus revera invaluerant tunc temporis detestabiles, quos ita describit Joachimus *lib. de Bello Smachaldico* = . *Motum est hoc Lutherani Schismatis negotium ab initio ex improbis & ad quæstum paratis nundinationibus, cum nonnulli audaces, vel potius impudentes homines nomine Papæ abuterentur ad decipiendos simplices & Religiosos Germanos, ex quorum superstitione mercedem sponte oblatam illi tamquam fructum aliquem colligerent* = Pergit Joachimus quorundam Quæstorum fraudes exponere. = *Venales proponebantur Defunctorum animæ, quas licebat redimere certo soluto pretio, & peccatis suis quisque qualibuscumque hanc veniam impetrare poterat numerata pecunia, quantum Institor petebat; ac nummi collecti ab illis negotiatoribus insumebantur in varias voluptates, cum de Germanorum stolidorum opibus animo illi quieto delicatissime viverent. Hæc autem mercatura vocabatur venia peccatorum*.

Venenata contra Indulgentias jacula non omnia simul vibravit Lutherus, sed successive; datis enim primum Literis ad Albertum Archiepiscopum Moguntinum, conqueritur de illis sub ejus nomine promulgatis. = *Circumferuntur*, inquit, *Indulgentiæ Papales sub tuo titulo ad fabricam S. Petri, in quibus non adeo accuso Prædicatorum exclamationes, quas non audivi, sed doleo falsissimas intelligentias Populi ex illis conceptas, quas vulgo undique jactant: videlicet, quod credant infelices Animæ, si literas Indulgentiarum redemerint, se securas esse de salute sua: item quod animæ de Purgatorio statim evolent, ubi contributionem statim in cistam conjecerint: item quod homo per istas Indulgentias liber sit ab omni pœna, & culpa* = Ad Calcem Epistolæ

nona-

nonagintaquinque Conclusiones, in Templo sub Omnium Sanctorum nomine dedicato Wittembergæ, in Vigilia Omnium Sanctorum anno MDXVII. publice propugnandas exposuit, easque typis mandatas per omnem Germaniam spargi curavit, inter quas sequentes Indulgentiarum Dogmati contrarias.

Papa non vult nec potest ullas pœnas remittere, præter eas, quas arbitrio vel suo vel Canonum imposuit.

Thesauri Ecclesiæ non sunt merita Christi & Sanctorum.

Id vero malorum initium fuit, sed nondum finis; anno siquidem MDXVIII. concione ad Populum habita sequentes eructavit propositiones, ut tam Literatos propugnatis conclusionibus, quam populares & rudes vulgaribus sermonibus, in sui sententiam traduceret.

Ex nulla Scriptura colligi potest Divinam Justitiam sive pœnam sive satisfactionem exigere de peccatore.

Illius imaginariæ pœnæ nomen, quam Indulgentiæ excludunt, nemo explicare potest, neque quisquam novit, quid nam sit.

Frivolum est, quod dicunt, numerum pœnarum & operum, quibus satisfaciendum est pro peccatis, esse majorem quam homo in omnem vitam tum facere, tum perferre queat ob exiguum vitæ spatium, eoque necessarias Indulgentias.

Indulgentiæ admittuntur propter inertes & pigros Christianos, qui nolunt animosi nec bona facere, neque mala sustinere. Nam Indulgentiæ nihil promovent in melius; ideoque non est licitum ad eas adhortari.

Indulgentiæ neque præcepti neque consilii sunt, sed ex illarum rerum numero, quæ sub permissionem cadunt.

Eodem anno suorum errorum probationibus in unum volumen collectis sub hoc titulo: *Resolutiones Disputationum de virtute Indulgentiarum:* sequentes errores proposuit.

De Sacramentali pœnitentia nullum habetur præceptum Christi, sed est per Pontifices & Ecclesiam statuta, saltem quoad tertiam sui partem, scilicet satisfactionem, ideo & mutabilis arbitrio Ecclesiæ.

Per Scripturas probatur non requiri aliquam satisfactionem pro peccatis.

Sextuplex hominum genus non eget Indulgentiis; primo, mortui, seu morituri; secundo, infirmi; tertio legitime impediti; quarto, qui non commiserunt crimina; quinto qui crimina, sed non publica commiserunt; sexto, qui meliora operantur.

Solum inertibus, frigidæ pœnitentibus, delicatis scilicet peccatoribus, Canonicæ pœnitentiæ sunt impositæ; ideo solummodo duris & impatientibus Indulgentiæ proprie concedi videntur.

Indulgentiæ sunt remissiones bonorum operum, sunt nullius pietatis, nec meriti, nec præcepti, sed licentia tantummodo quædam, videtur quæstus augeri per eas magis, quam pietas: sunt de numero eorum, quæ licent, non quæ expediunt: quomodo in veteri Lege Libellus repudii & sacrificium Zelotypiæ. Sunt vilissimum bonum omnium bonorum Ecclesiæ, nec nisi vilissimis Ecclesiæ donandum.

Thesaurus Ecclesiæ, unde Papa dat Indulgentias, non sunt merita Christi & Sanctorum.

Seducuntur, qui passim Indulgentias non aliter intelligunt, quam salutares & ad fructum spiritus utiles.

Librum autem, de quo supra meminimus, truculenta Bestia pelle ovina superinduta ad Leonem X. transmisit, data ad eundem Epistola adeo humilibus sensibus composita, ut vix S. Bonifacius Germaniæ Apostolus submissiorem Sedi Apostolicæ direxisset. Verba Epistolæ sunt: = *Quare Beatissime Pater, prostratum me pedibus tuæ Beatitudinis offero, cum omnibus quæ sum, & habeo. Vivifica, occide; voca, revoca; approba, reproba, ut placuerit; Vocem tuam, vocem Christi in te præsidentis & loquentis agnoscam. Si mortem merui, mortem non recusabo* = Idem indicat protestatio in Operis limine præmissa, ut virus absconderet = *Protestor me prorsus nihil dicere aut tenere velle, nisi quod in & ex Sacris Literis primo, deinde Ecclesiasticis Patribus ab Ecclesia Romana receptis, huc usque servatis .... habetur, & haberi potest. Quod si quid ex eis probari non potest, id gratia disputationis dumtaxat pro judicio rationis & experientia teneo; semper tamen in his sal-*

vo

vo judicio omnium Superiorum meorum = Quæ expendens Ulembeggius in Vita Lutheri cap. 2. inquit. = *Quid vero senserit Lutherus, cum ista scriberet, & qua mente fuerit, novit qui cordium scrutator est & renum Deus. Certe quæ paulo post secuta sunt, eum nihil minus in animo habuisse testantur, quamque calamo ad hunc modum effudit, ut hac submissione nihil aliud spectasse videatur, quam ut captaret favorem hominum, omnemque turbatæ pacis culpam a se removeret, atque interim, dum res suas stabiliret in Germania, Summo Pontifici glaucoma objiceret, aut fumos, quod ajunt, venderet*.

Anno MDXIX. inter varias Conclusiones Lipsiæ contra Eckium disputandas, sequentes adversus Indulgentias proposuit = *Merita Christi & Sanctorum esse Thesaurum Indulgentiarum, nemo nisi fœdus Adulator, extravagantes a veritate & ficta quædam Ecclesiæ praxes, aut usus simulant*.

Dicere Indulgentias esse bonum Christiano, est insanire; sunt enim verissime operis boni vitium, & improbare Indulgentias debet Christianus ob abusum.

Papam posse remittere omnem pœnam pro peccatis debitam hujus & futuræ vitæ: & quod Indulgentiæ prosint non criminosis, somniant secure indoctissimi Sophistæ.

Indulgentias, ait a se vocatas fuisse, *vitium operis, non quod sint malæ & noxiæ, sed quod abusus perversus nocet, dum tale opus non facerent, nisi veniæ essent*.

Numquam, subdit Lutherus, se Indulgentias contempsisse, aut contemnendas docuisse: *Nisi contemptus intelligatur hoc modo, quod incomparabiliter meliora possumus eisdem expensis facere, quibus Indulgentiæ redimuntur, vel quam sunt Indulgentiæ ipsæ; quare prærogativa melioris non est contemptus deterioris*.

Porro omnem adhibuit conatum Leo X. ut Lutherum compesceret, qui totam Germaniam jam turbaverat, plurimosque ad suam sectam traduxerat. Anno MDXVIII. ejus causam Thomæ de Vio Cardinali Cajetano Legato Sedis Apostolicæ in Germania cognoscendam commisit, mandavitque Apostolico Diplomate, cujus exemplar extat tomo 1.° *Operum Lutheri*, ut si sponte errores tum contra Indulgentias, tum contra alia Catholicæ Religionis dogmata Lutherus revocaret, paterno eum amore complecteretur, atque perhumaniter in Ecclesiæ gremium reciperet; sin minus Principum sæcularium auxilio carceri manciparet. Quod si hæc exequi non posset, adversus illum, ejusque fautores sententiam excommunicationis ferret. Legato mandatorum Sedis Apostolicæ executionem procuranti per Epistolam Lutherus exposuit, se velle omnino Ecclesiæ judicio acquiescere, atque adversus Romanum Pontificem evulgata revocare: de Indulgentiarum propositionibus silentium se acturum promisit, dummodo id etiam Adversarii præstarent = *Tanta*, ait, *tua simul humanitas & prudentia est, qua video tuam Reverendissimam Paternitatem, non mea, sed me quærere, cum potuisset sola potestate in me dominari. Itaque jam timor meus sensim transiit, imo mutatus est in singularem erga Reverendissimam Paternitatem tuam amorem, & veram filialemque reverentiam. Hinc Reverendissime in Christo Pater, fateor, sicut & alias fassus sum, me fuisse certe nimis, ut dicunt, indiscretum, acrem & irreverentem in nomen Summi Pontificis; & licet acerrime fuerim in hanc irreverentiam provocatus, tamen meum fuisse, nunc intelligo, modestius, humilius & reverentius hanc materiam tractare, & non ita respondere stulto, ut ei similis efficerer. De quo sincerissime doleo, & veniam peto, & per omnia pulpita in vulgus promulgabo, sicut & sæpius jam feci, daboque deinceps operam, ut alius sim, & aliter loquar Deo miserante; imo promptissimus sum, atque facillime promitto, me posthac materiam de Indulgentiis non tractare, atque his finitis quiescere; modo illis quoque modus imponatur aut sermonis, aut silentii, qui me in hanc tragædiam suscitaverunt* = Cum vero vaferrimi Lutheri nequitiam Legatus agnosceret, certiorem de ea ipsa reddidit Fridericum Saxoniæ Septemvirum, rogavitque, ut Lutherum in hæreses prolapsum Romam ad subeundam damnationis sententiam quantocius mitteret. Verum cum hoc Apostolicæ Sedis fulmen expavesceret Lutherus, hanc appellatio-

lationem interponere non dubitavit = *a Summo Pontifice non recte consulto ac delegatis ab eo Judicibus, cunctisque sententiis & censuris, & pœnis ab iis ferendis & decernendis, ad futurum Concilium legitime, ac in Loco tuto congregandum: & ad illum vel ad illos, ad quem seu quos, de jure, privilegio, consuetudine, vel alias sibi provocare liceret die* 28. *Novembris anno* MDXVIII.

Cum hæc agerentur in Germania Decretales & Dogmaticas Literas dedit Leo X. sub die IX. Novembris anno MDXVIII. ad prædictum Cardinalem Legatum, Lintii commorantem, quæ habentur infra §. 7. n. XIX. quibus declaravit in Ecclesiæ Thesauro merita Christi & sanctorum contineri, atque etiam jure Clavium eo Romanos Pontifices uti posse ad emolumentum viventium ac defunctorum. Verum cum hæc aliaque nihil proficerent, imo in deteriora nefarius Hæresiarcha prorueret, alia a Leone Pontifice edita est Constutio sub die 15. Junii anno MDXX. cujus initium est *Exurge Domine* §.7. n.XX. recitanda, qua quadraginta & unam ejus propositiones, inter quas nonnullas super Indulgentiis, prævio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, nec non peritissimorum Theologorum & in jure Pontificio Doctorum examine atque consilio damnavit, vel tamquam Hæreticas, vel scandalosas, aut piarum aurium offensivas, aut falsas, vel simplicium mentium seductivas respective: mandavitque Luthero, ut ab omni prædicationis officio desisteret, atque intra statutum dierum terminum errores revocaret: Libros & scripta ad errorum suorum memoriam adolendam igni traderet: ejusque sectatores, nisi resipiscerent, ut Hæreticos capi; Romamque mitti.

Eandem Lutheri doctrinam post accuratum pariter examen tamquam erroribus scatentem contra fidem & bonos mores, Potestati Ecclesiæ impie derogantem, sacræ Scripturæ authoritatibus contrariam, atque Christianæ Reipublicæ perniciosam Accademia tum Coloniensis anno MDXIX. tum Parisiensis anno MDXXI. damnarunt.

Circa idem tempus, quo totis viribus Accademiæ prælaudatæ Lutheri Errores atque fallacias detegere ac profligare nitebantur, misso apud Helvetios Religioso quodam viro Ordinis S. Francisci, qui Indulgentias a Leone X. concessas promulgaret anno MDXIX., Huldricus Zuinglius Ecclesiæ Parochialis Urbis Tigurinæ Administrator, quæcumque Religiosus ille protulit in medium, confutare non erubuit, atque eo deduxit controversiam, ut impugnatis abusibus, etiam ipsas Indulgentias impugnaverit, seu potius, pœnes Ecclesiam non esse facultatem Indulgentias concedendi, propugnaverit, aliaque plura adversus Romanum Pontificem atque Catholicæ Fidei veritates pervicaciter edocuerit. Cum vero ægre ferret Zuinglius Tigurinos, Bernates, Constantienses, Basileenses, Schafusianos, Santgallienses, Mulhusianos, quos suæ linguæ veneno infecerat, Lutheranos appellari, de suo nomine sectam auspicari cupiens, nedum Catholicos Transubstantiationis in Eucharistia assertores, quin Lutherum ipsum una cum pane & vino verum Christi Corpus & Sanguinem in Eucharistia haberi docentem, impugnare, & contumeliis proscindere conatus est. Dum tamen pro sectæ suæ extensione, instructa acie adversus Catholicas Hælvetiorum turmas decertaret, lethali vulnere fauciatus die 11. Decembris anno MDXXXI. interiit.

Calvinus novæ instituendæ sectæ percupidus, e Gallia, ubi natus fuerat ann. MDIX., ob initam familiaritatem cum Lutheranis & Zuinglianis clandestinos conventus agentibus aufugiens, Germaniam perrexit, ibique adeo in Lutheri erroribus profecit, ut cum eundem Erasmus de quibusdam Religionis capitibus differentem audivisset, Bucero dixerit = *Video hoc in Juvene magnam pestem oriri, olim Ecclesiæ plurimum nocituram* =. In Galliam postea reversus, Pictavium petiit, ubi inter plurima Hæresum semina, quæ in auditorum animos sparsit, intactum Indulgentiarum dogma non reliquit. Cum autem Franciscus Galliarum Rex Sacramentarios Hæreticos igne torqueret & abigeret, Basileam fugiens Calvinus, quatuor ibi *Libros Institutionum Christianæ Religionis* edidit anno MDXXXV. cum adjecta præfatione ad Regem Christianissimum, quibus nefariæ doctrinæ pestis non sine totius Galliæ cæterarumque Regionum calamitate diffusa est. Ex *libro* 3.° aliqua hic excerpimus, quibus Indulgentiarum valorem putide ac audacter de primere ac impugnare contendit. = *Quod ad satis-*

satisfaciendum, facultatibus nostris deest, istis, nempe Indulgentiis, *suffici nugantur* Sophistæ: *atque eo prosiliunt insaniæ, ut dispensationem esse definiant Meritorum Christi & Martyrum, quam Papa suis Bullis partitur: etsi autem helleboro magis quam argumentis digni sunt, ut non magnum opere pretium sit tam frivolis erroribus refellendis incumbere, qui multis arietibus percussi sua sponte consenescere, & ad inclinationem spectare incipiunt; quia tunc imperitis quibusdam utilis erit brevis refutatio, eam non omittam. Et sane quod tandiu salvæ constiterint Indulgentiæ, ac in tam impotenti & furiosa lascivia, tam diuturnam impunitatem retinuerint, id vero documento esse potest, quam alta errorum nocte immersi fuerint aliquot sæculis homines. Videbant se a Papa & suis Bulligerulis palam nec dissimulanter ludibrio haberi: quæstuosas nundinationes de animarum salute exerceri: pauculis nummis salutis pretium taxari: nihil gratuitum prostare: hac specie emungire oblationibus, quæ in Scorta, in Lenones, in Commessationes turpiter absumerentur: summos Indulgentiarum buccinatores summos esse contemptores. Monstrum istud majori in dies licentia grassari ac luxuriari, nec finem ullum fieri, plumbum semper novum afferri, novos nummos elici. Excipiebant tamen summa veneratione Indulgentias, adorabant, redimebant; & qui cernebant inter alios acutius, existimabant tamen pias esse fraudes, quibus cum fructu aliquo falli possent. Tandem ubi* Orbis *aliquantulum sibi sapere permisit, frigent Indulgentiæ, & paulatim etiam congelascunt, donec plane evanescant....... Operæ pretium est indicare non solum quales sint Indulgentiæ, sed quid omnino sint omni macula abstersæ. Thesaurum Ecclesiæ vocant Christi & Sanctorum Apostolorum Martyrumque merita: hujus Horrei radicalem custodiam, ut attigi, Romano Episcopo traditam fingunt, penes quem sit tantorum bonorum dispensatio, & ut ipse per se elargiri possit, & elargiendi jurisdictionem aliis delegare. Hinc nunc plenariæ Indulgentiæ a Papa nunc centum annorum: a Cardinalibus centum dierum: ab Episcopis quadraginta; sunt autem illæ (ut genuine describam) Sanguinis Christi profanatio satanæque ludibrium, quo Christianum populum a Dei gratia, a vita, quæ est in Christo, abducant, & a vera salutis via avertant*; addit, Sophistas *commiscere Sanguinem Martyrum Sanguini Christi ad remissionem & satisfactionem peccatorum: mendacem Deum esse aut mendaces Indulgentias*.

Contra Lutheri, Zuinglii & Calvini Errores Concilium Tridentinum *Sess.* 25. declaravit, Potestatem dandi Indulgentias a Christo Ecclesiæ fuisse collatam, earumque usum Populo Dei maxime salutarem retinendum edocuit. Vide infra §. 7. n. XXII. Decretum.

Hic pariter duximus referendum, quod Æthiopes sentiunt de Indulgentiis apud Damianum Goes in *Collect. Histor. Hispan. tom.* 2.° *de Fide, & Morib. Æthiopum circa annum* MDL., pro ut in sequenti eorum Fidei professione declaratur = *In die Sabbato & Dominico credimus animas piorum Defunctorum minime cruciari, quam quietem Deus in his sanctissimis diebus animis concedit, donec inde finito termino suarum pœnarum pro facinoribus in hoc sæculo meritarum, penitus emergant: ad quas pœnas minuendas, & earum cruciatus tempus attenuandum, eleemosynas pro Defunctis datas credimus ipsis animis in Purgatorio degentibus maxime prodesse, ad quarum animarum remissionem Patriarcha nullas dat Indulgentias. Id ad solum Deum ac pœnarum temporis constitutionem credimus spectare. Nullos quoque dies Indulgentiarum Patriarcha concedit* = Hinc mirum non est, quod refert in *Historia Æthiopum lib.* 3. *cap.* 11. Jobus Ludolphus his verbis = *Rex, Episcopum Roma missum*, inquit, *Patriarchæ Coadiutorem comiter excipiebat; sed cum ille attulisset diplomata Jubilæi anno* MDCXXV *celebrati, atque nunc etiam Æthiopiæ concessi, irridebantur a plerisque, qui tantos thesauros Indulgentiarum, quantos Patriarcha jactabat, neutiquam mente capere nec intelligere poterant; erant enim (Tezelii verba sunt) qui instar Pharisæorum cœperunt dicere inter se: Quis est hic, qui etiam peccata dimittit? Quis potest peccata dimittere nisi solus Deus? sed*

Rex severo vultu respondit: Claves Ecclesiæ Regni Cælorum Petro datas, earumque usum in concedendis Indulgentiis Pontifici, seu illius successori competere.

Post toties damnatos contra Indulgentiarum virtutem Errores tum a generalibus Conciliis, tum a Summorum Pontificum Constitutionibus, insurrexerunt viri alioquin Catholici, nempe Michael Bajus Doctor ac Decanus Lovaniensis Accademiæ, nec non aliqui ejusdem Accademiæ professores, qui novas quasdam & erroneas opiniones de Libero Arbitrio, de Operibus, de Satisfactione, de Dispensatione Thesauri Indulgentiarum aliisque articulis excitarunt. Eorum Asserta tandiu a Sede Apostolica tolerata sunt, quandiu Concilium Tridentinum feliciter absolveretur. Verum cum nihilominus alii errores in dies pullularent, eorumque occasione inter eorum fautores, aliosque Theologos, qui adversus Baii Articulos censuras ediderant, diffidia & contentiones succrevissent, S. Pius V. ea causa ad Sedem Apostolicam avocata, rigidissimoque examine discussa, edita Constitutione cujus initium est: *Ex omnibus* sub die 1.ª Decembris anno MDLXVII. novem supra septuaginta Baii propositiones hoc verborum tenore reprobavit. = *Quas quidem sententias stricto coram nobis examine ponderatas, quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, in rigore & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento hæreticas, Erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas & in pias aures offensionem immittentes respective, ac quæcumque super iis verbo scriptoque emissa, præsentium auctoritate damnamus, circumscribimus & abolemus, deque eisdem & similibus posthac quocumque pacto loquendi, scribendi & disputandi facultatem quibuscumque interdicimus. Qui secus fecerint, ipsos omnibus dignitatibus, Gradibus, Honoribus, Beneficiis & Officiis perpetuo privamus, ac etiam inhabiles ad quæcumque decernimus; vinculo quoque Anathematis eo ipso innodamus, a quo nullus Romano Pontifice inferior valeat ipsos, excepto Mortis articulo, liberare.*

Sufficiat hic eas propositiones adjicere, quibus, operibus Meritoriis Sanctorum negat inesse virtutem vere & proprie satisfaciendi Deo pro pœna temporali, quam solis Christi meritis attribuit, eamque ad pœnarum remissionem, quæ per Indulgentiarum consecutionem obtinetur, asserit impetratorie tantum concurrere, seu dignos nos reddere, ut intuitu Sanguinis Christi ab illa liberemur.

Solutio pœnæ temporalis, quæ peccato dimisso sæpe manet, & Corporis resurrectio proprie non nisi meritis Christi adscribenda est.

Quando per eleemosynas aliaque pietatis opera Deo satisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum prætium Deo pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumant (nam alioquin essemus aliqua ex parte Redemptores) sed aliquid facimus, cujus intuitu Christi satisfactio applicatur, & communicatur.

Per passiones Sanctorum in Indulgentiis communicatas non proprie redimuntur nostra delicta, sed per communicationem charitatis nobis eorum passiones impertiuntur, ut digni simus, qui pretio Sanguinis Christi a pœnis pro peccatis debitis liberemur.

Satisfactiones laboriosæ Sanctorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatam.

Has quidem propositiones a S. Pio V. prædicta Constitutione damnatas, sub Gregorio XIII. ejus Successore, qui eam jusserat promulgari, damnavit & ipse Bajus; & Accademia Lovaniensis tota tam humiliter Apostolicæ Sedis acquievit judicio, ut legem ediderit, nullum inposterum in eam adscribendum, nisi Pianæ Constitutionis observantiam jurejurando promitteret. S. Pii V. nec non Gregorii XIII. contra Bajum ejusque propositiones damnationem confirmavit Urbanus VIII. alio vulgato Diplomate sub die 6. Martii anno MDCXLI. quod incipit: *In Eminenti*.

Hinc corruit quorundam Jansenistarum effugium, qui ut earum propositionum proscriptionem eluderent, non sine temeritatis nota ausi fuerunt asserere: plures ex illis adhuc juxta proprium Authoris sensum posse sustineri, putantes S. Pii V. Constitutionem prælaudatam ab iis adulteratam esse, qui Comma addendum curarunt post illa verba = *Quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent* = ut quæ sequuntur: scilicet = *In rigore & proprio verborum*

borum sensu ab Authoribus intento = ad id quod sequitur, seu ad damnationem referrent, quasi juxta Baii sensum reprobationem subiissent; cum revera (inquiunt ipsi) nullum eo loci Comma aut distinctionis vestigium reperiri, lecto Authographo in Archivio Universitatis Lovaniensis religiose asservato manifeste apparet; ex quibus audacter inferunt: *eas propositiones ad summum aliqua censura dignas esse in sensu dumtaxat non rigoroso nec proprio, ac nullatenus ab Auctoribus intento* = Corruit inquam prædictum sive effugium, sive commentum. Quam enim ineptum & insulsum sit, nemo non videt nisi impudentissimus Jansenista hisce ac similibus næniis, perversisque nedum Apostolicorum Diplomatum, sed etiam sacræ Scripturæ Conciliorum ac Patrum interpretationibus assuetus. Quis amabo potest sibi suadere, propositiones illas esse aliqua censura dignas = *in sensu dumtaxat non rigoroso nec proprio ac nullatenus ab Auctoribus intento*? = cum Gregorii XIII. nomine Franciscus Toletus earundem retractionem ab ipsomet Bajo postulaverit, atque feliciter obtinuerit? Cæterum nec ipsosmet Jansenistas, quos maxime vaferrimos novimus, id sibi suasisse existimamus; etenim si id, quod verbis proferre tentarunt, corde re vera credidissent, qua ratione fieri potuisset, ut omnem moverint lapidem ad suadendum, Pium in ea efformanda Constitutione fuisse a Baii Adversariis circumventum, illamque præter suam intentionem ac voluntatem editam fuisse? Qui vero malis artibus eundem Pium circumvenire potuerunt, qua ratione adeo hebetes fuerunt, ut a Pii sentententia illibatas nulloque modo proscriptas Bajanas propositiones nequaquam intelligerent? Si vero ita se res habuit, cur tot excitarunt querelas, quod Pius Baii sententias damnaverit, dum ejus sententias minime læsit?

Quo vero ad Pianæ Constitutionis Originale sine controverso Commate in Archivio Universitatis Lovaniensis asservatum, ea hic afferre sufficiet, quæ habet Ripalda = *Quoniam de interpunctione nobis lis est* (inquit *tom.3. lib. 2. Sect. 2. n. 11.*) *cum Bajanis, a qua sensus verborum totus dependet; quamvis & Bullæ Gregorianæ auctoritate, cujus extant etiamnum exemplaria, & ipso tenore verbisque Bullæ jam satis sint convicti, operæ pretium tamen visum fuit, hujus Commatis historiam, ut e Belgio eam accepi, hic ab ovo recensere. Exemplar Bullæ, quod Romæ primum missum fuit ad Michaelem Bajum, manuscriptum erat, nullasque, ut mos est Curiæ Romanæ, cum aliquid manu describitur, habebat interpunctionum notas. Unde occasionem sumpsit Bajus in suum commodum sic verba Bullæ interpretandi, ut sententiæ damnatæ aliquæ, in rigore & proprio verborum sensu dicerentur veræ: quem Magistri sui sensum, ut clarius exprimerent ejus discipuli, a quibus Lovanii tunc passim Bulla ista describebatur, sic eam verbis transpositis, aut addita parenthesi, corruperunt, ut Chartæ illæ antiquæ, ad quas a Bajanis provocamur, ostendunt. Cum vero non ex illo manuscripto, sed ex altero Romæ auctoritate Pontificia excuso exemplari, eandem Bullam legissent Suarez, Vasquez, Possevinus aliique Scriptores, in quo manifestum erat Comma, post verba illa: sustineri possent; cum eo etiam Bullam in suos commentorios transtulerunt. Quod indigne ferens Jacobus Jansenius Doctor Lovaniensis, Baii primum discipulus, deinde Collega anno* 1618. *in Scholis publicis, cum vehementi querela exclamavit, adulteratam esse Bullam Pontificis ab iis, qui Comma illud adjecissent, eo quod in originali Bulla, quam tenebat manu (tenebat autem illam ipsam manuscriptam, missam ad Bajum, in qua nulla erat distinctionis nota) nullum ejus vestigium cerneretur. Quod qua fide factum sit, non discutio; nam si tota Bulla nullam habebat interpunctionem; cur arguendi erant, qui inter cæteras, etiam hanc, quam sensus manifeste requirebat, apposuissent? Hæc est illa originalis Bulla, quam proferunt contra nos Bajani, & ex qua Comma subreptitium esse clamant. Sed jam spero, desinent id jactare, cum rei veritatem Apostolicæ Sedis Authoritas declaravit. Cum enim Bullam hanc Pii & Gregorii confirmavit Urbanus* VIII., *eamque suæ Constitutioni totam insereret, factum est casu, ut Comma illud tanti momenti a Typographo omitteretur: quod cum in exemplaribus in Belgio, deinde & Coloniæ excusis, fuisset restitutum, hinc orta con-*

tentione, Baii fautores totam Urbani VIII. *Bullam in controversiam vocaverunt, Romamque, nomine Accademiæ Lovaniensis ea de re Commissarios ad Sanctam Sedem miserunt; qui cum quererentur, Constitutionem suæ Sanctitatis fuisse vitiatum, ejusdem Pontificis Urbani & Officii S. Inquisitionis jussu, ex Archivio S. Officii & ex Matrice Actorum, quæ in eodem Archivio conservantur, exemplar præfatæ Bullæ Pii* V. *Gregorii* XIII. *& Urbani* VIII. *transcriptum, diligentissime collatum, atque ita impressum, Commissariis Lovaniensibus in manus consignatum fuit, cum mandato Apostolico, ut eidem exemplari sic consignato fides adhiberetur; in quo Comma illud adeo disputatum suo loco est restitutum, adeo ut dubitari hac in re de mente Pontificis jam amplius non possit. Quod si ad originalem* Bullam *libet respicere, testatus est Eminentissimus Cardinalis de Lugo* 2. *Octobris* 1644, *vidisse primum autographum Originale Bullæ Pii* V. *non in Regesto, in quo a Scriptoribus Apostolicis Bullæ describuntur, in quo nullæ solent interpunctiones apponi, sed in ipsomet Authographo illius Cardinalis, qui jussu ejusdem Pii Bullam concepit & extendit secundum mentem Pontificis, & inspexisse diligenter, quomodo se haberent interpunctiones in contextu ipsius censuræ, ac deprehendisse, quod post illa verba: Quamquam nonnullæ earum aliquo pacto sustineri possent; ante illa, quæ immediate sequuntur; in rigore & proprio verborum sensu, interpositum erat Comma, seu virgula disjunctiva eorundem verborum.*

§. VII.

Constitutiones & Decreta, quorum mentio in præsenti Dissertatione facta est.

I.

Decretum in Concilio Lateranensi IV. *latum anno* MCCXV. *pro recuperanda Terra Sancta cum concessione plenariæ Indulgentiæ.*

AD liberandam terram Sanctam de manibus impiorum ardenti desiderio adspirantes, de prudentum virorum consilio, qui plane noverant circumstantias temporum & locorum, sacro approbante Concilio diffinimus, ut ita Crucesignati se præparent, quod in Calendas Junii sequentis post proximum, omnes, qui disp[o]si fuerunt transire per mare, conveniant in Regnum Siciliæ: alii sicut oportuerit, & decuerit apud Brundusium: & alii apud Messanam & partes utrobique vicinas, ubi & Nos personaliter, Deo annuente, disposuimus tunc adesse, quatenus nostro consilio & auxilio exercitus Christianus salubriter ordinetur, cum benedictione Divina, & Apostolica profecturus. Ad eundem quoque terminum se studeant præparare, qui proposuerunt per terram proficisci. Significaturi hoc interim nobis, ut eis ad consilium & auxilium Legatum idoneum de nostro Latere concedamus. Sacerdotes autem, & alii Clerici, qui fuerint in exercitu Christiano, tam subditi quam Prælati Orationi & exhortationi diligenter insistant, docentes eos verbo pariter & exemplo, ut timorem, & amorem semper habeant Divinum ante oculos, ne quidquam dicant aut faciant, quod Divinam Majestatem offendat; etsi alioquin lapsi fuerint in peccatum, per veram pœnitentiam mox resurgant, gerentes humilitatem cordis & corporis, & tam in victu quam in vestitu mediocritatem servantes, dissensiones & æmulationes omnino vitando, rancore ac livore a se penitus relegatis, ut sic spiritualibus, & materialibus armis muniti, adversus hostes fidei securius prælientur, non de sua præsumentes potentia, sed de Divina virtute sperantes.

Ipsis

Ipsis autem Clericis indulgemus, ut beneficia sua integra percipiant per triennium, ac si essent in Ecclesiis residentes, & si necesse fuerit, ea per idem tempus pignori valeant obligare.

Ne igitur hoc sanctum propositum impediri vel retardari contingat, universis Ecclesiarum Prælatis districte præcipimus, ut singuli per loca sua, illos qui signum Crucis disposuerunt resumere, ac tam ipsos, quam alios Crucesignatos, & quos adhuc signare contigerit, ad reddendum vota sua Domino diligenter moneant & inducant, & si necesse fuerit per excommunicationis, in personas, & interdicti sententias in terras eorum, omni tergiversatione cessante, compellant; illis dumtaxat exceptis, quibus tale impedimentum occurrerit, propter quod, secundum Sedis Apostolicæ providentiam, votum eorum commutari debeat merito vel differri.

Ad hæc, ne quid in negotio Jesu Christi de contingentibus omittatur, volumus & mandamus, ut Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates & alii, qui curam obtinent animarum, studiose proponant sibi commissis verbum Crucis, obsecrantes per Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, unum solum verum æternum Deum, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites & Barones, aliosque Magnates nec non communiones Civitatum, Villarum, Oppidorum, ut qui personaliter non accesserint in subsidium Terræ Sanctæ, competentem conferant numerum Bellatorum cum expensis ad triennium necessariis, secundum proprias facultates, in remissionem peccatorum suorum, prout in generalibus Literis est expressum, & ad majorem cautelam etiam exprimemus.

Hujus remissionis volumus esse participes non solum eos, qui naves proprias exhibent, sed etiam illos, qui propter hoc opus naves studuerint fabricare. Renuentibus autem, si qui forte tam ingrati fuerint Domino Deo nostro, ex parte Apostolica firmiter protestentur, ut sciant se super hoc Nobis in novissimo districti examinis Dei coram tremendo Judice responsuros, prius tamen considerantes, qua conscientia, quave securitate confiteri poterunt coram Unigenito Dei Filio Jesu Christo, cui omnia Pater dedit in manus, si ei, pro peccatoribus crucifixo, servire renuerint in hoc negotio quasi proprie sibi proprio, cujus munere vivunt, cujus beneficio sustentantur, quin etiam ejus Sanguine sunt redempti.

Ne vero in humeros hominum onera gravia & importabilia imponere videamur, quæ diglto nostro movere nolimus, similes illis, qui dicunt utique, sed non faciunt: ecce Nos de his, quæ ultra necessarias & moderatas expensas potuimus reservare, triginta millia librarum in hoc opus concedimus & donamus, præter navigium, quod Crucesignatis de Urbe atque vicinis partibus conferimus, assignaturi nihilominus tria millia marcarum argenti, quæ apud nos de quorundam Fidelium eleemosynis remanserunt, aliis in necessitates & utilitates prædictæ terræ, per manus Felicis memoriæ Abbatis Hierosolymitani, Patriarchæ, ac Magistrorum Templi & Hospitalis fideliter distributis.

Cupientes autem alios Ecclesiarum Prælatos nec non Clericos universos, & in merito & in præmio habere participes & consortes, ex communi Concilii approbatione statuimus, ut omnes omnino Clerici, tam subditi, quam Prælati vigesimam partem Ecclesiasticorum proventuum usque ad triennium conferant in subsidium Terræ Sanctæ per manus eorum, qui ad hoc ab Apostolica fuerint providentia ordinati; quibusdam dumtaxat Religiosis exceptis, ab hac prætexatione merito eximendis: illis similiter, qui, assumpto vel assumendo Crucis signaculo, sunt personaliter profecturi.

Nos autem & Fratres nostri S.R.E. Cardinales plenariè decimam persolvemus, sciantque se omnes; ad hoc fideliter observandum per excommunicationis sententiam obligatos, ita quod, illi, qui super hoc fraudem scienter commiserint, sententiam excommunicationis incurrant.

Sane quia justo judicio cœlestis Imperatoris obsequiis inhærentes speciali decet prærogativa gaudere, cum tempus proficiscendi annum excedat in modico, Crucesignati vel a collectis, vel talliis aliisque gravaminibus sint immunes, quarum personas & bona post Crucem assumptam, sub B. Petri & nostra protectione suscepimus, ut sub Archiepiscoporum, Episcoporum ac omnium Prælatorum Ecclesiæ defensione consistant, propriis nihilominus protectoribus ad hoc specialiter deputandis, ita, ut donec de ipsorum obitu vel reditu certissime cogno-

gnoscatur, integra maneant & quieta: & si quisquam contra præsumpserit, per censuram Ecclesiasticam compescatur.

Si qui vero proficiscentium illuc ad præstandas usuras juramento tenentur adstricti, Creditores eorum, ut remittant eis præstitum juramentum, & ab usurarum exactione desistant, eademque præcipimus districtione compelli. Quod si quisquam Creditorum eos ad solutionem coegerit usurarum, eum ad restitutionem earum simili cogi animadversione mandamus.

Judeos vero ad remittendas usuras per sæcularem compelli præcipimus potestatem, & donec illas remiserint, ab universis Christifidelibus per excommunicationis sententiam eis omnino communio denegetur. His autem qui Judeis debita solvere nequeunt in præsenti, sic Principes sæculares utili dilatione provideant, quod post iter arreptum, usquequo de ipsorum obitu vel reditu certissime cognoscatur, usurarum incommoda non incurrant, compulsis Judeis proventus pignorum, quos interim ipsi perceperint, in sortem expensis deductis necessariis, computare; cum hujusmodi beneficium non multum videatur habere dispendii, quod solutionem sic prorogat, quod debitum non absorbet. Porro Ecclesiarum Prælati, qui in exhibenda justitia Crucesignatis & eorum familiis negligentes extiterint, sciant se graviter puniendos.

Cæterum quia Cursarii & Piratæ nimium impediunt subsidium Terræ Sanctæ capiendo & expoliando transeuntes ad illam, & redeuntes ab ipsa: hos speciales adjutores & fautors eorum excommunicationis vinculo innodamus, sub interminatione anathematis inhibentes, ne quis cum eis scienter communicet, aliquo venditionis vel emptionis contractu, & injungentes Rectoribus Civitatum & locorum suorum, ut eos ab hac iniquitate revocent & compescant: alioquin, quia nolle perturbare perversos, nihil aliud est quam fovere, nec caret scrupulo Societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare, in personas & terras eorum per Ecclesiarum Prælatos severitatem Ecclesiasticam volumus & præcipimus exerceri.

Excommunicamus prætera & anathematizamus illos falsos & impios Christianos, qui contra ipsum Christum & Populum Christianum Saracenis arma, ferrum & ligamina deferunt Galearum: eos etiam qui Galeas eis vendunt vel naves, quique in piraticis Saracenorum Navibus curam gubernationis exercent, vel in Machinis aut quibuslibet aliis aliquod eis impendunt consilium, vel auxilium in dispendium Terræ Sanctæ; ipsarum rerum suarum privatione multari, & Capientium servos fore censemus. Præcipientes, ut per omnes Urbes maritimas diebus Dominicis & festivis hujusmodi sententia innovetur, & talibus gremium non aperiatur Ecclesiæ, nisi totum quod ex substantia tam damnata perceperint, & tantundem de sua in subsidium prædictæ Terræ transmiserint, ut æquo judicio, in quo deliquerint, puniantur. Quod si forte solvendo non fuerint, alias sic reatus talium castigetur, quod in pœna ipsorum aliis interdicatur audacia similia præsumendi.

Prohibemus insuper omnibus Christianis & sub anathemate interdicimus, ne in terras Saracenorum, qui partes Orientales inhabitant, usque ad quadriennium transmittant naves suas, ut per hoc volentibus transfretare in subsidium Terræ Sanctæ major navigii copia præparetur, & Saracenis supradictis subtrahatur auxilium, quod eis consuevit ex hoc modicum provenire.

Licet autem torneamenta sint in diversis Conciliis sub certa pœna generaliter interdicta, quia tamen hoc tempore Crucis negocium per ea plurimum impeditur. Nos illa sub pœna excommunicationis firmiter prohibemus usque ad triennium exerceri.

Quia vero ad hoc negotium exequendum est proxime necessarium, ut Principes & Populi Christiani adinvicem pacem observent, Sancta universali Synodo suadente statuimus, ut saltem per quadriennium in toto Orbe Christiano servetur pax generaliter; ita quod per Ecclesiarum Prælatos discordantes reducantur ad plenam pacem aut firmam treugam inviolabiliter observandam: & qui acquiescere forte contempserint, per excommunicationem in personas, & interdictum in terras arctissime compellantur, nisi tanta fuerit injuriarum malitia, quod ipsi tali non debeant pace gaudere. Quod si forte censuram Ecclesiasticam vilipenderint, poterunt non immerito formidare, ne per authoritatem Ecclesiæ, circa eos tamquam perturbatores negotii

gotii Crucifixi sæcularis potentia inducatur.

Nos igitur Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli authoritate confisi, ex illa, quam Nobis, licet indigne, Deus ligandi atque solvendi contulit potestatem, omnibus, qui laborem propriis personis subierint & expensis, plenam suorum peccatorum, de quibus liberaliter fuerint corde contriti & confessi, Veniam indulgemus: & in retributione justorum salutis æternæ pollicemur augmentum: eis autem qui non in personis propriis illuc accesserint, sed in suis dumtaxat expensis juxta facultatem & qualitatem suam viros idoneos destinaverint: & illis similiter, qui licet in alienis expensis, in propriis tamen personis accesserint, plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Hujus quoque remissionis volumus esse participes juxta qualitatem subsidii & devotionis affectum omnes, qui ad subventionem ipsius Terræ de bonis suis congrue ministrabunt, aut consilium & auxilium impenderint opportunum: omnibus etiam pie proficiscentibus in hoc opere in communi, universalis Synodus omnium beneficiorum suorum suffragium impertitur, ut eis digne proficiat ad salutem.

I I.

Decretum prædicti Concilii Lateranensis de non admittendis Quæstoribus sine Apostolicis vel Diœcesanorum Episcoporum Literis.

Eleemosynarum Quæstores, quorum quidam, se alios mentiendo, abusiones nonnullas in prædicatione proponunt, admitti, nisi Apostolicas vel Diæcesani Episcopi Literas veras exhibeant, prohibemus: & tunc præter id, quod in ipsis continebitur Literis, nihil populo proponere permittantur. Formam vero, quam communiter talibus Apostolica Sedes indulget, duximus exprimendam, ut secundum eam Diœcesani Episcopi suas Literas moderentur; Ea siquidem talis est: Quoniam, ut ait Apostolus, omnes stabimus ante tribunal Christi recepturi, prout in corpore gessimus sive bonum fuerit sive malum, oportet nos diem messionis extremæ, misericordiæ operibus prævenire, ac æternorum intuitu seminare in terris, quod reddente Domino cum multiplicato fructu recolligere debeamus in Cœlis, firmam spem fiduciamque rectam tenentes: quoniam qui parce seminat, parce & metet; & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet vitam æternam. Cum igitur ad sustentationem Fratrum & egenorum ad tale confluentium Hospitale, propriæ non suppetant facultates, Universitatem vestram monemus & exhortamur in Domino, atque in remissionem vobis injungimus peccatorum, quatetenus de bonis vobis a Deo collatis, pias eleemosynas & grata eis charitatis subsidia erogetis, ut per subventionem vestram ipsorum inopiæ consulatur: & vos per hæc bona & alia, quæ Domino inspirante feceritis, ad æterna possitis gaudia pervenire.

I I I.

Decretum Concilii Viennensis contra Quæstorum abusus.

Abusionibus, quos nonnulli eleemosynarum Quæstores in suis proponunt prædicationibus, ut simplices decipiant, & aurum subtili vel fallaci potius ingenio extorqueant ab eisdem, cum in animarum cedat periculum & scandalum plurimorum, viam, (prout est nobis possibile) præcluderet cupientes, juxta statuta Concilii generalis duximus prohibendum districte, ne Quæstores aliqui, nisi Apostolicas vel Diœcesani Episcopi Literas exhibuerint, quomodolibet admittantur, nec permittatur (cum solum ipsis competat Indulgentias sibi concessas insinuare populo, & charitativa postulare subsidia suppliciter ab eodem) ullatenus ipsi populo prædicare, nec aliud exponere, quam quod in Literis continebitur supradictis. Literas quoque Apostolicas Diœcesani Episcopi, ne quid fraudis committi valeat per easdem, antequam admittant Quæstores ipsos, examinent diligenter.

Ad hæc cum aliqui ex hujusmodi Quæstoribus, sicut ad nostram audientiam est perlatum, non sine multa temeritatis audacia & deceptione multiplici animarum, Indulgentias populo motu suo proprio de facto concedant, super votis dispensent, a perjuriis & homicidiis & peccatis aliis sibi confitentes absolvant, male ablata incerta, data sibi aliqua pecuniæ quantitate, remittant, tertiam aut quartam partem de pœniten-

nitentiis injunctis relaxent, animas tres vel plures parentum vel amicorum illorum, qui eleemosynas eis conferunt, de Purgatorio, ut asserunt mendaciter, extrahant, & ad gaudia Paradisi perducant: Benefactoribus locorum, quorum Quæstores existunt, Remissionem plenariam peccatorum indulgeant, & aliqui ex ipsis, eos a pœna & culpa (ut eorum verbis utamur) absolvant. Nos abusus hujusmodi, per quos Censura vilescit Ecclesiastica, & Clavium Ecclesiæ authoritas ducitur in contemptum, omnimode aboleri volentes, ea per quoscumque Quæstores fieri, vel attentari de cætero districtius inhibemus: omnia & singula privilegia, si qua super præmissis, vel eorum aliquo sint aliquibus Locis Ordinibus, vel personis Quæstorum hujusmodi quomodocumque concessa (ne ipsorum prætextu sit eis materia talia ulterius præsumendi,) Authoritate Apostolica, quantum ad præmissa penitus revocantes.

Quæstores autem, qui deinceps in præmissis, vel aliquo præmissorum deliquerint, vel alias etiam quibuscumque suis privilegiis abusi fuerint, sic per locorum Episcopos puniri volumus, nullo prorsus eisdem Quæstoribus in hac parte privilegio suffragante, quod a suis temerariis ausibus, qui ubique (ut communis habet assertio) nimium excreverunt, pœnæ formidine propensius compescantur.

IV.

Aliud Concilii Viennensis Decretum contra Regulares indiscretas Indulgentias prædicantes

Quibus (*scilicet Regularibus*) in virtute Sanctæ Obedientiæ & sub pœnæ interminatione maledictionis æternæ districtius inhibemus, ne in sermonibus suis Ecclesiarum Prælatis detrahant, aut etiam retrahant Laicos ab Ecclesiarum suarum frequentia, vel accessu, seu Indulgentias pronuntient indiscretas..... Si qui vero præmissa, vel aliquod de præmissis attentare præsumpserint, per duos menses subjaceant pœnis illis, quæ secundum eorum Regulam vel Statuta, pro gravibus criminibus seu culpis, eis consueverunt imponi; super quibus absque manifesta necessitate cum eis non valeat dispensari.

V.

Constitutio Bonifacii VIII. qua centesimo quoque anno visitantibus Basilicas Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli plenissima Indulgentia conceditur.

BONIFACIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Antiquorum habet fida relatio, quod accedentibus ad honorabilem Basilicam Principis Apostolorum de Urbe, concessæ sunt magnæ Remissiones & Indulgentiæ peccatorum. Nos igitur qui juxta Officii nostri debitum, salutem appetimus & procuramus libentius singulorum, hujusmodi Remissiones, & Indulgentias omnes & singulas ratas & gratas habentes, ipsas Authoritate Apostolica confirmamus & approbamus, & etiam innovamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Ut autem Beatissimi Petrus & Paulus Apostoli eo amplius honorentur, quo ipsorum Basilicæ de Urbe devotius fuerint a Fidelibus frequentatæ, Fideles & ipsi spiritualium largitione munerum ex hujusmodi frequentatione magis senserint se refectos. Nos de Omnipotentis Dei misericordia, & eorundem Apostolorum ejus, meritis & authoritate confisi, de Fratrum nostrorum consilio & Apostolicæ plenitudine Potestatis, Omnibus in præsenti anno millesimo trecentesimo, a festo Nativitatis Domini nostri Jesu Christi præterito proxime inchoato, & in quolibet anno centesimo secuturo, ad Basilicas ipsas accedentibus reverenter, vere pœnitentibus & confessis, vel qui vere pœnitebunt, & confitebuntur, in hujusmodi præsenti & quolibet centesimo secuturo annis, non solum plenam & largiorem, imo plenissimam omnium suorum concedemus, & concedimus veniam peccatorum; Statuentes, ut qui voluerint hujusmodi Indulgentiæ a Nobis concessæ fieri participes, si fuerint Romani ad minus triginta diebus continuis seu interpolatis, & saltem semel in die: si vero Peregrini fuerint aut Forenses simili modo diebus quindecim ad Basilicas easdem accedant. Unusquisque tamen plus merebitur, & Indulgentiam efficacius conse-

que-

quetur, qui Basilicas ipsas amplius, & devotius frequentabit. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, approbationis, innovationis, concessionis & Constitutionis infringere &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum VIII. Calendas Martii Pontificatus nostri anno sexto.

V I.

Constitutio Bonifacii VIII. *qua Ecclesiæ Romanæ hostes & Apostolicæ Sedis Rebelles a plenissima Centesimi anni Indulgentia excluduntur.*

BONIFACIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Nuper per alias nostras Literas omnes remissiones & Indulgentias peccatorum concessas accedentibus ad honorabilem Basilicam principis Apostolorum de Urbe ratificandas, & approbandas duximus, & etiam innovandas; ut tamen Beatissimi Petrus & Paulus Apostoli eo amplius &c..... *ut in superiori Constitutione.* Verum quia multi Indulgentiarum gratia se reddunt indignos, declaramus expresse & dicimus manifeste, quod illos falsos & impios Christianos, qui portaverint vel portabunt merces, seu res prohibitas Saracenis vel ad terras eorum reportaverunt, vel reportabunt ab eis, nec non Fridericum natum quondam Petri olim Regis Aragonum, ac Siculos Nobis & Ecclesiæ Romanæ hostes, & Apostolicæ Sedis rebelles, & qui receptabunt Columnenses, eosdem & generaliter omnes & singulos publicos hostes & rebelles, præsentes & futuros Ecclesiæ memoratæ & impugnatores ipsius, & qui dabunt scientes supradictis vel eorum alicui, vel aliquibus auxilium consilium vel favorem, publice vel occulte dum in sua malitia perstiterint, nec ad dictæ Sedis mandata redire curaverint, Indulgentiarum hujusmodi cum non sint capaces, nolumus esse participes, ipsosque penitus excludimus ab eisdem. Nulli ergo hominum liceat, hanc paginam nostræ declarationis voluntatis, & exclusionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum Cal. Martii Pontificatus nostri anno sexto.

V I I.

Constitutio Clementis VI. *qua Jubilæum de centesimo in quinquagesimum annum reducitur.*

CLEMENS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Unigenitus Dei Filius de sinu Patris in uterum dignatus est descendere Matris, in qua, & ex qua nostræ mortalitatis substantiam Divinitati suæ in suppositi unitate, ineffabili unione conjunxit, id quod fuit permanens, & quod non erat assumens, ut haberet unde hominem Lapsum redimeret, & pro eo satisfaceret Deo Patri. Ubi enim venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum sub Lege, natum ex muliere, ut eos qui sub Lege erant, redimeret, & adoptionem reciperet Filiorum. Ipse namque factus nobis a Deo sapientia, justitia, sanctificatio & redemptio, non per Sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium Sanguinem introivit semel in Sancta, æterna redemptione inventa. Non enim corruptilibus auro & argento, sed sui ipsius agni incontaminati & immaculati pretioso Sanguine nos redemit, quem, in ara crucis innocens immolatus non guttam Sanguinis modicam, quæ tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis sufficisset, sed copiose velut quoddam profluvium noscitur effudisse, ita ut a planta pedis usque ad verticem capitis nulla sanitas inveniretur in ipso. Quantum ergo exinde, ut nec supervacua, inanis aut superflua tantæ effusionis miseratio redderetur, Thesaurum militanti Ecclesiæ acquisivit, volens suis thesaurizare Filiis pius Pater: ut sic sit infinitus Thesaurus hominibus, quo qui usi sunt, Dei amicitiæ participes sunt effecti. Quem quidem Thesaurum non in sudario repositum, non in agro absconditum, sed per Beatum Petrum Cœli Clavigerum, ejusque successores suos in terris Vicarios commisit Fidelibus salubriter dispensandum, & propriis & rationabilibus causis, nunc pro

totali, nunc pro partiali remissione pœnæ temporalis pro peccatis debitæ tam generaliter quam specialiter (prout cum Deo expedire cognoscerent) vere Pœnitentibus, & Confessis misericorditer applicandum. Ad cujus quidem Thesauri cumulum Beatæ Dei genitricis, omnium electorum a primo justo usque ad ultimum merita adminiculum præstare noscuntur; de cujus consumptione, seu minutione non est aliquatenus formidandum, tam propter infinita Christi (ut prædictum est) merita, quam pro eo, quod quanto plures ex ejus applicatione trahuntur ad justitiam, tanto magis accrescit ipsorum cumulus meritorum. Quod felic. Record. Bonifacius Papa VIII. Prædecessor noster [sicut indubie credimus] considerans, & attenta mentis consideratione revoluens, quantum apud homines gloriosi Principes terræ Petrus & Paulus, per quos Evangelium Christi Romæ resplenduit, & per quos Ecclesia Religionis sumpsit exordium: qui facti Christiani populi per Evangelium genitores, gregis Dominici pastores, Fidei lucernæ, Ecclesiarum columnæ, præ cæteris peculiari quadam prærogativa in ipso Salvatore fidei virtute præcellunt; quorum uni, scilicet Apostolorum Principi, sicut bono dispensatori Claves regni Cœlorum commisit, altero tamquam idoneo Doctori Magisterium Ecclesiasticæ eruditionis injunxit, in speciali veneratione haberi debeant, & debita honorificentia venerari, pro ipsorum memoria recolenda crebrius, & reverentia a cunctis Christifidelibus eis devotius exhibenda, ipsorumque patrocinio favorabilius assequendo, inconsumptibilem Thesaurum hujusmodi, pro excitanda & remuneranda devotione Fidelium voluit aperire; decernens de Fratrum suorum consilio, ut omnes, qui in anno a Nativitate Domini Millesimo trecentesimo, & qualibet anno centesimo ex tunc secuturo, ad dictorum Apostolorum Basilicas de Urbe accederent reverenter, ipsasque, si Romani ad minus triginta, si vero peregrini aut forenses quindecim diebus continuis vel interpolatis saltem semel in die, dum tamen vere pœnitentes & confessi existerent, personaliter visitarent, suorum omnium obtinerent plenissimam veniam peccatorum.

Nos autem attendentes, quod annus quinquagesimus in lege Mosaica, quam non venit Dominus solvere, sed adimplere; Jubilæus remissionis & gaudii, sacerque dierum numerus, quo lege fit remissio, censebatur; quodque ipse quinquagenarius numerus in Testamentis veteri quidem ex legis datione, in novo ex visibili sancti Spiritus in discipulos missione, per quem datur peccatorum remissio, singulariter honoratur; quodque huic numero plura & grandia Divinarum adaptantur mysteria scripturarum; clamorem peculiaris populi nostri Romani videlicet, hoc humiliter supplicantis, ac Nos ad instar Moysi & Aaron per proprios & solemnes Nuntios ad hoc specialiter destinatos orantis pro toto Christiano populo, & dicentis: Domine aperi eis Thesaurum tuum, fontem aquæ vivæ: desiderantes benignius exaudire, non quidem ut sicut illius populi Israelitici indurati cesset murmuratio, sed ut istius prædicti populi, & cunctorum Fidelium augeatur devotio, fides splendeat, spes vigeat, charitas vehementius incalescat; volentesque quamplurimos hujusmodi Indulgentiæ fore participes, cum pauci multorum respectu, propter vitæ hominum brevitatem valeant ad annum centesimum pervenire; de Fratrum nostrorum consilio prædictam concessionem ejusdem Indulgentiæ ex suprascriptis, & aliis justis causis ad annum quinquagesimum ducimus reducendam: statuentes de Fratrum Consilio prædictorum & Apostolicæ plenitudine Potestatis, ut universi Christifideles, qui vere pœnitentes, & confessi in anno a nativitate ejusdem Domini Millesimo trecentesimo quinquagesimo proxime futuro & deinceps perpetuis futuris temporibus de quinquaginta in quinquaginta annos, prædictas eorundem Apostolorum Petri & Pauli Basilicas, ac Lateranensem Ecclesiam, quam inclitæ recordationis Constantinus, post quam per Beatum Silvestrum, sicut per eosdem Apostolos Deo revelante cognovit, renatus fonte Baptismatis fuerat, & a contagio lepræ mundatus in honorem Salvatoris construxisse; quamque idem Beatus Silvester novo sanctificationis & chrismatis genere dedicasse leguntur, & in cujus Ecclesiæ parietibus præfati Salvatoris imago depicta, primum toti populo Romano visibiliter apparuit, devotius veneranda, quam ex his & aliis certis & rationabilibus causis, ut ipsa Ecclesia pariter Indulgentiæ prædictæ privile-

vilegio decoretur, & devotus populus ab eodem Salvatore, qui in præfatis Apostolis mirabilis prædicatur, eorum meritis & precibus Indulgentiæ mereatur percipere largitatem, in hac censuimus honorandam, causa devotionis modo præmisso visitaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum veniam consequantur; ita videlicet, ut quicumque voluerint hujusmodi Indulgentiam assequi, si Romani ad minus triginta continuis vel interpolatis saltem semel in die; si vero peregrini aut forenses modo simili quindecim diebus ad prædictas Basilicas & Ecclesiam accedere teneantur: ac adiicientes, ut ii etiam, qui pro ea consequenda ad easdem Basilicas & Ecclesiam accedentes, post iter arreptum impediti legitime quo minus ad Urbem illo anno valeant pervenire, aut in via vel dierum prætexato numero non completo in dicta Urbe decesserint, vere pœnitentes, ut præmittitur, & confessi eandem Indulgentiam consequantur, omnes nihilominus & singulas Indulgentias, per Nos vel Prædecessores nostros Romanos Pontifices tam prænominatis, quam aliis Basilicis & Ecclesiis de dicta Urbe concessas ratas & gratas habentes, ipsas Authoritate Apostolica confirmamus & approbamus, & etiam innovamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. Datum Avenion. VI. Cal. Febr. Pontif. nostri anno I.°

VIII.

Constitutio Urbani VI. qua Jubilæum trigesimotertio quoque anno celebrandum indicitur.

URBANUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Salvator noster unigenitus Dei Filius de sinu Patris in uterum dignatus est descendere Matris, in qua & ex qua nostræ mortalitatis substantiam Divinitatis suæ in suppositi unitate ineffabili unione conjunxit, id quod fuit, permanens, & quod non erat assumens, ut haberet, unde hominem lapsum redimeret, & pro eo satisfaceret Deo Patri; ubi enim venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, natum ex muliere, factum sub lege, ut qui sub lege erant redimeret, & adoptionem reciperent filiorum: ipse namque factus nobis à Deo sapientia & justitia, sanctificatio & redemptio, non per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium Sanguinem intravit semel in sancta, æterna redemptione inventa, non enim corruptibili auro & argento, sed sui ipsius incontaminati & immaculati pretioso Sanguine nos redemit, qui in ara Crucis pro nobis innocens immolatus, non guttam Sanguinis modicam, quæ tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis suffecisset, sed copiose veluti quoddam effluvium noscitur effudisse; ita ut a planta pedis usque ad verticem nulla sanitas reperiretur in eo. Tantum ergo exinde, ut nec supervacua & inanis, nec superflua tantæ effusionis miseratio redderetur, Thesaurum militanti Ecclesiæ acquisivit, volens thesaurizare suis filiis Pater pius, ut sic sit infinitus Thesaurus hominibus, quo qui usi sunt, Dei amicitiæ participes sunt effecti: quem quidem Thesaurum non in sudarium repositum, non in agro absconditum, sed per Beatum Petrum Cœli Clavigerum ejusque successores suos in terris Vicarios commisit Fidelibus salubriter dispensandum, & pro piis ac rationabilibus causis, nunc pro totali, nunc pro partiali remissione pœnæ temporalis pro peccatis debitæ, tam generaliter quam specialiter, prout cum Deo expedire cognoscerent, vere pœnitentibus & confessis misericorditer applicandum; ad cujus Thesauri cumulum Beatæ & gloriosæ Virginis Mariæ & omnium Electorum a primo Justo usque ad ultimum merita adminiculum præstare noscuntur; de cujus consumptione seu diminutione non est aliquantum formidandum, tam propter infinita Christi, ut prædictum est, merita, quam pro eo, quod quanto plures ex ejus applicatione trahuntur ad justitiam, tanto magis accrescit ipsorum cumulus meritorum. Quod Bonifacius Papa Octavus Prædecessor noster primo, pie, prout indubitanter credimus, considerans, & debita meditatione revolvens, quanta Apostolici homines Petrus & Paulus, per quos Evangelium Christi Romæ resplenduit, & per quos Ecclesia Religionis sumpsit exordium, qui facti Christiani populi per Evangelium genitores, gregisque Dominici pastores, Fidei lucernæ, Ecclesiarum columnæ præ cæteris Apostolicis, peculiari quadam prærogativa in ipso Salvatore,

tore, fidei virtute præcellunt, quorum uni ſicut Apoſtolorum Principi, tamquam bono diſpenſatori Claves Cœleſtis regni commiſit, alteri ſicut idoneo datori Magiſterium Eccleſiaſticæ eruditionis injunxit, in ſpeciali veneratione haberi debeant, & debita honorificentia venerari, pro ipſorum memoria recolenda crebrius, & reverentia a cunctis Chriſtifidelibus eis devotius exibenda, ipſorumque patrocinio favorabilius aſſequendo, inconſumptibilem Theſaurum hujuſmodi, pro excitanda & remuneranda devotione Fidelium voluit aperire, decernens de Fratrum ſuorum conſilio, ut omnes qui in anno a Nativitate Domini MCCC. & quolibet centeſimo tunc ſecuturo ad dictorum Apoſtolorum Baſilicas de Urbe accederent reverenter, ipſaſque, ſi Romani ad minus triginta, ſi vero peregrini aut forenſes, quindecim diebus continuis aut interpolatis, ſaltem ſemel in die, dummodo tamen vere pœnitentes & confeſſi exiſterent, perſonaliter viſitarent, ſuorum omnium pleniſſimam obtinerent veniam peccatorum. Et deinde felic. record. Clemens Papa Sextus Prædeceſſor noſter de Fratrum ſuorum conſilio ex certis cauſis ad annum quinquageſimum reduxit, ſtatuens de Fratrum ſuorum conſilio, ut univerſi Chriſtifideles, qui vere pœnitentes & confeſſi in anno a Nativitate ejuſdem Domini MCCCL. tunc proxime futuro, & deinceps perpetuis futuris temporibus de quinquaginta in quinquaginta annos prædictas ipſorum Petri & Pauli Baſilicas & Lateranenſem Eccleſiam, cauſa devotionis modo prædicto viſitarent, pleniſſimam omnium ſuorum peccatorum veniam conſequerentur. Nos conſiderantes quod ætas hominum amplius ſolito in dies labitur pauciores, & deſiderantes quampluriмos participes fieri Indulgentiæ memoratæ, cum plurimi ad annum quinquageſimum propter hominum vitæ brevitatem non perveniant, & ut cunctorum populorum augeatur devotio, fides reſplendeat, ſpes vigeat, & charitas vehementius incaleſcat: ac intendentes, quod anno trigeſimotertio Salvatoris Domini noſtri Jeſu Chriſti, ipſe Salvator noſter pro nobis æterno Patri Adæ debitum ſolvit, & veteris piaculi coinquinationem proprio Sanguine deterſit, deſtructiſque mortis vinculis victor ab inferis reſurrexit: & per quadraginta dies per multa argumenta ſuis apparens diſcipulis, videntibus illis aſcendit in Cœlum, ac demum dona chariſmatum per immiſſionem Sancti Spiritus in filios adoptionis effudit: & quod myſterio hujuſmodi trigintatrium annorum, qui fuerunt totum tempus vitæ ipſius noſtri Salvatoris, quibus converſatus in Mundo, miro clauſit ordine ſui moras incolatus, plurima etiam alia & grandia Divinarum ſcripturarum myſteria adaptari poſſunt: & ut magis ipſius Salvatoris & eorum, quæ pro humani generis ſalute geſſit, ac verbis docuit & exemplis, Fidelibus ſit in memoria, de Fratrum noſtrorum conſilio, ex ſupradictis & aliis juſtis cauſis ad annum trigeſimumtertium reducimus, per præſentes ſtatuentes de eorundem Fratrum noſtrorum conſilio & Apoſtolicæ plenitudine Poteſtatis, ut univerſi Chriſtifideles vere pœnitentes & confeſſi, qui anno a Nativitate ejuſdem Domini MCCCXC. proxime futuro, & deinceps perpetuis temporibus de trigintatribus annis in trigintatres annos, prædictas ipſorum Petri & Pauli Baſilicas, ac Lateranenſem, & S. Mariæ Majoris de Urbe Eccleſias, quæ, ob ipſius reverentiam Virginis, inter alias prædictæ Urbis Eccleſias devotiſſime honoratur, & ad quam cauſa devotionis, populi confluit multitudo, & quam, ut cunctus populus ipſius precibus Virginis & meritis, quæ præ Sanctis omnibus ab eodem Salvatore noſtro meruit exaudiri, hujuſmodi conſequatur Indulgentiæ largitatem, in hoc & ex hujuſmodi & aliis certis cauſis rationabilibus cenſemus honorandam, cauſa devotionis modo præmiſſo viſitaverint, pleniſſimam omnium peccatorum ſuorum veniam conſequantur; ita videlicet, ut quicumque voluerit hujuſmodi Indulgentiam aſſequi, ſi Romani ad minus triginta continuis aut interpolatis, ſaltem ſemel in die, ſi vero peregrinus aut Forenſis fuerit modo ſimili quindecim diebus ad dictas Baſilicas & Eccleſias accedere teneatur: adjicientes, ut ii, quos, pro ea conſequenda ad eaſdem Baſilicas & Eccleſias accedentes poſt iter arreptum contigerit legitime impediri, quo minus ad Urbem illo anno valeant pervenire, aut qui in via vel dierum prætexato numero non completo in dicta Urbe deceſſerint, vere pœnitentes, ut præmittitur, & confeſſi eandem Indulgentiam conſequantur.

Omnes nihilominus & ſingulas Indulgentias

tias per nos & Prædecessores nostros Romanos Pontifices tam prænominatis, quam aliis Basilicis & Ecclesiis de dicta Urbe concessas ratas & gratas habentes, ipsas Authoritate Apostolica confirmamus & approbamus, & etiam innovamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ eruditionis, Constitutionis, adjectionis, confirmationis, approbationis & innovationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum quinto Idus Aprilis Pontificatus nostri anno undecimo.

I X.

Literæ BONIFACII IX. ad Benedictum Episcopum Ferrariensem, quibus jubet in eos animadverti, qui sacra Indulgentiarum præmia ad quæstum profanaverant.

Venerabili Fratri Benedicto Episcopo Ferrariensi in Provincia nostra Romandiolæ pro Nobis & Ecclesia Romana Thesaurario salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Ad audientiam nostram non sine magna mentis displicentia, fide dignorum quamplurium relatio perduxit, quod quidam Religiosi diversorum etiam Mendicantium Ordinum & nonnulli Clerici sæculares etiam in dignitatibus constituti, asserentes se a Nobis, aut a diversis Legatis seu Nuntiis Sedis Apostolicæ missos, & ad plura peragenda negotia diversas facultates habere, per partes in quibus es pro nobis & Ecclesia Romana Thesaurarius deputatus, discurrunt, & veras vel prætensas, quas se habere dicunt, facultates, fideli & simplici populo nuntiant, & irreverenter veris hujusmodi facultatibus abutentes, suas fimbrias, ut vel sic turpem & infamem quæstum faciant, impudenter dilatant, & non veras & prætensas facultates hujusmodi mendaciter simulant, cum etiam pro qualibet parva pecuniarum summa, non pœnitentes, sed mala conscientia satagentes iniquitati suæ quoddam emeritæ absolutionis velamen prætendere, ab atrocibus delictis, nulla vera contritione nullaque debita præcedenti forma (ut verbis illorum utamur) absolvant male ablata, certa & incerta, nulla satisfactione prævia (quod omnibus sæculis absurdissimum est) remittant: Castitatis, abstinentiæ, peregrinationis ultramarinæ, seu Beatorum Petri & Pauli de Urbe, aut Jacobi in Compostella Apostolorum, & alia quævis vota levi compensatione commutent: de hæresi vel schismate nominatim aut incidenter condemnatos, absque eo quod in debita forma abjurent, & quantum possunt debite satisfaciant, non tantum absolvant, sed in integrum restituant: cum illigitime genitis, ut ad Ordines & beneficia promoveri possint, & intra gradus prohibitos copulatis aut copulandis dispensent: & eis, qui ad partes Infidelium absque Sedis prædictæ licentia transfretarunt, vel merces prohibitas detulerunt, & etiam qui Romanæ aut aliarum Ecclesiarum possessiones, jura & bona occuparunt, excommunicationis & alias sententias & pœnas, & quævis interdicta relaxent; & Indulgentiam, quam felic. recordat. Urbanus Papa VI. Prædecessor noster, Christifidelibus certas Basilicas & Ecclesias dictæ Urbis instanti anno visitantibus concessit, & quæ in subsidium Terræ Sanctæ accedentibus conceduntur, quibusvis, elargiri minime ducant, ac tot tantasque abusiones, postposita Dei, & ejus Ecclesiæ reverentia & honore mundiali, ac propriæ conscientiæ stimulis exercere non erubescant per modos tales, ut quasi hominibus perpetuam felicitatem in hoc sæculo polliceri conentur, & æternam gloriam in futuro, & quæstum, quem exinde percipiunt, nomine Cameræ Apostolicæ se percipere asserant, & nullam de illo nihilominus rationem velle reddere videantur. Horret, & merito indignatur animus talia reminisci, cedunt enim in gravem Divinæ Majestatis offensam, Sedis & gravitatis Apostolicæ vilipendium, animarum grande periculum; exempli pessimi damnosam perniciem, fidelis populi elusionem, devotionis diminutionem & scandalum plurimorum. Attendentes igitur quod Nostra interest, super tot tantisque malis de opportunis remediis salubriter providere, Fraternitati tuæ, de qua in iis & aliis specialem in Domi-

mino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus religiosis, & sæcularibus Clericis hujusmodi ac eorum familiaribus, complicibus & collegis, & aliis vocatis, qui fuerint evocandi, summarie & simpliciter, & de plano, ac sine strepitu, & figura judicii, etiam ex officio super præmissis, Auctoritate nostra inquiras diligentius veritatem, & eos ad reddendum tibi computum de receptis, & reliqua consignandum, remota appellatione compellas: & quos per inquisitionem hujusmodi excessisse, vel non verum aut non sufficiens, seu ad id non habuisse mandatum, inveneris, capias, & tandiu sub fida custodia teneas carceribus mancipatos, donec id Nobis intimaveris, & aliud super hoc a Nobis receperis in mandatis. Contradictores &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum XIV. Cal. Novembris anno 1.°.

X.

Decretum MARTINI V. *In Concilio Constantiensi latum pro revocatione Quarundam Indulgentiarum.*

Quia tempore schismatis, quo singula quasi spiritualia publice exponebantur venditioni, multæ quæstuationes ac petitiones, cum quamplurium Indulgentiarum & concessionum privilegio, ut verosimiliter præsumitur, pro pecunia plusquam pro animarum salute sunt concessæ in gravamen pauperum & Ecclesiastici status ridiculum, ex quibus velut ex facilitate veniæ incentiuum præbetur delinquendi; idcirco hæc Sancta Synodus omnes hujusmodi novas quæstuationes, sub cujuscumque nomine ab Apostolica Sede concessas, nec non omnia & singula privilegia Indulgentiarum, concessionum aut gratiarum, cujuscumque etiam sint tenoris & continentiæ dictis novis aut etiam antiquis quæstuationibus & petitionibus tempore jam lapsi schismatis, imo & tempore unionis post Constitutionem felic.record. Clementis V. quæ incipit Abusionibus Clem. *l. 5. t. 9. cap.* 2. qualiter cumque concessa revocat, irritat & annihilat, eaque ut antea nullius vult esse roboris vel momenti. Per hanc revocationem hæc Synodus, antiquis quæstuationibus & petitionibus, dummodo per Presbyteros bonæ famæ, habiles & idoneos, sine sermone publico, sed cum literarum petitionum suarum & Indulgentiarum antiquarum vera expositione, sine commixtione falsitatis, & secundum formam dictæ Clementinæ fiant, aliquatenus derogare non intendit.

X I.

Concordata Nationum super Indulgentiis cum MARTINO V. *ex Hermanno Vonder dart. tom.* 1.

Super decimo septimo articulo videtur, quod Indulgentiæ exorbitanter concessæ tempore schismatis, continentes remissionem omnium peccatorum, vel factæ ad instar, sint penitus revocandæ, juxta avisata in Reformatorio primo hujus Concilii Generalis. Quodque deinceps tales non nisi ex maxima causa concedantur cum expressione qualitatum & circumstantiarum opportunarum.

Concordata Nationis Germanicæ fol. 1068. sic habent. Cavebit Dominus Papa in futurum nimiam Indulgentiarum effusionem, ne vilescant: & in preteritum concessas ab obitu Gregorii XI. adinstar alterius Indulgentiæ rovocet, & annullet. Concordata hæc in Cancellariam Papalem relata sunt XV. Aprilis MCDXVIII, desumpta vero fuerunt ex antiquissimis Codicibus M.SS.

Concordata Nationis Gallicæ sic habent. Circa articulum Indulgentiarum, habita deliberatione matura, nihil intendimus circa eas immutare seu ordinare.

Concordata Nationis Anglicanæ cap. 2. Sic habent: Item, quod, cum occasione diversarum Indulgentiarum ac literarum, facultatum a Sede Apostolica concessarum ad absolvendum quoscumque visitantes, sive offerentes in certis locis, & quasi ratum quamplurimarum, quæ in Anglia nunc plus solito abundant, nonnulli peccandi audaciam frequenter assumunt, ac contemptis suis propriis Curatis, & Ecclesiis suis Parochialibus dimissis, ad ipsa loca spe Indulgentiarum & confessionum accedunt, decimas, oblationes & debita dictarum Ecclesiarum Parochialium subtrahunt, seu solvere differunt minus juste, committatur Diœcesanis locorum ad inquirendum super qualitate earum, cum potesta-

testate suspendendi omnino Authoritate Apostolica illas, quas invenerint scandalosas, & illas denuntiandi Papæ, ut illas revocet.

XII.

Regulæ Cancellariæ a Martino v. *statutæ super Indulgentiis concedendis.*

Voluit & ordinavit Dominus noster Martinus v., quod Indulgentiæ per eum deinceps concedendæ, sive *per fiat* concedentur, sive *per concessum*, visitantibus videlicet Ecclesias vel pia loca, seu illis eleemosynam etiam ad fabricam vel alias &c. porrigentibus, durent dumtaxat per decem annos, & dentur solum ad festivitates sequentes, videlicet septem Domini nostri, & quatuor B.M. V. Joannis Baptistæ, Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, ad celebritates omnium Sanctorum, sub quorum vocabulo Ecclesiæ seu loca hujusmodi fuit fundata: in Dedicatione earundem Ecclesiarum & locorum, ac etiam octavas dictarum festivitatum, octavas habentium, & ponatur clausula; Volumus quod si alias &c. Si tempus Indulgentiarum adhuc duret, voluit, quod si aliqua Indulgentia pro una tantum die anni petita fuerit, non apponantur festa prædicta, ipsaque Indulgentia in perpetuum duret.

Item voluit & ordinavit, quod si aliquæ Indulgentiæ pro Ecclesiis, Hospitalibus aut piis locis, adinstar Indulgentiarum aliis Ecclesiis vel aliis locis concessarum, petantur, si non plene specificatæ fuerint, Literæ non expediantur super illis.

Item voluit, & ordinavit quod in Literis Apostolicis super Indulgentiis per ipsum deinceps concedendis, personis visitantibus Ecclesias seu alia loca pia, vel ad eorum reparationem seu fabricam manus porrigentibus adjutrices, seu inibi pias eleemosynas erogantibus, si supplicatio signata fuerit *per fiat*, si Ecclesia Cathedralis, vel insignis Collegiata aut solemne Monasterium fuerit, tres, aliquando duo anni & totidem quadragenæ: & *si per fiat ut petitur* pro Cathedrali aut Collegiata Ecclesia, aut Monasterio hujusmodi, quatuor, aliquando tres anni & totidem quadragenæ, licet plures petantur; per singulas vero octavas Festivitatum consuetarum, & pro Capellis, tantum centum dierum apponantur.

Item voluit & ordinavit, quod deinceps aliquæ Literæ super concessione Indulgentiarum hujusmodi, aut etiam a pœna & culpa pro quibuscumque personis, sub sigillo Cardinalium seu alterius cujuscumque non expediantur; quod si secus fiat, eo ipso sint nullæ, & in Literis Apostolicis super illis conficiendis ponatur clausula jejunii.

XIII.

Literæ Martini v. ad Jacobum Episcopum Tergestinum & Simonem de Teremo Sedis Apostolicæ Nuntios in Anglia in Causa Henrici Archiepiscopi Cantuariensis, qui anno mccccxx. Jubilæum celebrandum indixerat.

Martinus Episcopus

Servus Servorum Dei

Venerabilibus Fratribus Episcopo Tergestino, & dilecto Filio Magistro Simoni de Teremo juris utriusque doctori, in Regno Angliæ pro Camera Apostolica collectori, nostris & Apostolicæ Sedis Nuntiis salutem & Apostolicam Benedictionem.

Cum fuerit ad notitiam nostram quamplurimorum significatione deductum, Henricum Archiepiscopum, & Priorem ac Capitulum Cantuariensis Ecclesiæ inaudita præsumptione, ac sacrilega audacia commotos, de anno Domini mccccxx. Jubilæum ad generalem remissionem peccatorum, in certis temporibus, locis, modis & formis ab antiquis Patribus, & Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus ordinatum indixisse, & fecisse publice prædicari, omnes & singulos visitantes præfatam Ecclesiam Cantuariensem, plenariam remissionem omnium peccatorum consecuturos, quam consequebantur visitantes Limina Apostolorum in Alma Urbe, per Romanum Pontificem Jubilæo instituto: nec non temeritate simili instituisse Pœnitentiarios, qui confluentes ad eos generaliter ab omnibus peccatis absolverent, vel potius simplices animas illaquearent, & ab ipsis profanum pretium extor-

torquerent, cum inexpiabili conscientiarum propriarum læsione, & deceptione aliarum simplicium animarum; Nos considerantes quam periculosum, quamque scandalosum in fide, animarum salute, quamque excessiva fuerit præsumptio Archiepiscopi, Prioris & Capituli prædictorum, qui velut damnati Angeli in Aquilone sedem sibi constituere voluerunt contra Creatorem, sic ipsi homines præsumptuosi adversus Sedem Apostolicam & Auctoritatem Romani Pontificis, cui soli tanta est a Deo concessa facultas, falsum salvationis tabernaculum erigere sunt conati; ac volentes salubriter providendo animadvertere cum debito exemplo justitiæ & punitionis condignæ in hujusmodi transgressores, ut etiam in futurum aliqui attentare tam enormia non præsumant; vobis duobus, quos ad Regnum Angliæ Nuntios deputatos pro nonnullis arduis nostris & Romanæ Ecclesiæ negotiis destinamus, tenore præsentium committimus & mandamus, ut vos super præmissis diligenter inquirere & informare curetis.

Quod ut commodius adimplere possitis, & in apertum deducere veritatem, vobis & vestrum cuilibet inquirendi, testes recipiendi & examinandi, ac examinari faciendi, & subtrahentes se a testificatione, prout vobis videbitur, compellendi, significationes & probationes acceptandi, & suscipiendi informationem quomodolibet de præmissis, etiam cum adjectione pœnarum, & quoscumque alios contradictores & rebelles per censuram Ecclesiasticam Auctoritate nostra, appellatione post posita, compescendi, plenam & liberam per præsentes concedimus facultatem &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum 14. Cal. Aprilis Pontificatus nostri anno VI.

X I V.

Constitutio NICOLAI V. *pro Jubilæo celebrando anno* MCCCCL.

NICOLAUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Nonnulli Prædecessores nostri Romani Pontifices Ministri Christi & dispensatores mysteriorum Dei, quædam elegerant tempora, in quibus fidelibus populis uberius fluenta Divinæ miserationis effluerent, scientes Omnipotentem Deum lapsi hominis vetustatem quibusdam periodis temporum, nunc diluvio, nunc circumcisione, nunc lege, nunc aliis atque aliis modis, novissime autem per Incarnati Verbi mysterium in melius innovasse. Qui cum illuminante Spiritu Sancto intelligerent, quod ad vetus Testamentum secundum literam pertinebat, hoc, novo secundum spiritum, convenire Jubilæi anni mysterium, in quo fiebat terræ remissio, libertas servorum, possessionum restitutio, quæ pretio fuerant comparatæ, Christiano populo spiritualiter exhibere curarunt, ut quolibet quinquagesimo anno, omnes quibuscumque etiam gravissimis delictis obnoxii, vere pœnitentes & confessi, qui Apostolorum Petri & Pauli Limina, ac Lateranensem, & Beatæ Mariæ Majoris de Urbe Ecclesias visitassent, sub certis modis & formis quæ in ipsorum Literis Apostolicis continentur, & præsertim felic. record. Clementis VI. & Gregorii XI. Prædecessorum nostrorum (quorum tenores præsentibus annotari, & de verbo ad verbum inseri fecimus) omnium peccatorum suorum plenissimam Indulgentiam: obtinuerint. Tenor vero Literarum præfati Clementis sequitur videlicet. Clemens &c. Unigenitus Dei filius &c. adscripta est dies VI. Cal. Februarii Pontificatus anno primo: subjunguntur Gregorii XI. Literæ, quæ ab his verbis exordiuntur: Salvator Noster &c. & post cumulata in B. Virginem amplissima elogia decernit, ut cum Clemens VI. annum Jubilæum a Bonifacio singulis sæculis institutum ad recurrentem quinquagesimum annum redegisset, sanxissetque, ut Indulgentiarum præmia in lustrandis Lateranensi ac Beati Petri & Pauli Basilicis lucraturi majorem Basilicam Beatæ Mariæ Sacram adire obscripti essent, cum non sine ingenti miraculo condita & dicata fuisset, atque, etiam pluribus miraculis Deiparæ precibus patrari solitis fulgeret, Fideles tandem Basilicam S. Mariæ Majoris recurrentibus annis Jubilæis adipiscendæ causa criminum veniæ lustrare teneantur, quibus Gregorii XI. Literis Avenione exaratis 3. Cal. Maii Pontificatus anno tertio adjecta est.

Nos igitur, qui licet immeriti vices Christi gerimus in terris, & Beati Petri Successores sumus, eorum vestigiis inhærentes, præ-

præfatas concessionum Literas ratas & gratas habentes, eas de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio & Apostolicæ plenitudine Potestatis innovamus, approbamus & præsentis scripti patrocinio communimus, decernimusque, statuimus & ordinamus, ut omnes Christifideles, qui vere pœnitentes & confessi juxta formam in ipsis Literis comprehensam in anno Nativitatis Domini nostri Jesu Christi MCCCCL. proxime secuturo præfatas Sanctorum Petri & Pauli Apostolorum Basilicas ac Lateranensem & B. Mariæ Majoris Ecclesias visitaverint, omnium peccatorum suorum plenissimam Indulgentiam consequantur. Præparent ergo omnes corda sua Domino, & mores in melius commutare conentur, a malefactis abstineant, satisfaciant Domino per contriti cordis sacrificium cooperantibus eleemosynis & peregrinationibus, ut Sanctorum Templa visitantes, quorum millia fere innumera una cum gloriosissimis Petro & Paulo in alma Urbe requiescunt, qui mortem pro Christi nomine perpessi, ejus conspectui semper assistunt, intercessores semper habere mereantur. Nulli ergo &c. Datum anno Nativitatis Dominicæ MCDXLIX. Cal. Februarii Pontificatus nostri anno II.

X V.

Literæ NICOLAI V. ad Joannem Cabilonensem & Antonium Sidonensem Episcopos, ut profligarent errores ex Sacerdotum imperitia in Burgundia vulgatos, mediis idoneis Prædicatoribus.

NICOLAUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Venerabilibus Fratribus Joanni Cabilonensi & Antonio Sidonensi Episcopis in Theologia Magistris salutem & Apostolicam Benedictionem.

Pastoralis Nos impellit Ministerii debitum, & quotidiana omnium Ecclesiarum Nos angit sollicitudo, ut pro confutandis superstitiosis Catholicæ Religioni contrariis erroribus Apostolicæ curæ partes ferventius impendamus. Sane sicut intelleximus, in nonnullis Burgundiæ partibus plerique sæculares & regulares Presbyteri, vel ex imperitia sive inadvertentia, aut linguæ lapsu, etiam nonnumquam in sermonibus publicis ad populum, ac collationibus & disputationibus utrimque & hinc inde habitis, aliqua piarum aurium offensiva, & quæ omnino Catholicæ Fidei & illius articulis, ac Sanctorum Patribus & Catholicorum Doctorum traditionibus conformia non sunt, & præsertim Indulgentiarum & remissionum peccatorum, nec non Clavium Ecclesiæ & Sacramenti materias concernentia affirmarunt, dogmatizarunt & prædicarunt, unde ibi gravia scandala successerunt, & nisi Apostolicæ provisionis remedio salubriter provideatur, inter Fideles, ac vulgares & populares Partium illarum poterunt hæreses, & errores varii periculosius pullulare.

Nos itaque, prout ex susceptæ servitutis adstricti censemur officio, tam dispendiosis illarum progressibus feliciter obviare cupientes, ad vos quos Zelus comedit animarum, & in Sacra pagina estis magistri, ac præmissorum, nec non aliorum ejusdem Fidei articulorum veram notitiam & claram informationem obtinetis, direximus oculos nostræ mentis, Fraternitatibus vestris per Apostolica scripta mandates, & remissionem peccaminum vestrorum iniungentes, quatenus vos simul vel alter vestrum in solidum, vocato Fidei Inquisitore, prout id utilius fieri posse compereritis, & tam publice, quam private, prout id etiam congruere & magis opportunum fore perspexeretis, prædicandi officium & Evangelizandi ministerium prædictorum & quorumcumque aliorum plenaria extirpatione devote assumatis, & reverenter acceptetis, ac Fidelibus ipsis, in eisdem partibus, in Ecclesiis & locis, quibus convenientius fieri possit, veritatem & sanas Sanctorum Patrum & Doctorum opiniones ac traditiones, prout Sancta Romana Ecclesia tenet, credit & servat, proponatis, doceatis, publicetis, dogmatizetis & prædicetis: faciatisque disponatis, ordinetis & exequamini, prout ipsius Fidei corroborationi, ac dictorum Fidelium saluti vobis visum fuerit opportunum, super his omnibus & singulis vobis

plenam, ac liberam concedimus tenore præsentium facultatem. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCDXLVII. Cal. Junii Pontificatus nostri anno II.

XVI.

Constitutio PAULI II. *pro celebrando Jubilæo de viginti quinque annis in vigintiquinque annos.*

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ineffabilis Providentia summi Patris, qui pro redemptione humani generis ejusque reconcilianda natura, Adæ prævaricatione, perpetuæ mortis damnatione, multata, Unigenitum suum vestem nostræ mortalitatis assumere, & post Evangelicæ doctrinæ sacra erudimenta, ac vitæ ipsius actus & conversationis exempla, crucem voluit & mortem subire, laudabili imitatione nos instruit; ut qui insufficientibus meritis vices ipsius Redemptoris teneremus in terris, summis enitamur studiis gregem dominicum vigilantiæ nostræ sua præordinatione commissum, quem callidi hostis versutia justitiæ limitibus sæpe divertit, Auctori nostro, qui non vult mortem, sed pœnitentiam desiderat peccatorum, reddere acceptabilem & bonorum operum Sectatorem, ut in extremi tremendique Judicii ratione reddenda, rigorem justitiæ & ultionis meritæ evitare possimus. Decet igitur nostræ mentis intuitum ad ea vigili attentione convertere, per quæ supremi favoris suffragante præsidio, ita universorum Christifidelium animarum saluti prospiciamus utiliter, & gratiarum spiritualium donis salubriter consulamus, quod adversus ipsius hostis astutias congruo valeat antidoto subveniri, ipsique Fideles æternæ beatitudinis præmia largiente Altissimo consequantur.

Dudum siquidem cum fida relatio antiquorum haberet, quod accedentibus ad honorandam Principis Apostolorum de Urbe Basilicam magnæ concessæ forent remissiones & Indulgentiæ peccatorum, felicis recordationis Bonifacius Papa VIII. Prædecessor noster summo studio salutem appetens Fidelium singulorum, & attenta consideratione recensens, quod per Beatissimos Christianæ Fidei Principes Petrum & Paulum Sacrosancta Romana & Universalis Ecclesia religionis sumpsisset exordium, ac Evangelium Christi Romæ resplenduisset, ut iidem Apostolorum Principes Gregis Dominici Pastores, & ejusdem Ecclesiæ Columnæ firmissimæ in speciali veneratione & honorificentia haberentur, ipseque Prædecessor Fidelibus ipsis incomparabilem salutis Thesaurum aperiret, de Fratrum suorum consilio voluit atque decrevit, quod omnes, qui anno a Nativitate Domini MCCC. & quolibet anno centesimo ex tunc in antea secuturo, ad ipsorum Apostolorum Basilicas de Urbe accederent reverenter, ipsasque, si Romani ad minus triginta, si vero peregrini aut forenses quindecim diebus continuis vel interpolatis, saltem semel in die, vere tamen pœnitentes & confessi personaliter visitarent, suorum omnium peccatorum remissionem, & veniam plenissimam obtinerent.

Postmodum vero sanctæ recordationis Clemens Papa VI. noster etiam Prædecessor, ex præmissis & nonnullis aliis animum suum moventibus causis, Indulgentiam antedictam ad annum quinquagesimum provida consideratione reducens, Apostolica Authoritate statuit, ut omnes Christifideles, qui prædictas Basilicas, & Lateranensem Ecclesiam de quinquaginta in quinquaginta annos certo modo tunc expresso devote visitaverint, eandem peccatorum suorum veniam consequerentur.

Et successive piæ memoriæ Gregorius Papa XI. similiter Prædecessor noster cupiens, ut Ecclesia Beatæ Mariæ Majoris de Urbe cum eisdem Basilicis & Lateranensi Ecclesia Indulgentiæ privilegio decoraretur prædicto, ex certa scientia voluit, statuit & Auctoritate prædicta ordinavit, quod quicumque Christifideles hujusmodi Indulgentiam per ipsius Clementis Literas declaratam, assequi affectarent, eandem Ecclesiam Beatæ Mariæ Majoris sicuti Basilicas & Lateranensem Ecclesiam supradictas visitare deberent, & etiam tenerentur.

Et deinde Urbanus VI in sua obedientia nuncupatus provide considerans, quod ætas hominum amplius solito in dies laberetur pau-

pauciores, ac desiderans quamplurimos ejusdem Indulgentiæ fieri participes, cum ad annum quinquagesimum propter brevitatem vitæ plurimi hominum minime perveniant, ut populorum augeretur devotio, fides splenderet, & charitas amplius incalesceret, ex eisdem & aliis non minoribus causis, de Fratrum suorum consilio annum quinquagesimum supradictum ad trigesimumtertium reducens, statuit de Fratrum suorum eorumdem consilio, & Apostolicæ plenitudine Potestatis, quod universi Fideles, vere pœnitentes & confessi qui in anno a Nativitate ejusdem Domini Millesimo trecentesimo nonagesimo, & deinceps perpetuis futuris temporibus de triginta tribus annis in triginta tres annos Basilicas Sanctorum Apostolorum ac Lateranensem, & S. Mariæ Majoris prædictæ Urbis Ecclesias causa devotionis modo præmisso visitarent, eandem consequerentur remissionem & veniam peccatorum.

Postremo vero, postquam felicis recordationis Martinus V. Romanus Pontifex Prædecessor noster reductionem, per eundem Urbanum factam hujusmodi ratam habens & gratam, ipsum in sua firmitate persistere, & anno trigesimotertio supradicto observari debere censuerat, & ad effectum deduci anno ingruente prædicto permiserat (prout observata extitit) piæ recordationis Nicolaus Papa V. similiter Prædecessor noster eorundem Prædecessorum inhærendo vestigiis, prædictas Clementis ejusdem concessionis Literas ratas habens & gratas, eas de Fratrum nostrorum tunc suorum consilio & Apostolicæ Potestatis plenitudine innovavit, & approbavit, suique scripti patrocinio communivit, indixitque, statuit, decrevit & ordinavit, ut omnes Christifideles vere pœnitentes & confessi, qui juxta formam in Literis Clementis Prædecessoris hujusmodi comprehensam in anno a Nativitate Domini nostri Jesu Christi Millesimo quadringentesimo quinquagesimo tunc futuro Basilicas & Ecclesias antedictas visitarent, ut præfertur, omnium peccatorum suorum plenissimam Indulgentiam consequerentur, prout in dictis Literis plenius continetur.

Nos igitur, qui miseratione Altissimi labentibus annis regimini Catholicæ & universalis Ecclesiæ fuimus Divina Clementia disponente præfecti, provida consideratione non immerito attendentes humanæ conditionis statum fragilem, ad peccandum proclivem, & ad declinationem usque adeo celeri cursu, ut præmittitur, properare, brevissimum quoque vitæ spatium, & peccatis nostris exigentibus, crebras pestilentias, varios morbos lætiferos, gravissimas quoque Turcarum & Infidelium adversus Fideles persecutiones assiduas, atque universam Christianitatem retroactis temporibus quassatam, adhuc variis, non quidem minoribus iniuriis lacessiri, & calamitosis casibus & dispendiis subiacere, aliasque plurimas ærumnas in Christi populos adeo invalescere, & eis atque aliis sinistris casibus plerumque causantibus, admodum pauci remissionum & Indulgentiarum hujusmodi participes fieri mereantur: nec non attente considerantes, novum vel a moribus alienum non esse pro varietate temporum Antecessorum eorundem statuta reduci ad spatium temporis brevioris, maxime pro salute animarum Fidelium, quam tota mente appetimus, & juxta datam Nobis a Domino gratiam assidue procuramus, ex præmissis & aliis non minoribus causis ad id animum nostrum inducentibus, annum trigesimumtertium hujusmodi de Venerabilium Fratrum nostrorum consilio & ipsius Potestatis plenitudine ad annum vigesimumquintum reducentes, Auctoritate, scientia & Potestate præmissis, statuimus & ordinamus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus annus Jubilæus (plenariæ videlicet remissionis & gratiæ, & reconciliationis humani generis nostro piissimo Redemptori) cum omnibus, & singulis Indulgentiis & peccatorum remissionibus supradictis de vigintiquinque annis, cum gratiarum actione & mentis jucunditate debeat ab omnibus Christifidelibus frequentari, ac etiam celebrari; Nos enim de Omnipotentis Dei Misericordia & ipsorum Apostolorum Auctoritate confisi eisdem utriusque sexus Fidelibus, qui in anno Domini Millesimo Quadringentesimo septuagesimo quinto, incipiendo a primis vesperis vigiliæ Nativitatis Domini nostri Jesu Christi Millesimo quadringentesimo vigesimo quarto, & ut sequitur finiendo, ac deinceps de vigintiquinque annis in vigintiquinque annos Basilicas & Ecclesias antedictas, alias juxta ordinationem eorundem Prædecessorum, devote visitaverint ut præfer-

M 2 tur,

tur, pleniſſimam peccatorum ſuorum omnium veniam elargimur.

Attendant igitur univerſi Fideles, qui ad rationem perſpicuæ veritatis attingere quærunt, ac in ſtatera cordis juſto libramine ponderent ſuorum ſarcinam peccatorum, & quam graviter ſe reos conſtituerint erga ipſum Redemptorem piiſſimum, Divinam contra ſe Clementiam provocando: debitorum ſuorum etiam relegant memoriale, atque animo repetant hujus defluentis ſæculi curſum ad exitum continuo properare, & inexorabilem legem mortis abſque ullius exceptionis beneficio omnibus eſſe indictam, quæ ſine perſonarum dignitatumque delectu, cunctos reddit æquales, nihilque eſſe, in quo vanam hujus Mundi gloriam inanibus extollamus titulis, dum naſcenti dies mortis indicitur, ac per tacitos fallanteſque decurſus hujus vitæ mortalitas ad extremum diem fugaci temporis mobilitate raptatur. Provide deinde conſiderent tremendi Judicii diem, in qua omnium, quæ in corpore geſſimus, & ſive bonum fuerit ſive malum, reddituri erimus rationem, & abſque provocationis effectu quiſque propriam mercedem accipiet aut æternæ beatitudinis præmia, aut mortis perpetuæ & damnationis æternæ ſupplicia, quibus ſecunda mors finem imponere aut ea mitigare nequibit: & tandem cum ita ſit, nihilque habeat humana mortalitas, quod bonorum omnium Largitori digne retribuere poſſit (cum nullum in ſe bonum inveniat, quod non ſit ei liberaliter a Deo collatum) ut mortis hujus & damnationis detrimenta evitent, his atque aliis meritoriis operibus peccata ſua omni ex parte ſtudeant expiare, ut ſaltem per hæc media, atque remiſſionum & Indulgentiarum largitionem hujuſmodi, quibus Chriſticolas omnes veluti data manu ad ſalutem perpetuam invitamus, ac Sanctorum meritis & interceſſionibus adjuti ad æternam mereamur beatitudinem pervenire. Suſcipiant etiam cuncti fidei Catholicæ Profeſſores Patris monita & inſtituta ſalutis, atque præcipua cum exultatione ad præparandum iter ſibi ad gloriam ſempiternam has remiſſionum ac Indulgentiarum gratias uberrimas, quas Nos illarum Diſpenſatores indigni, tamquam Jeſu Chriſti Vicarius de ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Theſauris exhibemus, ut ipſorum animas ab hoſtis teterrimi poteſtate ereptas immortali Deo Creatori noſtro, ſicut ſupremis deſideramus affectibus, exhibere, & Nos cum eis ſuperna beatitudine perfrui valeamus. Amen.

Nulli ergo &c.

Datum apud Sanctum Petrum anno a Nativitate ejuſdem Domini milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo tertiodecimo Cal. Maii Pontificatus noſtri anno VI.

XVII.

Conſtitutio SIXTI IV. *qua confirmatur Jubilæum a Paulo II. indictum pro anno* MCCCCLXXV. *ac ſuſpenduntur omnes Indulgentiæ extra Urbem conceſſæ.*

SIXTUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
Ad perpetuam rei memoriam.

Quemadmodum operoſi vigiliſque Paſtoris ſolertia oves ſuas cuſtodiæ deputatas curat a ferarum præſervare incurſionibus, & ad ſtatum proſperum fœtu multiplicato perducere, ita quoque & Nos (quibus diſpoſitione ſuperna univerſi Gregis Dominici ſollicitudo commiſſa eſt) & ſupremis deſideramus affectibus, & ſtudiis nitimur indefeſſis, cunctos Chriſtifideles, quos a juſtitiæ ſemita hoſtis humani generis diabolica fraude avertit, depoſita peccatorum ſarcina, ſuo reconciliare Authori, ut æternæ felicitatis præmiis noſtri Redemptoris inæſtimabili charitate media potiantur, fiatque noſtræ operationis miniſterio, utilitate publica ſuadente, etiam per gratiarum ſuſceptionem, quod eorum ſaluti conveniat, atque ad Noſtram & Prædeceſſorum noſtrorum Ordinationes ſalubres debitis effectibus mancipentur.

Olim ſiquidem felicis recordationis Paulus Papa II. Prædeceſſor noſter rationalibus cauſis tunc expreſſis inductus, de Venerabilium Fratrum noſtrorum, tunc ſuorum, de quorum numero tunc eramus, conſilio, annum Jubilæum ad brevius tempus provida moderatione reducens, illum ad annum vigeſimumquintum Apoſtolica Authoritate reſtrinxit ac voluit, ſtatuit & decrevit ex cauſis prædictis, quod ſingulis vigintiquinque annis Jubilæus annus prædictus celebrari deberet: quodque anno Domi-

Domini MCCCCLXXIV. proxime futuro, videlicet a vigilia Nativitatis Domini nostri Jesu Christi idem annus Jubilæus inciperet, & ut sequitur finiretur: ac universi & singuli utriusque sexus Fideles, qui Beatorum Petri & Pauli Basilicas, Lateranensis quoque & Sanctæ Mariæ Majoris Almæ Urbis Ecclesias, statutis diebus visitarent, omnes & singulas Indulgentias & peccatorum remissiones consequerentur, quas idem Pontifex suique Prædecessores anno Jubilæo hujusmodi Basilicas & Ecclesias prædictas visitantibus devote concesserant, per quasdam primo, & deinde Nos, qui (dicto Prædecessore, sicut Domino placuit, sublato de medio) fuimus Divina disponente Clementia, ad apicem summi Apostolatus assumpti, & per alias nostras Literas ejusdem Pauli Prædecessoris ordinationem, voluntatem & statum, ac omnia & singula in eisdem suis Literis contenta, de Fratrum eorundem consilio approbantes, similiter statuimus & ordinamus, quod annus Jubilæus prædictus cum eisdem Indulgentiis & remissionibus plenariis peccatorum, anno proxime futuro, a vigilia Nativitatis ejusdem incipere, & ut sequitur, continuari deberet; prout in singulis Literis prædictis, (quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis) plenius continetur.

Verum quia postmodum tam Nos, quam idem Paulus Prædecessor noster dum in humanis ageret, animarum saluti & Fidelium intenti, multorum Principum & aliorum Christifidelium, ac devotarum personarum pulsati precibus, diversas Indulgentias & peccatorum remissiones plenarias nonnullis Ecclesiis, Monasteriis & Piis Locis duximus concedendas; propter quas, populorum forsan concursus ad Basilicas & Ecclesias ante dictas retardari, aut ipsius anni Jubilæi celebritas minui vel intermitti posset cum animarum non modico detrimento, Nos qui universorum credentium profectibus, & saluti prospicere ex debito Ministerii Pastoralis adstringimur, ne propter aliarum Indulgentiarum hactenus a Nobis, seu eodem Paulo vel aliis Prædecessoribus nostris concessarum hujusmodi effusionem, hoc sanctum opus ac remissionis & gratiæ annus Jubilæus intermittatur, aut Fideles ipsi a tanto munere reddantur expertes, remediis opportunis providere volentes, omnes & singulas plenarias etiam ad instar Jubilæi, ac etiam commutandi vota, aut super eis & male ablatis, incertis, aut per usurariam pravitatem, vel alium illicitum modum exortis, dispensandi & componendi, aut illis sub certis modo & forma remittendi, & deputandi Confessores cum potestate absolvendi, etiam in casibus Sedi Apostolicæ reservatis, facultates, concessiones & indulta a Nobis, & eadem Sede, vel illius Authoritate quibuscumque Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus & Piis Locis, Universitatibus, Fraternitatibus quibuslibet, tam in perpetuum quam ad certum tempus, in vita seu in mortis articulo, quovis modo aut quavis causa quomodolibet concessas & concessa, & inposterum forsitan concedendas vel concedenda, Authoritate Apostolica tenore præsentium de Apostolicæ Potestatis plenitudine usque ad nostrum & ejusdem Sedis beneplacitum suspendimus, illasque durante beneplacito nostro & Sedis prædictæ suspensas esse volumus, nec interim alicui suffragari; Indulgentiis tamen Basilicarum & Ecclesiarum dictæ Urbis in suo plenario robore durantibus. Districtius inhibentes, alias Indulgentias (præter istas dumtaxat) in Locis publici vel privatis prædicari aut nunciari, earumque prætextu a Quæstoribus aliquid exigi quoquomodo. Quinimo Quæstores & Prædicatores quoscumque per Locorum Ordinarios a Prædicationibus & Quæstis hujusmodi faciendis, volumus & mandamus præsentium Authoritate arceri, sub censuris & pœnis Ecclesiasticis, de quibus visum fuerit opportunum.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum suspensionis, inhibitionis, Mandati & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Tybure anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXIII. quarto Cal. Septembris Pontificatus nostri anno III.

Con-

XVIII.

Constitutio SIXTI IV. *contra Errores Petri de Osma.*

SIXTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Licet ea quæ de nostro Mandato rite fiunt, plenam obtineant roboris firmitatem, tamen illis interdum nostri muniminis robur adjicimus, ut eo firmius illibata persistant, quo magis nostro fuerint præsidio communita.

Dudum siquidem ad audientiam nostram deducto, quod a modico tunc decurso tempore citra, in Hispaniarum Regnis, & præsertim in universitate Studii Salmantini, fuerant, & ad huc erant nonnulli iniquitatis filii, qui quasdam falsas, sanctæ Catholicæ Fidei contrarias, erroneas, scandalosas & male sonantes propositiones, præsertim circa peccatorum Confessionem & Ecclesiastica Sacramenta in studio hujusmodi & in frequentissimo hominum cætu, veras esse, publice affirmare, & pertinacissime sustentare ac defendere: apertissimas Sacræ Scripturæ auctoritates eorum erroribus repugnantes, illarum rectum, clarum & apertum sensum, falsis eorum interpretationibus impudenter violando, referre, hujusmodi quoque eorum falsa dogmata manifeste hæreticæ pravitatis labem continentia, in aliorum mentes inferere, & simplicium animas illaqueare, & ut illa in plurium notitiam pervenirent, & in perpetuum de illis memoria haberetur, libros componere & in publicum, ut illos legendi omnibus esset facultas, tradere præsumpserant eatenus, & præsumebant.

Nos tunc Venerabili Fratri nostro Alphonso Archiepiscopo Toletano per alias nostras Literas commisimus, ut assumptis secum aliquibus in Theologia Magistris & aliis viris literatis, vocatis iis, qui propositiones ipsas veras esse affirmare nixi erant & nitebantur in dies, & auditis, quæ ipsi pro illarum veritate, & alii Christifideles ad dilucidandum earum falsitatem deducere vellent, an que in propositionibus hujusmodi continebantur, falsa & fidei præfatæ contraria, erronea & male sonantia existerent, Auctoritate nostra decideret & declararet; & declaratione hujusmodi facta, illos, quos in præmissis culpabiles esse reperiret, si juxta Sanctorum Patrum instituta & Canonicas Sanctiones se emendare, & depositis de cordibus eorum totaliter erroribus prædictis, ad Ecclesiæ unitatem hæretica labe hujusmodi abjurata redire, & juxta declarationem suam tales propositiones esse scandalosas, falsas & hæreticas ac male sonantes fateri, & desuper confectum librum hujusmodi retractare, & cum effectu refutare recusarent, & in illis eorumque erroribus pertinaciter insistere vellent, hæreticos, ac censuris & pœnis in tales a Jure promulgatis irretitos esse decerneret, plena sibi desuper Auctoritate concessa, prout in nostris inde tunc confectis Literis plenius continetur.

Postmodum vero, sicut accepimus, præfatus Archiepiscopus ad executionem dictarum Literarum, earum forma servata, rite procedens, dilectos Filios Petrum de Prexamo, & Petrum de Ocanno, ac Petrum de Caloca, nec non Didacum de Betonno, Martinum quoque Alphonsi de la Torre Magistros: & Petrum Didaci de Costana & Joannem de Quintanopaglia Licentiatos in Theologia: nec non Tellium de Buendia Toletanum, & Vascuno de Pibeja de Talavera in eadem Ecclesia Archidiaconos, Marchiones: & Thomam de Evenca & Joannem de Medina Decretorum Doctores: ac Garsiam Fernandi de Alcala in eisdem Decretis Licentiatum, & alios quamplures Magistros in Theologia, ac Doctores & Licentiatos in eisdem Decretis, alios quoque quamplurimos doctos, & Licentiatos Literatos viros, ex diversis Regnorum prædictorum locis, pariter & dilectum Filium Petrum de Osma propositionum prædictarum Auctorem, ejusque sequaces coram se ad suum Oppidum de Alcala Toletanæ Diœcesis evocari fecit, & dicto Petro de Osma ac sequacibus minime comparentibus, debito tempore expectatis, matura super omnibus propositionibus prædictis deliberatione præhabita, de unanimi consilio & assensu Magistrorum & Doctorum prædictorum, declaravit, illas propositiones, per quas Petrus de Osma, & ejus sequaces prædicti pertinaciter affirmare non verebantur: Confessionem peccatorum in specie ex Universalis Ecclesiæ realiter statuto,

to, non Divino Jure competant fore: & peccata mortalia quoad culpam & pœnam alterius sæculi absque Confessione, sola cordis Contritione, pravas vero cogitationes sola displicentia deleri; & quod Confessio secreta sit, necessario non exigi: & non peracta pœnitentia confitentes absolvi non debere: & Romanum Pontificem Purgatorii pœnam remittere, & super his, quæ Universalis Ecclesia statuit, dispensare non posse: Sacramentum quoque Pœnitentiæ quantum ad collationem gratiæ, naturæ, non autem institutionis novi aut veteris Testamenti existere, & alias, quas propter earum enormitatem (ut illi qui de eis notitiam habent obliviscantur earum, & qui de eis notitiam non habent, ex præsentibus non instruantur in eis) silentio prætereundas ducimus, falsas, sanctæ Catholicæ Fidei contrarias, erroneas & scandalosas, ac a Fidei veritate alienas, ac Sanctorum Patrum Decretis & Apostolicis Constitutionibus contrarias fore, manifestam hæresim continere, dictarum Literarum, & per illas sibi concessæ facultatis vigore, declaravit, & pro talibus haberi & reputari debere decrevit; prout in quibusdam authenticis scripturis desuper confectis plenius continetur.

Et demum præmissis, sicut præfertur, gestis & propositis in Consistorio coram Nobis, Nos dilectis Filiis nostris, Stephano tit. Sanctæ Mariæ in Transtyberim & Joanni tit. S. Praxedis Presbyteris Cardinalibus commisimus, ut de præmissis gestis per ipsum Archiepiscopum diligenter se informarent, & quæ invenirent, Nobis & aliis Fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus referrent, qui tam zelo Fidei, quam ut nostris parerent mandatis, onus hujusmodi prompta voluntate suscipientes, cuncta diligenter rimarunt, & quæ invenerunt, Nobis & aliis Fratribus nostris memoratis fideliter retulerunt, propositiones præfatas erroneas fore, pluribus Auctoritatibus & rationibus, præter illas, quas in Archiepiscopi processibus invenerunt, etiam domonstrantes zelo Fidei memoratæ.

Nos igitur, ad quem spectat Errores hujusmodi extirpare, habita eorundem S. Mariæ in Transtyberim & S. Praxedis Cardinalium relatione prædicta, ipsius Archiepiscopi solertiam & diligentiam in præmissis plurimum in Domino commendantes, ex certa nostra scientia, Archiepiscopi declarationem & Decretum hujusmodi, & prout illa concernunt, omnia & singula in scripturis prædictis Archiepiscopi super præmissis confectis contenta, Auctoritate Apostolica tenore præsentium de eorundem referentium & aliorum Fratrum nostrorum unanimi consilio & assensu laudamus, confirmamus & approbamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes & singulos defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem.

Et nihilominus pro potiori cautelæ suffragio, omnes & singulas propositiones prædictas falsas, sanctæ Catholicæ Fidei contrarias, erroneas & scandalosas, & ab Evangelica veritate penitus alienas, Sanctorum quoque Patrum Decretis & aliis Apostolicis Constitutionibus contrarias fore, ac manifestam hæresim continere, dicta Auctoritate declaramus.

Præfato quoque Archiepiscopo scientia & Auctoritate prædictis committimus & mandamus, ut contra dicti Petri de Osma sequaces prædictos, si hujusmodi hæresim, in quam prolapsi sunt, abjurare, & eundem Petrum prout errantem secuti sunt, errores suos abjurantem & se emendantem sequi recusaverint, aut malitiose distulerint, juxta prædictarum aliarum nostrarum Literarum continentiam, tamquam Hæreticos procedere non omittat.

Et ut gesta per eum probe & laudabiliter zelo Fidei, de Mandato nostro & per Nos merito approbata, ad omnium illarum incolarum partium notitiam facilius perveniant, qua habita, possint se ipsos, ita, ne in prædictos prolabantur errores, liberius custodire, præsentes nostras Literas, cum processu per eum habito, ac dicti Petri abjuratione, singulis illarum partium Episcopis significare non omittat; qui post significationem eandem Clero & Populo suarum Civitatum & Diœcesum ea publicari procurent, & generaliter omnia faciant, quæ pro hujusmodi hæresis extirpatione necessaria fuerint, seu quomodolibet opportuna videbuntur.

Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis, quæ in dictis Literis volumus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo homnino &c. nostræ laudationis & confirmationis, approbationis, communi-

municationis, declarationis, commissionis, & Mandati paginam infringere &c.

Si quis autem &c.

Datum Romæ apud S. Petrum anno millesimo quadringentesimo septuagesimo octavo, quinto Idus Augusti, Pontificatus nostri anno VIII.

XIX.

Literæ Decretales LEONIS X. ad Cardinalem Cajetanum, quibus declaravit dari Ecclesiæ Romanæ traditionem de Potestate Summi Pontificis dispensandi Indulgentias tam Vivis quam Defunctis ex Thesauro Meritorum Christi & Sanctorum.

LEO EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI

Dilecto Filio Thomæ de Vio S. R. E. Presbytero Cardinali S. Sixti, in Germania Nostro & Apostolicæ Sedis de Latere Legato, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Per præsentes tibi significandum duximus, Romanam Ecclesiam, quam reliquæ tamquam Matrem sequi tenentur, tradidisse, Romanum Pontificem Petri Clavigerum, Successorem & Jesu Christi in terris Vicarium Potestate Clavium, quarum est aperire Regnum Cœlorum, tollendo illius in Christifidelibus impedimenta, culpam scilicet & pœnam pro actualibus peccatis debitam; culpam quidem mediante Sacramento Pœnitentiæ, pœnam vero temporalem pro actualibus peccatis secundum Divinam Justitiam debitam, mediante Ecclesiastica Indulgentia, posse pro rationalibus causis concedere eisdem Christifidelibus, qui Charitate jungente Membra sunt Christi, sive in hac vita sint, sive in Purgatorio Indulgentias ex superabundantia meritorum Christi & Sanctorum, & tam pro Vivis quam pro Defunctis Apostolica Auctoritate Indulgentiam concedendo, Thesaurum meritorum Jesu Christi & Sanctorum dispensare, & per modum absolutionis Indulgentiam ipsam conferre, vel per modum suffragii illam transferre consuevisse, ac propterea omnes tam Vivos quam Defunctos, qui veraciter omnes Indulgentias hujusmodi consecuti fuerint, a tanta temporali pœna secundum Divinam Justitiam pro peccatis suis actualibus debitæ liberari, quanta concessæ & acquisitæ Indulgentiæ æquivalet; & ita ab omnibus teneri & prædicari debere, sub Excommunicationis Latæ sententiæ pœna, a qua, illam incurrentes, ab alio, quam a Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, nequeant absolutionis beneficium obtinere, Auctoritate Apostolica earundem tenore præsentium decernimus.

X X.

Constitutio LEONIS X. qua damnantur Errores Martini Lutheri & sequacium, cum monitione, ut ab eis recedant.

LEO EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Exurge Domine, & judica causam tuam: memoresto improperiorum tuorum eorum, quæ ab insipientibus fiunt tota die: inclina aurem tuam ad preces nostras, quoniam surrexerunt vulpes quærentes demoliri vineam, cujus Tu torcular calcasti solus, & ascensurus ad Patrem, ejus curam, regimen & administrationem Petro tamquam Capiti & tuo Vicario, ejusque Successoribus instar triumphantis Ecclesiæ commisisti. Exterminare nititur eam aper de Sylva, & singularis ferus depascitur eam. Exurge Petre, & pro Pastorali cura præfata tibi (ut præfertur) divinitus demandata, intende in causam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Matris omnium Ecclesiarum ac Fidei Magistræ, quam Tu, jubente Deo, tuo Sanguine consecrasti, contra quam, sicut Tu præmonere dignatus es, insurgunt Magistri mendaces, introducentes sectas perditionis, sibi celerem interitum superducentes; quorum lingua ignis est, inquietum malum, plena veneno mortifero, qui zelum amarum habentes, & contentiones in cordibus suis gloriantur, & mendaces sunt adversus veritatem. Exurge Tu quoque, quæsumus Paule, qui eam tua doctrina ac pari Martyrio illuminasti, atque illustrasti. Jam enim surgit novus Porphirius; quia sicut ille olim Sanctos Apostolos injuste momordit, ita hic Sanctos Pontifices Prædecessores nostros contra tuam doctrinam,

eos

eos non obsecrando, sed increpando, mordere, lacerare, ac ubi causæ suæ diffidit, ad convicia accedere non veretur, more Hæreticorum, quorum (ut inquit Hieronymus) ultimum præsidium est, ut cum conspiciant causas suas damnatum iri, incipiant virus serpentis lingua diffundere: & cum se victos conspiciant, ad contumelias prosilire. Nam licet hæreses esse ad exercitationem Fidelium, Tu dixeris, oportere, eas tamen, ne incrementum accipiant, neve vulpeculæ coalescant, in ipso ortu, Te intercedente & adjuvante, extingui necesse est. Exurgat denique Omnis Sanctorum, ac reliqua Universalis Ecclesia, cujus vera Sacrarum Literarum interpretatione posthabita, quidam, quorum mentem pater mendacii excæcavit, ex veteri Hæreticorum instituto apud semetipsos sapientes, Scripturas easdem aliter quam Spiritus Sanctus flagitet, proprio dumtaxat sensu, ambitionis auræque popularis causa, teste Apostolo, interpretantur, imo vero torquent, & adulterant: ita ut juxta Hieronymum, jam non sit Evangelium Christi, sed hominis, aut quod pejus est diaboli. Exurgat inquam, præfata Ecclesia Sancta Dei, & una cum Beatissimis Apostolis præfatis, apud Deum Omnipotentem intercedat, ut purgatis ovium suarum erroribus, eliminatisque a Fidelium finibus hæresibus universis, Ecclesiæ suæ Sanctæ pacem & unitatem conservare dignetur.

Dudum siquidem, quod præ animi angustia & mœrore exprimere vix possumus, fide dignorum relatu, ac fama publica referente, ad nostrum pervenit auditum, imo vero, proh dolor, oculis nostris vidimus, ac legimus, multos & varios errores, quosdam videlicet jam per Concilia, ac Prædecessorum nostrorum Constitutiones damnatos, hæresim etiam Græcorum, & Bohemicam expresse continentes: alios vero respective, vel hæreticos vel falsos vel scandalosos, vel piarum aurium offensivos, vel simplicium mentium seductivos, a falsis Fidei cultoribus, qui per superbam curiositatem Mundi gloriam cupientes, contra Apostoli doctrinam plus sapere volunt, quam oporteat, quorum garrulitas (ut inquit Hieronymus) sine Scripturarum Auctoritate non haberet fidem, nisi viderentur perversam doctrinam etiam Divinis testimoniis, male tamen interpretatis, roborare. A quorum oculis timor Dei recessit, humani generis hoste suggerente, noviter suscitatos, & nuper apud quosdam leviores in inclyta natione Germanica seminatos, quod eo magis dolemus ibi evenisse, quod eandem Nationem, & Nos, & Prædecessores nostri in visceribus semper gesserimus charitatis. Nam post translatum ex Græcis a Romana Ecclesia in eosdem Germanos Imperium, iidem Prædecessores nostri & Nos, ejusdem Ecclesiæ Advocatos defensoresque ex eis semper accepimus, quos quidem Germanos Catholicæ veritatis vere Germanos, constat hæresum acerrimos oppugnatores semper fuisse, cujus rei testes sunt laudabiles illæ Constitutiones Germanorum Imperatorum pro Libertate Ecclesiæ, proque expellendis exterminandisque ex omni Germania Hæreticis, sub gravissimis pœnis etiam ammissionis terrarum & dominiorum, contra receptatores vel non expellentes, olim editæ, & a nostris Prædecessoribus confirmatæ: quæ si hodie servarentur, & Nos & ipsi utique hac molestia careremus. Testis est in Concilio Constantiensi Hussitarum & Wicleffistarum, nec non Hieronymi Pragensis damnata ac punita perfidia. Testis est toties contra Bohemos Germanorum sanguis effusus. Testis denique est prædictorum errorum, seu multorum ex eis per Colonien. & Lovanien. Universitates, utpote Agri Dominici piissimas religiosissimasque cultrices non minus docta, quam vera ac Sancta confutatio, reprobatio & damnatio. Multa quoque alia allegare possemus, quæ, ne historiam texere videamur, prætermittenda censuimus. Pro Pastoralis igitur Officii Divina gratia Nobis injuncti cura, quam gerimus, prædictorum errorum virus pestiferum ulterius tolerare seu dissimulare, sine Christianæ Religionis nota, atque Orthodoxæ fidei injuria nullo modo possumus. Eorum autem errorum aliquos præsentibus duximus inserendos, quorum tenor sequitur, & est talis.

1 Hæretica sententia est, sed usitata, Sacramenta novæ legis justificantem gratiam illis dare, qui non ponunt obicem.

2 In puero post baptismum negare remanens peccatum, est Paulum & Christum simul conculcare.

3 Fomes peccati, etiamsi nullum adsit

 actua-

actuale peccatum, moratur exeuntem a Corpore animam ab ingressu Cœli.

4 Imperfecta Charitas morituri, fert secum necessario magnum timorem, qui se solo satis est facere pœnam Purgatorii, & impedit introitum Regni.

5 Tres esse partes Pœnitentiæ, Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem, non est fundatum in Sacra Scriptura, nec in antiquis sanctis Christianis doctoribus.

6 Contritio, quæ paratur per discussionem, collationem & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acquisitionem, hæc contritio facit hypocritam, imo magis peccatorem.

7 Verissimum est proverbium, & omnium doctrina de Contritionibus hucusque data præstantius, de cætero non facere, summa Pœnitentia: optima Pœnitentia nova vita.

8 Nullo modo præsumas confiteri peccata venialia, sed omnia mortalia, quia impossibile est, ut omnia mortalia cognoscas. Unde in primitiva Ecclesia solum manifesta mortalia confitebantur.

9 Dum volumus omnia pure confiteri, nihil aliud facimus, quam quod misericordiæ Dei nihil volumus relinquere ignoscendum.

10 Peccata non sunt ulli remissa, nisi remittente Sacerdote, credat sibi remitti: imo peccatum maneret, nisi remissum crederet, non enim sufficit remissio peccati, & gratiæ donatio, sed oportet etiam credere esse remissum.

11 Nullo modo confidas absolvi propter tuam contritionem, sed propter verbum Christi: Quodcumque solveris &c. Hic, inquam, confide, si Sacerdotis obtinueris absolutionem, & crede fortiter te absolutum, & absolutus vere eris; quidquid sit de contritione.

12 Si per impossibile confessus non esset contritus, aut Sacerdos non serio sed joco absolveret, si tamen credat se absolutum, verissime est absolutus.

13 In Sacramento Pœnitentiæ ac remissione culpæ, non plus facit Papa aut Episcopus, quam infimus Sacerdos: imo ubi non est Sacerdos, æque tantum quilibet Christianus, etiamsi mulier aut puer esset.

14 Nullus debet Sacerdoti respondere se esse contritum, nec Sacerdos requirere.

15 Magnus est error eorum, qui ad Sacramenta Eucharistiæ accedunt, huic innixi, quod sint confessi, quod non sint sibi conscii alicujus peccati mortalis, quod præmiserint orationes suas & præparatoria, omnes illi ad judicium sibi manducant & bibunt, sed si credant & confidant, se gratiam ibi consecuturos, hæc sola Fides facit eos puros & dignos.

16 Consultum videtur, quod Ecclesia in communi consilio statueret Laicos sub utraque specie communicandos, nec Bohemi communicantes sub utraque specie sunt Hæretici, sed Schismatici.

17 Thesauri Ecclesiæ, unde Papa dat Indulgentias, non sunt merita Christi & Sanctorum.

18 Indulgentiæ sunt piæ fraudes Fidelium & remissiones bonorum operum, & sunt de numero eorum quæ licent, & non de numero eorum quæ expediunt.

19 Indulgentiæ, his qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud Divinam Justitiam.

20 Seducuntur credentes Indulgentias esse salutares, & ad fructum Spiritus utiles.

21 Indulgentiæ necessariæ sunt solum publicis criminibus, & propriè conceduntur duris solummodo & impatientibus.

22 Sex generibus hominum Indulgentiæ nec sunt necessariæ, nec utiles: videlicet mortuis seu morituris, infirmis, legitime impeditis, his qui non commiserunt crimina, his qui crimina commiserunt, sed non publica, his qui meliora operantur.

23 Excommunicationes sunt tantum externæ pœnæ, nec privant hominem communibus spiritualibus Ecclesiæ orationibus.

24 Docendi sunt Christiani plus diligere excommunicationem, quam timere.

25 Romanus Pontifex Petri Successor non est Christi Vicarius super omnes totius Mundi Ecclesias, ab ipso Christo in Beato Petro institutus.

26 Verbum Christi ad Petrum: Quodcumque solveris super terram &c. extenditur dumtaxat ad ligata ab ipso Petro.

27 Certum est in manu Ecclesiæ, aut Papæ prorsus non esse statuere articulos Fidei, imo nec Leges morum, seu bonorum operum.

Si

28 Si Papa cum magna parte Ecclesiæ sic vel sic sentiret, nec etiam erraret, adhuc non est peccatum aut hæresis, contrarium sentire, præsertim in re non necessaria ad salutem, donec fuerit per Concilium universale alterum reprobatum, alterum approbatum.

29 Via nobis facta est enarrandi Auctoritatem Conciliorum, & liberè contradicendi eorum gestis, & judicandi eorum decreta, & confidenter confitendi, quidquid verum videtur, sive probatum fuerit, sive reprobatum a quocumque Concilio.

30 Aliqui articuli Joannis Hus condemnati in Concilio Constantiensi, sunt Christianissimi, verissimi & Evangelici, quos nec universalis Ecclesia posset damnare.

31 In omni opere bono justus peccat.

32 Opus bonum optime factum est veniale peccatum.

33 Hæreticos comburi, est contra voluntatem spiritus.

34 Præliari adversus Turcas, est repugnare Deo visitanti iniquitates nostras per illos.

35 Nemo est certus, se non semper peccare mortaliter propter occultissimum superbiæ vitium.

36 Liberum arbitrium post peccatum, est res de solo titulo; & dum facit quod in se est, peccat mortaliter.

37 Purgatorium non potest probari ex sacra Scriptura, quæ sit in Canone.

38 Animæ in Purgatorio non sunt securæ de earum salute, saltem omnes, nec probatum est ullis aut rationibus aut scripturis, ipsas esse nec extra statum merendi aut agendæ charitatis.

39 Animæ in Purgatorio peccant sine intermissione, quandiu quærunt requiem, & horrent pœnas.

40 Animæ ex Purgatorio liberatæ suffragiis viventium minus beantur, quam si per se satisfecissent.

Prælati Ecclesiastici, & Principes sæculares non malefacerent, si omnes saccos mendicitatis delerent.

Qui quidem errores, respective, quam sint pestiferi, quam perniciosi, quam scandalosi, quam piarum & simplicium mentium seductivi, quam denique sint contra omnem charitatem, ac S. R. E. Matris omnium Fidelium & Magistræ Fidei reverentiam, atque nervum Ecclesiasticæ disciplinæ, obedientiam scilicet, quæ fons est & origo omnium virtutum, sine qua facile unus quisque infidelis esse convincitur, nemo sanæ mentis ignorat. Nos igitur in præmissis, utpote gravissimis, propensius (ut decet) procedere, necnon hujusmodi pesti morboque canceroso, ne in Agro Dominico tanquam vepris nociva ulterius serpat, viam præcludere cupientes, habita super prædictis erroribus, & eorum singulis diligenti trutinatione, discussione ac districto examine maturaque deliberatione, omnibusque rite pensatis ac sæpius ventilatis cum Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, ac regularium Ordinum Prioribus seu Ministris generalibus, pluribusque aliis Sacræ Theologiæ, nec non utriusque Juris professoribus, sive Magistris, & quidem peritissimis, reperimus eosdem errores, respective, (ut præfertur.) aut articulos, non esse catholicos, nec tamquam tales esse dogmatizandos, sed contra Ecclesiæ Catholicæ doctrinam, sive traditionem, atque ab ea veram Divinarum Scripturarum receptam interpretationem, cujus Auctoritati ita acquiescendum censuit Augustinus, ut dixerit, se Evangelio non fuisse crediturum, nisi Ecclesiæ Catholicæ intervenisset Auctoritas. Nam ex eisdem erroribus vel eorum aliquo, vel aliquibus palam sequitur, eandem Ecclesiam, quæ Spiritu Sancto regitur, errare & semper errasse. Quod est utique contra illud, quod Christus Discipulis suis in Ascensione sua (ut in Sancto Evangelio Matthæi legitur) promisit dicens: Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. Nec non contra Sanctorum Patrum determinationes, Conciliorum quoque & summorum Pontificum expressas ordinationes, seu Canones, quibus non obtemperasse omnium hæresum & schismatum, teste Cypriano, fomes & causa semper fuit.

De eorundem itaque Venerabilium Fratrum nostrorum consilio & assensu ac omnium singulorum prædictorum matura deliberatione prædicta, Auctoritate Omnipotentis Dei, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & Nostra, præfatos omnes & singulos articulos seu errores, tamquam (ut præmittitur) respective Hæreticos, aut scandalosos, aut falsos, aut piarum aurium offensivos, vel simplicium mentium seductivos, & veritati Catholicæ obviantes, damnamus, reprobamus atque omnino rejicimus, ac pro damnatis, reprobatis &

rejectis ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus haberi debere, harum serie decernimus & declaramus. Inhibentes in virtute Sanctæ obedientiæ ac sub majoris excommunicationis latæ sententiæ, nec non quoad Ecclesiasticas & regulares personas, Episcopalium omnium, etiam Patriarchalium, Metropolitanarum, & aliarum Cathedralium Ecclesiarum, Monasteriorum quoque & Prioratuum etiam conventualium, & quarumcumque dignitatum, aut beneficiorum Ecclesiasticorum, sæcularium, aut quorumvis Ordinum regularium, privationis & inhabilitatis ad illa & alia in posterum obtinenda; quo vero ad Conventus, Capitula, seu Domos, aut Pia Loca sæcularium, vel regularium, etiam Mendicantium, nec non Universitatis etiam studiorum generalium, quorumcumque privilegiorum, indultorum a Sede Apostolica, vel ejus Legatis, aut alias quomodolibet habitorum vel obtentorum, cujuscunque tenoris existant: nec non nominis & potestatis, studium generale tenendi, legendi ac interpretandi quasvis scientias & facultates, & inhabilitatis ad illa & alia inposterum obtinenda: prædicationis quoque officii, ac amissionis studii generalis, & omnium privilegrorum ejusdem: quo vero ad sæculares ejusdem excommunicationis, nec non amissionis cujuscumque emphiteusis seu quorumcumque feudorum, tam a Romana Ecclesia, quam alias quomodolibet obtentorum, ac etiam inhabilitatis ad illa & alia inposterum obtinenda: nec non quoad omnes & singulos superius nominatos, inhibitionis Ecclesiasticæ sepulturæ, inhabilitatisque ad omnes & singulos actus legitimos, infamiæ ac diffidationis, & criminis lesæ Majestatis, & Hæreticorum & fautorum eorundem in Jure expressis pœnis, eo ipso & absque ulteriori declaratione, per omnes & singulos supradictos, si (quod absit) contrafecerint, incurrendis, a quibus vigore cujuscumque facultatis, & clausularum eis in Confessionalibus quibusvis personis, sub quibusvis verborum formis contentarum, nisi a Romano Pontifice vel alio, ab eo ad id in specie facultatem habente, præter quam in mortis articulo constituti, absolvi nequeant. Omnibus & singulis utriusque Sexus Christifidelibus, tam Laicis, quam Clericis sæcularibus, & quorumvis Ordinum Regularibus, & aliis quibuscumque personis cujuscumque status, gradus vel conditionis existant, & quacumque Ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate, etiam S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, Patriarchalium, Metropolitanarum, & aliarum Cathedralium, Collegiatarum, ac inferiorum Ecclesiarum Prælatis, Clericis aliisque personis Ecclesiasticis, sæcularibus & quorumvis Ordinum etiam Mendicantium Regularibus, Abbatibus, Prioribus, vel Ministris generalibus vel particularibus, Fratribus, seu Religiosis, exemptis & non exemptis: Studiorum quoque Universitatibus sæcularibus, & quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium Regularibus, nec non Regibus, Imperatori, Electoribus, Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Capitaneis, Conductoribus, Domicellis omnibusque officialibus, Judicibus, Notariis Ecclesiasticis & sæcularibus, Communitatibus, Universitatibus, Potentatibus, Civitatibus, Castris, Terris & Locis, seu eorum vel earum Civibus, habitatoribus & incolis, ac quibusvis aliis personis Ecclesiasticis vel Regularibus (ut præfertur) per universum orbem, ubicumque, præsertim in Alemannia existentibus, vel pro tempore futuris, ne præfatos errores, aut eorum aliquos, perversamque doctrinam hujusmodi asserere, affirmare, defendere, prædicare, aut illi quomodolibet publice vel occulte, quovis quæsito ingenio vel colore, tacite vel expresse favere præsumant.

Insuper, quia errores præfati & plures alii continentur in libellis seu scriptis Martini Luther, dictos libellos & omnia dicti Martini scripta seu prædicationes, in Latino, vel quocumque alio idiomate reperiantur, in quibus dicti errores seu eorum aliquis continentur, similiter damnamus, reprobamus atque omnino rejicimus, & pro omnino damnatis, reprobatis ac rejectis (ut præfertur) haberi volumus; Mandates in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœnis prædictis eo ipso incurrendis, omnibus & singulis utriusque sexus Christifidelibus superius nominatis, ne hujusmodi scripta, libellos, prædicationes seu schedulas, vel in eis contenta capitula, errores aut articulos supradictos continentia, legere, asserere, prædicare, laudare, impri-

primere publicare sive defendere, per se vel alium seu alios, directe vel indirecte, vel expresse, publice vel occulte, aut in domibus suis sive aliis publicis, vel privatis locis tenere quoquomodo præsumant: quinimo illa statim post harum publicationem ubicumque fuerint, per Ordinarios & alios supradictos diligenter quæsita, publice & solemniter in præsentia Cleri & Populi, sub omnibus & singulis supradictis pœnis, comburant.

Quod vero ad ipsum Martinum attinet (bone Deus) quid prætermisimus, quid non fecimus, quid paternæ Charitatis omisimus, ut eum ab hujusmodi erroribus revocaremus? Postquam enim ipsum citavimus, mitius cum eo procedere volentes, illum invitavimus, atque tam per diversos tractatus cum Legato nostro habitos, quam per Literas nostras hortati fuimus, ut a prædictis erroribus discederet, aut oblato etiam salvo conductu, & pecunia ad iter necessaria, sine metu seu timore aliquo, quem perfecta Charitas foras mittere debuit, veniret, ac Salvatoris nostri Apostolique Pauli exemplo, non occulto, sed palam & in facie loqueretur. Quod si fecisset, pro certo (ut arbitramur) ad cor reversus, errores suos cognovisset, nec in Romana Curia, quam tantopere variis malevolorum rumoribus plusquam oportuit tribuendo, vituperat, tot reperiisset errata, docuissemusque eum luce clarius, Sanctos Romanos Pontifices Prædecessores nostros, quos præter omnem modestiam injuriose lacerat, in suis Canonibus seu Constitutionibus, quas mordere nititur, numquam errasse, quia juxta Prophetam nec in Galaad resina, nec medicus deest.

Sed obaudivit semper, & prædicta citatione, omnibus & singulis supradictis spretis venire contempsit, ac usque ad præsentem diem contumax, atque animo indurato censuras ultra annum sustinuit; & quod deterius est, addens mala malis de citatione hujusmodi notitiam habens, in vocem temerariæ appellationis prorupit ad futurum Concilium, contra Constitutionem Pii Secundi, ac Julii Secundi Prædecessorum nostrorum, qua cavetur, taliter appellantes Hæreticorum pœna plectendos (frustra etiam Concilii auxilium imploravit, qui illi se non credere palam profitetur) ita ut contra ipsum, tamquam de Fide notorie suspectum, imo vere Hæreticum, absque ulteriori citatione vel mora ad condemnationem & damnationem ejus tamquam Hæretici, ac ad omnium & singularum suprascriptarum pœnarum & censurarum severitatem procedere possemus.

Nihilominus de eorumdem Fratrum nostrorum consilio, Omnipotentis Dei imitantes Clementiam, qui non vult mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat, omnium injuriarum hactenus Nobis, & Apostolicæ Sedi illatarum obliti, omni qua possumus pietate uti decrevimus, & quantum in Nobis est agere, ut proposita mansuetudinis via, ad cor revertatur & a prædictis recedat erroribus, ut ipsum tamquam filium illum prodigum, ad gremium Ecclesiæ revertentem, benigne recipiamus. Ipsum igitur Martinum & quoscumque ei adhærentes, ejusque receptatores & fautores per Viscera misericordiæ Dei nostri, & per aspersionem Sanguinis Domini nostri Jesu Christi, quo & per quem humani generis redemptio, & Sanctæ Matris Ecclesiæ ædificatio facta est, ex toto corde hortamur & obsecramus, ut ipsius Ecclesiæ pacem, unitatem & veritatem, pro qua ipse Salvator tam instanter oravit ad Patrem, turbare desistant, & a prædictis tam perniciosis erroribus prorsus abstineant; inventuri apud Nos, si effectualiter paruerint, & paruisse per legitima documenta Nos certificaverint, paternæ Charitatis affectum, & apertum mansuetudinis & Clementiæ fontem.

Inhibentes nihilominus eidem Martino ex nunc, ut interim ab omni prædicatione seu prædicationis officio omnino desistat.

Alioquin in ipsum Martinum, si forte justitiæ & virtutis amor a peccato non retrahat, Indulgentiæque spes ad pœnitentiam non reducat, pœnarum terror coerceat disciplinæ, eundem Martinum ejusque adhærentes, complices, fautores & receptatores, tenore præsentium requirimus & monemus; in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub præcepto omnibus & singulis pœnis eo ipso incurrendis, districte præcipiendo mandamus, quatenus infra sexaginta dies, quorum viginti pro primo, viginti pro secundo, & reliquos viginti dies pro tertio & peremptorio termino assignamus, ab affixione præsentium in Locis infrascriptis, immediate sequentes numerandos, ipse Martinus, complices, fautores, adhærentes

& re-

& receptatores prædicti, a præfatis erroribus eorumque prædicatione, ac publicatione & assertione, defensione quoque & librorum seu scripturarum editione super eisdem sive eorum aliquo omnino desistant, librosque ac scripturas omnes & singulas, præfatos errores seu eorum aliquos quomodolibet continentes, comburant vel comburi faciant; ipse etiam Martinus errores & assertiones hujusmodi omnino revocet, ac de revocatione hujusmodi per publica documenta in forma Juris valida, in manibus duorum Prælatorum consignata, ad Nos infra alios similes sexaginta dies transmittenda, vel per ipsummet (si ad Nos venire voluerit, quod magis placeret) cum præfato plenissimo salvo conductu, quem ex nunc concedimus deferenda, Nos certiores efficiat, ut de ejus vera obedientia nullus dubitationis scrupulus valeat remanere.

Alias si (quod absit) Martinus præfatus, complices, fautores, adhærentes & receptatores prædicti secus egerint, seu præmissa omnia & singula infra terminum prædictum cum effectu non adimpleverint, Apostoli imitantes doctrinam, qui hæreticum hominem post primam & secundam correptionem, vitandum docuit, ex nunc, prout ex tunc & e converso, eundem Martinum, complices, adhærentes, fautores & receptatores præfatos & eorum quemlibet, tamquam aridos palmites in Christo non manentes, sed doctrinam contrariam, Catholicæ Fidei inimicam sive scandalosam, seu damnatam, in non modicam offensam Divinæ Majestatis, ac Universalis Ecclesiæ, & Fidei Catholicæ detrimentum & scandalum dogmatizantes, Claves quoque Ecclesiæ vilipendentes, notorios & pertinaces Hæreticos eadem Auctoritate fuisse & esse declarantes, eosdem ut tales harum serie condemnamus, & eos pro talibus haberi ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus supradictis, volumus & mandamus: eosque omnes & singulos, omnibus supradictis & aliis contra tales a Jure inflictis pœnis, præsentium tenore subjicimus, eisdem irretitos fuisse & esse, decernimus & declaramus.

Inhibemus præterea, sub omnibus & singulis præmissis pœnis eo ipso incurrendis, omnibus & singulis Christifidelibus superius nominatis, ne scripta etiam præfatos errores non continentia, ab eodem Martino quomodolibet condita vel edita, aut condenda vel edenda, seu eorum aliqua tamquam ab homine Orthodoxæ Fidei inimico, atque ideo vehementer suspecta, & ut ejus memoria omnino deleatur de Christifidelium consortio, legere, asserere, prædicare, laudare, imprimere, publicare sive defendere per se vel alium, seu alios directe vel indirecte, tacite, vel expresse, publice vel occulte, seu in domibus suis sive aliis Locis publicis vel privatis, tenere quoquomodo præsumant, quinimo illa comburant, ut præfertur.

Monemus insuper omnes & singulos Christifideles supradictos, sub eadem excommunicationis latæ sententiæ pœna, ut Hæreticos prædictos declaratos & condemnatos, Mandatis nostris non obtemperantes, post lapsum termini supradicti evitent, & quantum in eis est, evitari faciant, nec cum eisdem vel eorum aliquo commercium, aut aliquam conversationem seu communionem habeant, nec eis necessaria ministrent.

Ad majorem præterea dicti Martini suorumque complicum, fautorum & adhærentium, ac receptatorum prædictorum, sic post lapsum termini prædicti declaratorum Hæreticorum, & condemnatorum confusionem, universis & singulis utriusque sexus Christifidelibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Patriarchalium, Metropolitanarum & aliarum Cathedralium, Collegiatarum ac inferiorum Ecclesiarum Prælatis, Capitulis, aliisque personis Ecclesiasticis, sæcularibus & quorumvis Ordinum etiam Mendicantium (præsertim ejus Congregationis, cujus dictus Martinus est professus, & in qua degere vel morari dicitur) Regularibus exemptis & non exemptis, nec non universis & singulis Principibus, quacumque Ecclesiastica, vel mundana fulgentibus dignitate, Regibus, Imperatoris Electoribus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Capitaneis, Conductoribus, Domicellis, Communitatibus, Universitatibus, Potentatibus, Civitatibus, Terris, Castris & Locis, seu eorum habitatoribus, civibus & incolis, omnibusque aliis & singulis supradictis per universum Orbem, præsertim in eadem Alemannia constitutis Mandamus, quatenus sub prædictis omnibus & singulis pœnis, ipsi vel eorum quilibet, præfatum Martinum, complices, adhæren-

hærentes, receptantes & fautores personaliter capiant, & captos ad nostram instantiam retineant, & ad Nos mittant; reportaturi pro tam bono opere a Nobis & Sede Apostolica remunerationem præmiumque condignum, vel saltem eos & eorum quemlibet de Metropolitanis, Cathedralibus, Collegiatis & aliis Ecclesiis, Domibus, Monasteriis, Conventibus, Civitatibus, Dominiis, Universitatibus, Communitatibus, Castris, Terris ac Locis respective, tam Clerici & Regulares, quam Laici omnes & singuli supradicti omnino expellant.

Civitates vero, Dominia, terras, castra, Villas, Comitatus, Fortalitia, Oppida & Loca quæcumque ubilibet consistentia, eorum & earum respective Metropolitanas, Cathedrales, Collegiatas & alias Ecclesias, Monasteria, Prioratus, Domos, Conventus & Loca Religiosa vel Pia, cujuscumque Ordinis, ut præfertur, ad quæ præfatum Martinum, vel aliquem ex prædictis declinare contigerit, quandiu ibi permanserint, & triduo post recessum, Ecclesiastico subjicimus interdicto.

Et ut præmissa omnibus innotescant, Mandamus insuper Universis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Patriarchalium, Metropolitanarum & aliarum Cathedralium ac Collegiatarum Ecclesiarum Prælatis, Capitulis aliisque personis Ecclesiasticis, sæcularibus & quorumvis Ordinum supradictorum Regularibus, Fratribus religiosis, Monachis, exemptis & non exemptis supradictis ubilibet, præsertim in Alemannia constitutis, quatenus ipsi vel eorum quilibet sub similibus censuris & pœnis eo ipso incurrendis, Martinum omnesque, & singulos supradictos, qui elapso termino hujusmodi Mandatis seu monitis nostris non paruerint, in eorum Ecclesiis, Dominicis & aliis festivis diebus, dum inibi major populi multitudo ad Divina convenerit, declaratos Hæreticos & condemnatos publice nuncient, faciantque & mandent ab aliis nunciari, & ab omnibus arctius evitari.

Nec non omnibus Christifidelibus, ut eos evitent, pari modo sub prædictis censuris & pœnis, & præsentes Literas vel earum transumptum sub forma infrascripta factum, in eorum Ecclesiis, Monasteriis, Domibus, Conventibus & aliis Locis, legi, publicari atque affigi faciant. Excommunicamus quoque & anathematizamus omnes & singulos cujuscumque status, gradus, conditionis, præeminentiæ, dignitatis aut excellentiæ fuerint, qui quo minus præsentes Literæ vel earum transumpta, copiæ seu exemplaria in suis Terris & Dominiis legi, affigi & publicari possint, fecerint, vel quoquomodo procuraverint per se vel alium, sive alios, publice vel occulte, directe vel indirecte, tacite vel expresse.

Postremo, quia difficile foret præsentes Literas in singula quæque loca deferri, in quibus necessarium foret, volumus & Apostolica Authoritate decernimus, quod earum transumptis manu publici Notarii confectis & subscriptis, vel in Alma Urbe impressis, & sigillo alicujus Ecclesiastici Prælati munitis, ubique stetur, & plena Fides adhibeatur, prout originalibus Literis staretur & adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Et ne præfatus Martinus omnesque alii supradicti, quos præsentes Literæ quomodolibet concernunt, ignorantiam earundem Literarum & in eis contentorum omnium & singulorum prætendere valeant, Literas ipsas in Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, nec non Cathedralium Ecclesiarum Brandeburgen. Misnen. & Mespergen. valuis affigi & publicari volumus. Decernentes, quod earundem Literarum publicatio sic facta, supradictum Martinum omnesque alios & singulos prænominatos, quos Literæ hujusmodi quomodolibet concernunt, perinde arctent, ac si Literæ ipsæ die affixionis & publicationis hujusmodi, eis personaliter lectæ & intimatæ forent, cum non sit verosimile, quod ea, quæ tam patenter fiunt, debeant apud eos incognita remanere.

Non obstantibus Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, seu si supradictis omnibus & singulis, vel eorum alicui aut quibusvis aliis a Sede Apostolica prædicta vel ab ea Potestatem habentibus, sub quavis forma etiam Confessionali, & cum quibusvis etiam fortissimis clausulis, aut ex quavis causa seu grandi consideratione, indultum vel concessum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales

les id importantes, de indulto hujusmodi mentionem, ejusdem indulti tenores, causas & formas, perinde ac si de verbo ad verbum insererentur, ita ut omnino tollatur, præsentibus pro expressis habentes.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ damnationis, reprobationis, rejectionis, decreti, declarationis, inhibitionis, voluntatis, mandati, hortationis, obsecrationis, requisitionis, monitionis, assignationis, concessionis, condemnationis, subjectionis, excommunicationis & anathematizationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo vigesimo, XVII. Cal. Julii Pontificatus nostri anno VIII.

XXI.

Decretum Concilii Tridentini Sess. 21. cap. 9. quo abolet ur officium Quæstorum eleemosynarum, & prescribitur modus publicandi Indulgentias.

Cum multa a diversis antea Conciliis tam Lateranensi ac Lugdunensi, quam Viennensi, adversus pravos eleemosynarum Quæstorum abusus, remedia tunc adhibita, posterioribus temporibus reddita fuerint inutilia, potiusque eorum malitia, ita quotidie magno Fidelium omnium scandalo & querela excrescere deprehendatur, ut de eorum emendatione nulla spes amplius relicta videatur; statuit, ut posthac in quibuscumque Christianæ Religionis Locis eorum nomen atque usus penitus aboleatur nec ad Officium hujusmodi exercendum ullatenus admittantur; non obstantibus privilegiis, Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, Piis Locis, & quibusvis cujuscumque gradus, status & dignitatis personis, concessis, aut consuetudinibus etiam immemorabilibus. Indulgentias vero aut alias spirituales gratias, quibus non ideo Christifideles decet privari, deinceps per Ordinarios Locorum, adhibitis duobus de Capitulo, debitis temporibus populo publicandas esse decernit: quibus etiam eleemosynas atque oblata sibi charitatis subsidia, nulla prorsus mercede accepta, fideliter colligendi facultas datur; ut tandem, cœlestes hos Ecclesiæ Thesauros non ad quæstum, sed ad pietatem exerceri, omnes intelligant.

XXII.

Aliud Concilii Tridentini Decretum de Indulgentiis.

Cum Potestas conferendi Indulgentias a Christo Ecclesiæ concessa sit, atque hujusmodi Potestate divinitus sibi tradita, antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit, Sacrosancta Synodus Indulgentiarum usum Christiano populo maxime salutarem & Sacrorum Conciliorum Authoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse docet & præcipit, eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia Potestatem esse negant. In his autem concedendis moderationem juxta veterem & probatam in Ecclesia consuetudinem adhiberi cupit, ne nimia facilitate Ecclesiastica Disciplina eneruetur. Abusus vero, qui in his irrepserunt, & quorum occasione insigne hoc Indulgentiarum nomen ab Hæreticis blasphematur, emendatos & correctos cupiens, præsenti Decreto generaliter statuit, pravos quæstus omnes pro his consequendis, unde plurima in Christiano populo abusuum causa fluxit, omnino abolendos esse; cæteros vero, qui ex superstitione, ignorantia, irreverentia aut aliunde quomodocumque provenerunt, cum ob multiplices Locorum & Provinciarum, apud quas hi committuntur, corruptelas, commode nequeant specialiter prohiberi; mandat omnibus Episcopis, ut diligenter quisque hujusmodi abusus Ecclesiæ suæ colligat, eosque in prima Synodo Provinciali referat, ut aliorum quoque Episcoporum sententia cogniti, statim ad Summum Romanum Pontificem deferantur, cujus Auctoritate & prudentia, quod Universali Ecclesiæ expediet, statuatur, ut ita Sanctarum Indulgentiarum munus pie, sancte & incorrupte omnibus Fidelibus dispensetur.

XXIII. Con-

XXIII.

Constitutio PII IV. *super Indulgentiis ab omnibus Officialibus citra clausulam porrectionis manuum adjutricum, gratis expediendis, excepto Salario Registraturæ.*

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Decet Romanum Pontificem, quem Dominus noster Jesus Christus Vicarium suum cælestibus Thesauris dispensandis in terris constituit, providere, ut sicut ipse Thesauros hujusmodi, & gratias coelestes gratis acceptas, ad honorem Dei & illius Sanctorum animarumque Christifidelium salutem absque lucro dispensat, idem quoque a Romanæ Curiæ Officialibus, quibus Literarum Apostolicarum super gratiis a Sede Apostolica pro tempore concessis expeditio incumbit, observetur.

Quapropter inconveniens esse consentes pro concessionibus Indulgentiarum, quæ in solis meritis passionis ejusdem Domini nostri Jesu Christi, & ejus gloriosorum Martyrum & Sanctorum consistunt, aliquid temporale exigere, Nos præmissis, prout nostro incumbit officio, de remedio opportuno providere volentes, motu proprio & ex certa nostra scientia, dilectis filiis modernis & pro tempore existentibus S. R. E. Vicecancellario, ejusque in Cancellaria Apostolica Locumtenenti, nec non Sumnistæ, Scriptoribus, illorumque pro tempore Rescribendario, Computatori, Receptori & Defensoribus, nec non Secretariis Literarum Apostolicarum illarumque tam majoris quam minoris præsidentiæ Abbreviatoribus ac Sollicitatoribus, plumbique & Registri Magistris Collectoribus, earundem Literarum Apostolicarum Registratoribus, Bullatoribus Fratribus Barbatis nuncupatis, & illorum famulis, nec non in Registro supplicationum manu, & in præsentia nostra signatarum Magistris & Scriptoribus, aliisque Romanæ Curiæ Officialibus & personis, etiam eorum officia ex causa quamtumvis onerosa obtinentibus, cujuscumque qualitatis & conditionis existant, ac quocumque nomine appellentur, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub majoris excommunicationis latæ sententiæ, nec non ammissionis ad semestre omnium emolumentorum eorum officiorum, quæ ipso jure, quoties contrafecerint, Fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe applicata esse censeantur, & crescente inobedientia etiam privationis eorundem officiorum ipso facto incurrendis poenis, Apostolica auctoritate tenore præsentium præcipimus & mandamus, quatenus videlicet in Registro supplicationum Magistri & Scriptores hujusmodi ultra salarium inibi pro signaturis ordinariis exigi solitum, alii vero Officiales Literas Apostolicas, tam sub plumbo quam in forma Brevis, super gratiis Indulgentiarum & peccatorum remissione etiam plenaria, tam pro vivis quam defunctis, tam ad tempus quam perpetuo, ad futuram seu perpetuam rei memoriam, vel alia forma ac cum quavis narrativa, pro quibusvis particularibus personis seu Ecclesiis etiam Cathedralibus & Collegiatis, Monasteriis, Prioratibus, Capellis perpetuis, Capellaniis, Oratoriis, Hospitalibus, Capitulis, Collegiis, Conventibus, Confraternitatibus, Societatibus, Universitatibus & quibuscumque aliis Piis Locis, a Nobis, & Successoribus nostris Romanis Pontificibus, etiam facultatem eligendi Confessorem cum votorum commutatione in se continentibus pro tempore, citra tamen clausulam porrectionis manuum adjutricum concessis & concedendis, conficiendis gratis pro Deo ubique per eorum officia absque aliqua taxæ regalium seu jocalium, aut cujusvis alterius generis solutione vel exactione, quamtumvis ordinaria vel extraordinaria, omnibus recusatione & contradictione cessantibus, illico, nullo alio a Nobis aut altero desuper exacto mandato, expediant, & prosequentibus illarum expeditionem, etiamsi partes, quarum intuitu fuerint concessæ, in Romana Curia non sint præsentes, sed longe ab illa absint, expeditas tradant & consignent.

Mandantes Dilectis Filiis nostro, & pro tempore Romani Pontificis Datario, & ejusdem Cancellariæ Regenti, quatenus ipsi vel alter eorum per se vel alium, seu

alios præsens Mandatum nostrum, per omnes & singulos, ad quos spectat, inviolabiliter observari faciant. Inobedientesque & rebelles quoscumque censuras & penas antedictas incidisse declarent, dictasque pœnas ab illis irremissibiliter persolvi, & in arcam Collegii dictæ fabricæ inferri & reponi, etsi contra præceptum hoc nostrum exactum aliquod fuerit, illico eis, qui illud solverint, integre restitui curent, pro celeri hujus Mandati nostri observatione, dictarumque pœnarum exactione, & ablati restitutione, Mandatum executivum, si eis videbitur contra inobedientes & rebelles, quoties opus fuerit, decernant & relaxent.

Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac dictorum Officialium Collegiorum, institutionibus & erectionibus, nec non statutis etiam juramento &c. roboratis, Privilegiis quoque, indultis & Literis Apostolicis eisdem Vicecancellario, Summistæ, Officialibus & Personis, ac Collegiis, etiam in eorum institutionibus & erectionibus hujusmodi, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam formis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, nec non irritantibus, & aliis etiam vim contractus inducentibus Decretis, concessis, confirmatis & innovatis, quæ eis aut eorum alicui quoad præmissa volumus nullatenus suffragari, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem quod præceptum, & Mandatum nostrum hujusmodi ad hoc, ut ad plenam, & indubitatam notitiam deveniant, in dicta Cancellaria publicentur, & in illius libro describantur, ac perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observentur.

Placet, plubicetur, & describatur I.

Affixum & publicatum fuit supradictum Mandatum Romæ in Cancellaria Apostolica anno Incarnationis Dominicæ MDLXII. *die vero septima mensis Novembris, Pontificatus præfati Sanctissimi Domini nostri Papæ anno* III.

X X I V.

Constitutio PII V. *revocans Indulgentias quomodolibet concessas, continentes facultatem quæstuandi, & pro quibus porrigendæ sunt manus adjutrices.*

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Etsi Dominici gregis saluti semper intenti, singulis cum humilitate poscentibus ea benigne concedere Nos & Prædecessores nostri studuerint, & per quæ peccatorum mole deposita, salus ipsis succedat, & hostis humani generis servitute ereptas animas lucrifaciant Altissimo, qui eas Nobis sua bonitate commisit; id tamen propensiori studio nos præcavendum esse censemus, ne cujusvis Indulgentiæ, remissionis vel facultatis obtentu, Christifideles pro cliviores ad illicita inposterum committenda reddantur, aut facilitas veniæ eis peccandi tribuat incentiuum, & exinde Clavium Auctoritas deducatur in contemptum, & Christifideles quamplurimum scandalizentur.

Sane cum ad auditum nostrum ex diversis Mundi partibus quamplurimæ querelæ perlatæ fuerint, quod vigore diversarum Indulgentiarum & facultatum per Prædecessores nostros ac etiam Nos vel Auctoritate nostra, tam fabricæ nostræ Basilicæ Principis Apostolorum & Ecclesiæ, Sancti Joannis Lateranensis de Urbe, ipsiusque Ecclesiæ, nec non S. Joannis, & S. Lazari Hierosolymitani, ac S. Spiritus in Saxia, & S. Joannis Lateranensis, ac S. Jacobi Incurabilium de eadem Urbe, nec non S. Elmi, & S. Bovis, ac S. Gothardi, & S. Leuguzoni, nec non S. Nicolai, & S. Bernardi Montis Jovii, nec non S. Leonardi, ac S. Marthæ, nec non Sanctissimi Crucifixi Siracusani, ac S. Mariæ de Monte Serrato, Hospitalibus, Militiis, Confraternitatibus, Societatibus & Piis Locis concessarum, multi Quæstores ex eisdem Indulgentiis lucrum temporale tantum quærentes, nominibus fabricæ Ecclesiarum, Hospitalium, Monasteriorum, Militarum, Confraternitatum, Societatum & Piorum Locorum præ-

prædictorum, in diversis Civitatibus & Diœcesibus quæstas facere, Confratres describere, Capellas & Oratoria erigere, illisque erectis Indulgentias hujusmodi communicare, & in diversis gradibus a jure prohibitis dispensare, ac plura etiam concedere, quam eis vigore facultatum prædictarum licitum sit, ipsique lucro intenti, pecuniasque potius quam Christifidelium salutem quærentes, ac eisdem Indulgentiis sic abutentes, quæstum ex illis particularem facere conantur, variosque & diversos Quæstores, Commissarios, Procuratores, Receptores, Thesaurarios, Factores, Nuncios, & alios Ministros constituere, qui non solum supradicta, sed etiam plura alia, eis numquam concessa, facere & concedere, nec non locorum Ordinarios, illorumque in Spiritualibus Vicarios generales & Officiales, ac Ministros, Ecclesiarumque & Ordinum Prælatos, Superiores & personas, quæstas hujusmodi impedientes censuris Ecclesiasticis innodare, & alias in pluribus graviter excedentes in Divinæ Majestatis offensam, ac suarum, & Christifidelium animarum perniciem, ac Ordinariorum perturbationem, & piarum mentium scandalum præsumunt.

Nos qui Deo propitio Gregis Dominici, meritis licet insufficientibus, curam gerimus, & illum spiritualis Thesauri elargitione cupimus ipsi Deo reddere acceptabilem, ex præmissis & aliis rationabilibus causis animum nostrum moventibus fel. record. Callisti III., Clementis VII., Pauli III., Julii similiter III., & diversorum aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, Motu proprio, non ad alicujus Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de mera nostra voluntate & deliberatione, omnes & singulas Indulgentias etiam perpetuas, & peccatorum remissiones fabricæ & Ecclesiæ hujusmodi, nec non S. Joannis Hierosolymitani, etiam pro constructione & ædificatione illius novæ Civitatis prædictis, in quibusvis aliis Hospitalibus, Monasteriis, Ecclesiis, Domibus, Militiis, Ordinibus etiam Mendicantium, Congregationibus, Confraternitatibus, & Universitatibus & Piis Locis illorumque Ordinibus, Capitulis, Conventibus, Magistris, Superioribus, & tam sæcularibus, quam quorumvis etiam Mendicantium Ordinum Regularibus personis, tam singulariter quam universaliter per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac etiam Nos, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis clausulis & decretis, etiam Motu proprio & ex certa scientia, ac ex quibusvis etiam urgentissimis causis, etiam causa Redemptionis captivorum, & alias quomodolibet concessis, pro quibus consequendis manus sunt porrigendæ adjutrices, & quæ quæstuandi facultatem quomodolibet continent, illarum omnium tenores, formas, derogationes & decreta præsentibus pro expressis habentes, Auctoritate Apostolica, tenore præsentium perpetuo revocamus, cassamus, irritamus & annullamus, ac viribus vacuamus.

Et insuper perpetuo hac nostra valitura constitutione decernimus, quod ex nunc de cætero sub indignationis nostræ pœna, prætextu Indulgentiarum & facultatum per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Nos & Sedem Apostolicam etiam Motu simili, ac Sedis Apostolicæ Legatos, & alias quomodolibet concessarum, & quas a Nobis & Sede prædicta inposterum verbo, literis, aut quavis alia scriptura etiam manu nostra signata, etiam cum clausula, quod sola signatura sufficiat, etiam in favorem Fidei aut cruciatæ sanctæ, vel cujuscumque alterius piæ causæ etiam privilegiatæ, concedi quomodolibet contigerit, nullus quavis etiam Episcopali, Archiepiscopali, & Patriarchali, aut majori dignitate etiam Cardinalatus honore, seu etiam Regali vel temporali excellentia præfulgeat, audeat vel præsumat quæstas facere, aut Nuncios, Quæstores, Commissarios, Thesaurarios, Receptores, pro illis recipiendis in dictis Hospitalibus, Ecclesiis, Domibus, Monasteriis, Militiis & aliis supra nominatis, vel pro eis aut illorum nominibus alibi constituere & deputare, nisi ex speciali licentia & ex certa scientia nostris & Romani Pontificis pro tempore existentis, de qua per Literas nostras, & ejusdem Romani Pontificis pro tempore existentis, locorum Ordinariis, vel eorum in spiritualibus Vicariis seu Officialibus derogationem præsentis nostræ Constitutionis, illius tenore de verbo ad verbum inserto, expresse continentes.

Nos enim ex nunc irritum decernimus

& inane, quicquid fecus fuper his a quoquam quavis auctoritate fcienter vel ignoranter contigerit attentari, conftare debeat.

Mandantes in virtute fanctæ obedientiæ Omnibus & fingulis Venerabilibus Fratribus noftris Patriarchis, Primatibus, Archiepifcopis, & Epifcopis, quatenus in Civitatibus & Diœcefibus fuis præfentes noftras Literas publicare & obfervare debeant; rogantefque omnes & fingulos Principes fæculares, & alios Dominos & Magiftratus temporales, eifque per vifcera Mifericordiæ Domini Noftri Jefu Chrifti in remiffionem peccatorum fuorum iniungentes, quatenus in præmiffis, eifdem Patriarchis, Primatibus, Archiepifcopis & Epifcopis affiftant, & fuum auxilium & favorem præftent, cum auxilio brachij fæcularis.

Non obftantibus præmiffis ac quibufvis Apoftolicis, nec non in Provincialibus & Synodalibus Conciliis, editis generalibus vel fpecialibus Conftitutionibus & Ordinationibus, nec non Fabricæ Ecclefiæ, Hofpitalium, Monafteriorum, Militarium, Confraternitatum, Ordinum, Capitulorum, Conventuum aliorumque locorum prædictorum, & quorumvis illorum membrorum, Ecclefiarum etiam Cathedralium, & Metropolitanarum, etiam juramento, confirmatione Apoftolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ftatutis & confuetudinibus, ftabilimentis, ufibus & naturis, privilegiis quoque, indultis & Literis Apoftolicis, illis, & præfertim S. Joannis & S. Lazari, ac S. Spiritus in Saxia, Hofpitalibus, nec non S. Antonii de Sancto Antonio, & Sanctorum Nicolai, & Bernardi Montis Jovii Monafteriis, ipforumque Monafteriorum Hofpitalibus, fingulorumque eorum Conventibus, fuperioribus, & perfonis præfatis, per quofcumque Romanos Pontifices prædeceffores, ac Nos & Sedem Apoftolicam fub quibufcumque tenoribus & formis, ac cum quibufvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliifque efficacioribus & infolitis claufulis, nec non irritantibus & aliis decretis, etiam Motu fimili, & ex certa fcientia, ac quavis etiam Imperiali, vel Regali confideratione vel inftantia, & alias quomodolibet conceffis, approbatis & innovatis; quibus omnibus, etiamfi pro illorum fufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus fpecialis, fpecifica, individua & expreffa, non autem per claufulas generales idem importantes, mentio feu quævis alia expreffio habenda, aut alia exquifita forma ad hoc fervanda foret, tenores hujufmodi, ac fi de verbo ad verbum nihil penitus omiffo, & forma in illis tradita obfervata, inferti forent, præfentibus, pro fufficienter expreffis habentes, Motu, fcientia, & Poteftatis plenitudine fimilibus fpecialiter & expreffe derogamus, & fufficienter derogatum effe volumus, contrariis quibufcumque. Aut fi aliquibus, communiter, vel divifim ab Apoftolica fit Sede indultum, quod interdici, fufpendi, vel excommunicari non poffint per Literas Apoftolicas non facientes plenam & expreffam, ac de verbo ad verbum de indulto hujufmodi mentionem.

Volumus, autem quod præfentes Literæ in Cancellaria noftra Apoftolica, & Acie Campi Floræ de more publicentur, & inter Conftitutiones perpetuo valituras defcribantur.

Et quia difficile foret eafdem præfentes ad fingula quæque Loca deferri, volumus & etiam declaramus, quod earum tranfumptis etiam impreffis, manu alicujus Notarii fubfcriptis, ac figillo alicujus Prælati munitis eadem prorfus fides adhibeatur, quæ adhiberetur, fi originaliter forent exhibitæ, vel oftenfæ.

Nulli ergo omnino &c.

Datum apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDLXVII. Sexto Idus Febr. Pontificatus noftri anno II.

X X V.

Alia Conftitutio PII V. *prohibens ad quæftum publicari Indulgentias, & Confeffionalia.*

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Quam plenum fit periculi, noxia populis ingerere, nimium his temporibus afflicta Religio teftatur, quod malum cum in cæteris Miniftris, tum præcipuè in Ecclefiarum Prælatis animadvertendum eft, quod ab his temere profecta, longe maxima Ecclefiæ Dei conferant detrimenta. Rem fane indignam audivimus, quod non folum quondam Gometius Tello Giron temporarius admi-

Administrator Ecclesiæ Toletanæ, sed etiam quidam Hispaniæ Ecclesiarum Præsules, officii paterni prætextu, facultates sibi a Sacris Canonibus concessas excedentes, literas suas in ipsorum Civitatibus ac Diœcesibus ausi sunt publicare, quibus inter cætera periculosa deprehenditur, quod cuicumque illas accipienti certa soluta pecunia licitum sit, quem voluerit sibi sumere Sacerdotem, qui confessione audita, ipsum absolvere valeat, non in eis tantum casibus, in quibus simplex Sacerdos absolvere potest, sed etiam in iis, quæ solis Episcopis reservata reperiuntur, aliquo præterea casu admixto, veluti Simoniæ reatu, qui ad examen hujus Sanctæ Sedis esset referendus. Nos animadvertentes ipsi Præsules, & Administratores quam periculosum sit, ea passim in certis personis committere, quæ ad Episcoporum judicium arbitriumque idcirco deferuntur, ut qui melius lepram a lepra discernere norint, causis & circumstantiis subtili indagine exploratis, salutaria cuique morbo remedia valeant adhibere. Ad hæc, ipsi in dispensandis cœlestis gratiæ donis nimium prodigi, iis sic literas prædictas accipientibus, Indulgentias & pœnitentiarum injunctarum remissiones, nulla cum re temporali conferendas profusius & indiscrete largiuntur; quibus & aliis licentiis prædictis non pauci fluctuantes & infirmi, veniæ facilitate inducti ad peccandum procliviores fiunt, quando tot & tantorum delictorum remissionem, certo & vilissimo pretio acquirere posse confidant: indicem prætera casuum, & Indulgentiarum Ædibus Sacris appendi jusserunt, quo palam significatur, solventibus suprascripta concedi, & inter alia absolvendi facultatem ab esu prohibitorum tribui, itemque indulgeri Missæ Sacrificium & sepulturam tempore interdicti, assumptionem duorum pluriumque compatrum ad Sacrum Baptisma, præter eos, qui Synodalibus, ut dicunt, constitutionibus asciscuntur, reparationem Ecclesiarum, erectionem Confraternitatum, & alias pias causas prætexendo.

Cum igitur inter cætera scandala, etiam Simoniæ pravitas redoleat, ex prædictis sacri Concilii Tridentini decretis & aliis sanctionibus Canonicis, nostræ præterea Constitutioni de Indulgentiis ad quæstum non emittendis adversetur, Clavium Auctoritas evilescat, & pœnitentialis satisfactio enervetur: Nos his malis celeri remedio occurrendum, eademque opera futuris præcavendum fore censentes, de Apostolicæ potestatis plenitudine supradicta, omnia, quæ in ipsa Toletana & quibuscumque aliis Civitatibus, Diœcesibus, & locis tam Hispaniæ quam aliarum quarumcumque Provinciarum & Regionum, quocumque prætextu hucusque emanarunt; perpetuo abolemus, ac nulla & irrita nunciamus; jubemusque literas & indices, nec non scripturas & monumenta quæcumque, publica & privata, per ipsos locorum Ordinarios, & alios Ecclesiarum Rectores ubicumque reperiuntur, dilacerari penitusque deleri: & ne talia de cætero a quoquam fiant, publicentur vel concedantur, districtius prohibemus.

Quicumque secus egerint seu attentaverint Antistites, etiamsi Cardinalatus honore præfulgeant, ab ingressu & perceptione fructuum suarum Ecclesiarum tandiu suspensi jaceant, donec satisfactione prævia illis per Sedem prædictam suspensio relaxetur: inferiores vero ab Episcopis sententiam excommunicationis incurrant, a qua, nisi in mortis articulo constituti, ab alio, quam Romano Pontifice absolutionis beneficium nequeant obtinere. Decernentes etiam irritum & inane quidquid secus per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Volumus autem, ut præsentium exempla etiam impressa, Notarii publici manu & Prælati Ecclesiastici sigillo obsignata, eandem illam prorsus fidem in Judicio, & extra illud ubique locorum faciant, quam ipsæmet præsentes facerent, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, nunciationis, jussionis, prohibitionis, Decreti & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ MDLXX. 4. Non Januarii, Pontificatus nostri anno V.

XXVI.

XXVI.

Constitutio CLEMENTIS IX. *pro Erectione Congregationis Indulgentiis & Sacris Reliquiis præpositæ.*

CLEMENS PAPA IX.

Ad perpetuam rei memoriam.

In ipsis Pontificatus nostri Primordiis, cum multas Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregationes ad certarum rerum & negotiorum, in amplissimum Romanæ Curiæ Alueum ex omnibus Mundi partibus assidue confluentium tractationem atque determinationem, a felicis recordationis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, ad Ecclesiæ Catholicæ ac ditionis temporalis ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ utilitatem, prudenti salubrique consilio institutas reperissemus, quæ incumbentem Nobis ingentem curarum molem pro sua quæque parte sublevarent; nullam tamen adhuc erectam viderenius, quæ sacri Indulgentiarum Thesauri curæ & dispensationi, sacrarumque Reliquiarum recognitioni, disquisitioni & rectæ dispositioni peculiariter incumberet.

Nos eundem inæstimabilem Thesaurum fideli dispensatione erogare, & omnia, quæ Sacras Reliquias hujusmodi contingunt, recte atque ordine disponere cupientes, nonnullos ex memoratis Cardinalibus, ac aliquos Curiæ prædictæ Prælatos, aliosque viros religione, pietate, doctrina & rerum usu eximie præditos selegimus, quorum consilio, opere & industria, tam gravem Muneris nostri partem ad Omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiæ honorem, ac spiritualem Christifidelium ædificationem facilius implere valeremus. Hi vero subinde, prout rerum & negotiorum momenta postulabant, insimul convenientes, commissam sibi a Nobis Provinciam recte ac fructuose, atque ex animi nostri sententia hactenus administrarunt. Quapropter sperantes in Domino non minus utiliter in futurum quoque desudaturam esse eorum industriam, ac salubris consilii, quod Authore Deo suscepimus fructum, eodem adjuvante atque incrementum dante, perennare desiderantes.

Motu proprio ac ex certa scientia, & matura deliberatione, deque Apostolicæ Potestatis plenitudine Congregationem ejusdem S. R. E. Cardinalium ac Prælatorum, & aliorum virorum prædictorum, a Nobis, ut præfertur, electorum & deputatorum, ac in futurum tam a Nobis quam a Successoribus nostris Romanis Pontificibus eligendorum & deputandorum, cum facultate omnem difficultatem ac dubietatem in Sanctorum Reliquiis aut Indulgentiis emergentem, quæ ad Fidei dogma non pertineat (Nobis tamen & Romano Pontifice pro tempore existente circa graviora difficilioraque consultis) expediendi, ac si qui abusus in eis irrepserint, illos, judicii forma plane postposita, corrigendi & emendandi; causas vero judicialem formam requirentes, ad proprios Judices remittendi: falsas, apocriphas indiscretasque Indulgentias typis imprimi vetandi, impressas recognoscendi & examinandi, ac ubi Nobis, seu Romano Pontifici pro tempore existenti retulerit, nostra seu illius Authoritate reiciendi. Reliquias de novo inventas, quas recolendæ memoriæ Innocentius III. Prædecessor noster in generali Concilio Lateranensi publica veneratione coli, nisi prius Authoritate Romani Pontificis approbatas, prohibuit, recognoscendi quoque & examinandi; ac in concedendis Indulgentiis, Sanctorumque Reliquiis donandis moderationem adhiberi, omniaque pie, sancte & incorrupte fieri curandi, tenore præsentium perpetuo erigimus & instituimus.

Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; nec de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aliove quolibet etiam substantiali & formali, ac etiam incogitato & inexcogitabili necessariamque expressionem requirente, defectu, notari, impugnari, infringi, retractari, & in controversiam vocari, aut ad terminos Juris reduci ullo modo unquam posse. Sicque & non aliter in præmissis, per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. Ecclesiæ prædictæ Cardinales, etiam de Latere Legates & alios quoslibet quacumque præeminentia & potestate fungentes & functuros, sublata eis & eorum cuilibet, qua-

quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate judicari & definiri debere, ac irritum & inane, si quid secus super his, a quoquam quavis authoritate, scienter vel ignoranter contingerit attentari.

Non obstante, quatenus opus sit, nostra & Cancellariæ Apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, quæ Apostolicis, ac universalibus Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus & ordinationibus, nec non quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis & Literis Apostolicis, quibusvis personis & locis, sub quibuscumque verborum tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis & insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis in genere, vel in specie, seu alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis & pluries innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica & expressa, & individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus ommisso, & forma in illis tradita, observata exprimerentur & insererentur, præsentibus pro plene & sufficienter expressis & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, & ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiliter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut earundem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 6. Julii MDCLXIX. Pontificatus nostri anno III.

XXVII.

Decretum S. R. Universalis Inquisitionis de Indulgentia PORTIUNCULÆ:

Feria 4. die 3. Octobris 1691.

In Generali Congregatione S. Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Conventu S. Mariæ super Minervam coram Eminentissimis & Reverendissimis Dominis S. R. E. Cardinalibus Inquisitoribus ab Apostolica Sede specialiter deputatis.

Facta relatione per P. Mag. Bernardinum Ordinis Prædicatorum de juribus hinc inde deductis a PP. Ordinis Minorum Conventualium, & Minorum de Observantia respective super prætensa Indulgentia perpetua & quotidiana, tamquam concessa a Paulo III. Ecclesiæ S. Mariæ Angelorum FF. Ordinis Minorum de Observantia, Eminentissimi Domini, prædictis juribus visis & auditis, dixerunt: Ex hactenus deductis non constare de dicta Indulgentia quotidiana perpetua; & proinde abradendam, seu removendam esse inscriptionem super Januam Cappellæ Ecclesiæ S. Mariæ Angelorum Assisii scilicet: Augusti hic veniam dat tibi quæque dies.

XXVIII.

Concessio Indulgentiæ plenariæ visitantibus Ecclesiam S. Mariæ Angelorum.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Redemptoris & Domini nostri Jesu Christi vices licet immeriti gerentes in Terris, cœlestium munerum Thesauros, quorum dispensationem humilitati nostræ commisit Deus, fideli prudentique liberalitate libenter erogamus, sicut pia sublimium Principum præclaris in Ecclesiam Dei meritis fulgentium, ac Religiosorum virorum, propriæ alienæque saluti laudabiliter incumbentium, vota postulant, & Nos ad augendam fovendamque Fidelium pietatem profuturum in Domino arbitramur. Itaque spirituali Christifide-

lium

lium ad Ecclesiam S. Mariæ Angelorum noncupatam, Domus Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de observantia nuncupatorum proprie & extra muros Civitatis Assisiensis, assidue (ut accepimus) ex universis Christiani Orbis partibus devotionis causa confluentium consolationi, atque animarum saluti, quantum cum Domino possumus, benigne consulere, necnon dilecti Filii Bonaventuræ Poerii Ministri Generalis dicti Ordinis supplicationibus, etiam totius Ordinis prædicti nomine, Nobis super hoc humiliter porrectis, quibus piæ atque enixæ plurium Orthodoxorum Principum preces in idipsum tendentes accessere, favorabilem assensum præbere cupientes, ac de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christifidelibus ad Ecclesiam supradictam, sicut præmittitur, confluentibus, qui illam vere pœnitentes & confessi, ac Sacra communione refecti in quocumque anni die devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut earundem præsentium Literarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XVIII. Augusti MDCXCV. Pontificatus nostri anno V.

XXIX.

Breve Sanctissimi Domini Nostri BENEDICTI XIV. *quo Jubilæum Universale indicitur, ad implorandum Divinum auxilium initio Pontificatus pro salutari Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ regimine.*

BENEDICTUS PAPA XIV.

Universis Christifidelibus præsentes Literas inspecturis Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Lætiora Apostolicæ servitutis auspicia offerri Nobis minime poterant, quam, ut tanto onere per studiosissima & concordia Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium suffragia tenuitati nostræ impimposito, in Domino consideremus omnia consilia, acta, & opera in Catholicæ Ecclesiæ procuratione a Nobis suscipienda conficiendaque ad Divini nominis gloriam, ad Orthodoxæ Fidei præsidium, ad Sacrosanctæ Religionis incrementum, & ad æternam animarum salutem semper fore redundatura. Postquam igitur debitas laudes gratiasque persolvimus bonorum omnium largitori Deo, qui, ut ostendat divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, dispositione mirabili infirma eligit; eidem, cui aperta & nuda sunt omnia, in simplicitate cordis nostri revelavimus, trepidationem nostram & argumenta omnia sollicitudinis ac timoris animo nostro ob ingentem Pontificiarum curarum sese undique ingerentia. Nec omisimus cum gemitibus & lacrymis prosternere preces nostras ante faciem Dei nostri, ut per merita Jesu Christi Filii sui Pastorum Principis, cujus supremas in terris vices gerimus, requiescere faciat super Nos Spiritum Domini, Spiritum Sapientiæ & Intellectus, Spiritum consilii & fortitudinis, Spiritum scientiæ & pietatis, & repleat Nos Spiritu timoris Domini; ut non secundum visionem oculorum judicemus, neque secundum auditum aurium arguamus; sed judicemus in justitia pauperes, & arguamus in æquitate pro mansuetis terræ. Verum infirmitatem nostram probe agnoscentes, nec de tam cœlesti favore ac benedictione Nobis certo polliceri audentes; sed minime dubitantes, quin concors totius Catholicæ Ecclesiæ ad misericor-

ricordiarum Patrem supplicantis oratio potentissima sit, ut ille uberrimam omnium cœlestium Charismatum copiam super Nos benignus effundat: universos Christifideles rogamus, atque in Domino exhortamur, ut nostris suas etiam alacrius conjungant publicas ferventioresque precationes, supplicationes, jejunia, eleemosinas, atque alia pietatis opera hoc præsertim tempore, in quo, Carolo claræ memoriæ, dum viveret, Romanorum Rege in Imperatorem electo, nuper defuncto, pro novi Romanorum Regis futuri Imperatoris electione Comitia habenda sunt; dum Nos, juxta antiquissimum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum morem, cœlestes Ecclesiæ thesauros dispensationi nostræ creditos erogamus atque elargimur. Itaque de Omnipotentis Dei misericordia ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus Auctoritate confisi, ex illa ligandi atque solvendi Potestate, quam Nobis Dominus, licet indignis, contulit, universis & singulis utriusque Sexus Christifidelibus in alma Urbe nostra degentibus, qui solemni Processioni, quam Dominica ultima post Pentecostem, die videlicet vigesima currentis mensis Novembris, ab Ecclesia S. Mariæ Angelorum in Thermis ad Basilicam S. Mariæ Majoris nuncupatam de eadem Urbe, unacum Venerabilibus Fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus, necnon Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, quos in Romana Curia adesse contigerit, ac Christianorum Regum & Principum Oratoribus apud Nos existentibus, Prælatis quoque & Officialibus ejusdem Curiæ, universoque Clero & Populo, benedicente Domino, agemus, devote interfuerint, vel Sancti Joannis in Laterano, Principis Apostolorum & Sanctæ Mariæ Majoris præfatæ Ecclesias seu Basilicas, vel earum aliquam intra spatium ejusdem vel proxime subsequentis hebdomadæ, saltem semel visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium devote, ut supra, Deum oraverint; ac quarta & sexta feria, ac Sabbato alterius ex præfatis hebdomadis jejunaverint, & peccata sua confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in Dominica die immediate sequenti, vel alia die intra eandem hebdomadam reverenter sumserint, ac pauperibus aliquam eleemosynam, prout unicuique suggeret devotio, erogaverint: ceteris vero extra Urbem prædictam ubicumque degentibus, qui Ecclesias ab Ordinariis locorum, vel eorum Vicariis seu Officialibus, aut de eorum mandato, & ipsis deficientibus, per eos, qui ibi curam animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hæ nostræ pervenerint, designandas, vel Ecclesiarum hujusmodi aliquam, spatio duarum similiter hebdomadarum a publicatione designationis per Ordinarios, vel eorum Vicarios, seu Officiales, vel alios, ut præfertur, faciendæ decurrendarum, saltem semel visitaverint, ibique, ut supra, oraverint, ac quarta, & sexta feria, ac Sabbato alterius ex hebdomadis hujusmodi jejunaverint, pariterque peccata sua confessi, ac in die Dominica immediate sequenti vel alia die intra eandem hebdomadam Sanctissima Communione refecti fuerint, & pauperibus aliquam eleemosynam, ut præmittitur, erogaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum Indulgentiam & remissionem, sicut in anno Jubilæi visitantibus certas Ecclesias intra & extra Urbem prædictam concedi consuevit, tenore præsentium concedimus & elargimur. Navigantes vero & iter agentes, ut cum primum ad sua sese domicilia receperint, suprascriptis peractis & visitata Ecclesia Cathedrali, vel Majori aut Parochiali loci eorum domicilii, eandem Indulgentiam consequi possint, & valeant: Regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque tam Laicis, quam Ecclesiasticis, Secularibus, vel Regularibus, etiam in Carcere aut captivitate existentibus, vel alia Corporis infirmitate seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa vel eorum aliqua præstare nequiverint, ut illa Confessarius ex jam approbatis a locorum Ordinariis ante præsentium publicationem, seu approbandis, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque injungere, quæ ipsi pœnitentes efficere poterunt, pariter concedimus & indulgemus. Insuper omnibus, & singulis Christifidelibus utriusque Sexus tam Laicis, quam Ecclesiasticis, Secularibus, & Regularibus cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti, tam in Urbe præfata, quam extra eam ubique locorum, ut præfertur, degentibus licentiam concedimus

P &sa-

& facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque Presbyterum Confessarium tam Sæcularem, quam cujusvis Ordinis, & Instituti Regularem ex approbatis, ut præmittitur, a locorum Ordinariis, qui eos ab Excommunicationis, Suspensionis, & aliis Ecclesiasticis sententiis, & censuris a Jure vel ab homine quavis causa latis, seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis quamtumvis gravibus, & enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive Nobis, & Sedi Apostolicæ, etiam in Literis die Cœnæ Domini legi solitis contentis, & alias per quascumque nostras, aut Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum Constitutiones, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro Conscientiæ & hac vice tantum absolvere & liberare valeant, & insuper vota quæcumque (Religionis & Castitatis exceptis) in alia pia & salutaria opera commutare, injuncta tamen eis, & eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus pœnitentia salutari, aliisque ejusdem Confessarii arbitrio injungendis. Quapropter tenore præsentium in virtute sanctæ Obedientiæ districte præcipimus atque mandamus omnibus & quibuscumque Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis & aliis Ecclesiarum Prælatis, ac quibuscumque Ordinariis locorum ubicumque existentibus, eorumque Vicariis & Officialibus, vel iis deficientibus, illis, qui curam Animarum exercent, ut cum præsentium Literarum transsumta aut exempla etiam impressa acceperint, illa statim absque ulla mora, retardatione, vel impedimento per suas Ecclesias & Diœceses, Provincias, Civitates, Oppida, Terras & loca publicent, & publicari faciant, Ecclesiamque seu Ecclesias visitandas designent. Non intendimus autem per præsentes super aliqua irregularitate publica vel occulta, nota, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quoquo modo contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, & in pristinum statum restituendi etiam in foro conscientiæ, neque etiam easdem præsentes iis, qui a Nobis, & Apostolica Sede, vel ab aliquo Prælato, seu Judice Ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu alias in Sententias, & Censuras, incidisse declarati, vel publice denuntiati fuerint, nisi intra tempus dictarum duarum hebdomadarum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, præsertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes vel dissimiles Indulgentiarum & facultatum hujusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant; nec non regula nostra de non concedendis Indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum & Congregationum sive Institutorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus & Institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, ac formam in eis traditam pro servata habentes, hac vice specialiter, nominatim & expresse ad effectum præmissorum derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Ut autem præsentes nostræ, quæ ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, ut earundem præsentium transumtis vel exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis ubique locorum & gentium eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ. Demum sciant omnes, qui vel palam, vel in corde adversantur Sedi Apostolicæ, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ judiciis, & signanter Constitutioni *Unigenitus*, indignos esse, qui gratiam, & beneficium Jubilæi participent.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die undecima mensis Novembris millesimo septingentesimo quadragesimo, Pontificatus Nostri Anno Primo. *D. Card. Passioneus.*

CA-

CAPUT I.

DE SATISFACTIONE PRO REATU POENÆ TEMPORALIS.

INstituti nostri ratio populat, ut de Indulgentiis ingenere acturi, & ea, quæ ad hujus tam grandis uberrimæque rei omnimodam declarationem spectant, exposituri, de pœnæ temporalis satisfactione potissimum differamus. Cum enim Indulgentiæ nostrarum satisfactionum vicem suppleant, pœnasque, quas nos ipsi Deo deberemus, remittant, Indulgentiis profecto locus esse non poterit, neque de earum sive veritate, sive virtute sermo instituetur, nisi constiterint ea, quæ de Satisfactione docet Ecclesia, & de Reatu pœnæ temporalis post culpam adhuc remissam superstite, & solutione hujusmodi pœnæ, quam repetit a nobis Divina Justitia. Quinque ergo Articulis, quæ ad satisfactionem pertinent, hic complectemur; ex quibus illud 1.° investigabimus: An nonnunquam peccato quantum ad culpam remisso, supersit debitum pœnæ temporalis satisfactione redimendum? 2.° De conditionibus requisitis, ut opus aliquod pro pœna temporali peccatis jam quantum ad culpam remissis debita, satisfactorium sit. 3.° inquiremus: An detur præceptum satisfaciendi Deo pro pœna temporali? 4.° An homo Justus possit æquivalentem ac de condigno satisfactionem præbere pro pœna temporali sibi debita? 5.° An homo Justus possit satisfacere Deo pro hujusmodi pœna temporali alteri, seu alterius peccatis debita? Porro satisfactio, de qua hic sermo instituitur, *Est voluntaria sui ipsius punitio ad compensandam injuriam Deo per peccatum illatam, eumque sic placandum, ut temporalem pœnam remittat.*

ARTICULUS I.

An nonnunquam peccato quoad culpam remisso supersit debitum pœnæ temporalis satisfactione redimendum.

COnsulto id quærimus. Fatemur siquidem, posse aliquando contingere, peccatores ex gratiæ virtute ad eum fervidæ contritionis vel perfectæ charitatis actum excitari, ut quodcumque pœnæ temporalis debitum eo mediante penitus auferatur. = *Quandoque*, (inquit *D. Thomas 3. par. quæst.* 86. *art.* 5. *in corp.*) = *Deus tanta commotione convertit cor hominis, ut subito perfecte consequatur sanctitatem spiritualem, non solum remissa culpa, sed sublatis omnibus peccati reliquiis* =& in 4. *sent. dist.* 17. duplicem modum remissionis hujus reatus a charitate manantem distinguens, contritionis efficaciam expendit, asseritque ejus virtute deleri quandoque peccata quantum ad culpam & pœnam = *Intensio contritionis* (sunt verba S. Doctoris prælaudati) *potest attendi dupliciter, uno modo ex parte charitatis, quæ displicentiam causat; & sic contingit, tantam intendi charitatem in actu, quod contritio inde sequens merebitur non solum culpæ amotionem, sed etiam absolutionem ab omni pœna: alio modo ex parte doloris sensibilis, quem voluntas in contritione excitat; & quia illa, pœna etiam quædam est, tantum potest intendi, quod sufficiat ad deletionem culpæ.*

De Lethali autem peccato hic potissimum differimus, quod absolute & simpliciter peccatum est; quidquid vero de eo statuemus, erit veniali servata proportione applicandum.

Recensentur ii, qui debitum pœnæ temporalis post justificationem satisfactione redimendum impugnaverunt; proponiturque eo de argumento Ecclesiæ Catholicæ fides.

Varii extiterunt Hæretici, qui tam existentiam reatus sive debiti pœnæ temporalis in Justis, quam satisfactionem ad ejus remissionem necessariam diversis temporibus negaverunt.

Audiani, qui tempore Valentiniani senioris Ecclesiam vexaverunt, nihil a contritis ob anteacta vitæ crimina putaverunt Deo exsolvendum; de iis enim scribit Theodoretus *lib.* 4. *Hæreticar. fabular. cap.* 10.

= *Deinde confessis dant veniam, non tempus ad pœnitentiam definientes, sicut Ecclesiæ leges præcipiunt, sed potestate condonantes.*

Ab his non discreparunt Massiliani, qui circa annum CCCLXXX. contra Catholicos vexillum erexere. *Massiliani* (inquit Damascenus *lib. de Hæresib.*) *eos, qui ad se gravissimis criminibus inquinati confugiunt, nullo extante fructu pœnitentiæ, sine Sacerdotis authoritate, nulla habita ratione graduum, qui Canonibus Ecclesiasticis excipiuntur, primo quoque die se expiaturos profitentur, dummodo in illam eorum sermone celebratam orationem apud eos exercitati, sine dolo ac simpliciter sacris, quæ probant, initientur.*

De novis Manichæis, qui exeunte sæculo XII. suos errores promulgarunt (inquit Nicolaus Emerycus in *part. 2. quæst. 13.* = *Dicunt, suam sectam suscipientes esse absolutos ab omnibus peccatis suis, sine alia quacumque satisfactione & restitutione, si haberent aliquid de alieno, dummodo servent sectam & ordinem illum.*

Hanc perversam doctrinam amplexati sunt unanimi consensu Sectarii omnes, qui sæculo XVI. prodierunt e tenebris. Martinus Lutherus suæ defectionis initio *serm. de Indulg.* hos errores proferre non erubuit artic. 1. *Ex nulla Scriptura colligi potest, Divinam Justitiam sive pœnam sive satisfactionem exigere a peccatore.* II. *Illius imaginariæ pœnæ nomen, quam Indulgentiæ excludunt, nemo explicare potest, neque quisquam novit quid nam sit*: & articulo IX. *Vehementer odi, & sublatum vellem hoc vocabulum satisfactio, quod non modo in Scripturis non invenitur, sed & periculosum habet sensum, quasi Deo quisquam possit pro ullo peccato satisfacere, cum gratis ille ignoscat omnia.*

Kemnitius pœnitentialis satisfactionis se adversarium ostendit in suo *Examin. Concil. Tridentin. p. 2.* = *Quod dictum est*, inquit, *optimam & aptissimam pœnitentiam esse novam vitam, hanc habet sententiam: post acceptam a fide propter Christum remissionem peccatorum, non requiri præterea aliam satisfactionem aut expiationem pro peccatis, cum simus in Christo consummati, sed requiri illud quod Scriptura præscribit; Desine a malo, & fac bonum* =; & in prima editione *locor. communium. cap. de Pœnit.* ait, *satisfactio nulla est præter Christi mortem; quæ vero pœnitentibus satisfactiones imponuntur, hominum inventa sunt.* A pœnitentiali satisfactione alienum fuisse Philippum Melanctonem habes *ex Apologia Confessionis Augustanæ artic. de Confess. & satisf.* = *Sed tamen fatentur adversarii*, inquit, *in quod satisfactiones non prosint ad remissionem culpæ: verum fingunt satisfactiones prodesse ad redimendas pœnas seu Purgatorii seu alias. Hæc tota res est commentitia, recens conficta sine Auctoritate Scripturæ & veterum Scriptorum Ecclesiasticorum* = Similia reperire est apud Joannem Calvin. *lib. 3. Institut. cap. 4. §. 25. Tertium locum satisfactionis in pœnitentia assignant* Sophistæ, *de quaquidquid blaterant, uno verbo subverti potest. Dicunt: non sufficere Pœnitenti a peccatis præteritis abstinere, & mores in melius commutare nisi de iis, quæ facta sunt, satisfiat Deo: esse autem multa adminicula, quibus peccata redimat, lacrymas, jejunia, oblationes, charitatis officia &c. Talibus mendaciis oppono gratuitam remissionem* = & §. 30., ubi loquitur de Deo in lege veteris testamenti, inquit, = *Qui fit, ut nullis prorsus operibus admissa delicta .....jubeat, sed sola in expiationem sacrificia requirat, nisi quod ita testari vult, unicum esse satisfactionis genus, quo judicium suum placatur. Nam quæ tunc immolabant sacrificia Israelitæ, non hominum opera censebantur, sed a sua veritate, hoc est unico Christi sacrificio, æstimabantur.*

Ex quibus datur intelligi, duo potissimum contendisse Sectarios. Primum, nullum superesse reatum pœnę temporalis post culpæ remissionem. Secundum, nullis operibus, quamtumvis in statu gratiæ factis, inesse vim placandi Deum: nec pœnitentias a Sacerdotibus per virtutem Clavium ad satisfaciendum Deo pro pœna temporali injungi posse.

Catholicæ Ecclesiæ fidem recensitis erroribus oppositam tradit Concilium Tridentinum *sess. 6. can. 30.* his verbis = *si quis, post acceptam justificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, & reatum pœnæ æternæ ita deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ*

pœnæ temporalis exolvendæ, vel in hoc sæculo vel in futuro Purgatorio, antequam ad Regna Cœlorum aditus patere possit, Anathema sit =. Et *sess.* 14. *cap.* 8. = *Sancta Synodus declarat falsum omnino esse, & a Verbo Dei alienum, culpam a Domino nunquam remitti, quin universa etiam pœna condonetur; perspicua, & illustria in sacris Literis exempla repeÿriuntur, quibus præter Divinam traditionem, hic error manifeste revincitur* =. Idem docuit *sess.* 6. *cap.* 4. pia pœnitentiæ opera satisfactoria pro pœna temporali enumerans = *Unde*, inquit, *docendum est, Christiani hominis pœnitentiam post lapsum multo aliam esse a baptismali, eaque contineri non solum cessationem a peccatis & eorum detestationem, aut cor contritum & humiliatum, verum etiam eorundem Sacramentalem Confessionem saltem in voto & suo tempore faciendam, & Sacerdotalem absolutionem, itemque satisfactionem per jejunia & Eleemosynas, Orationes & alia pia vitæ spiritualis exercitia, non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramento, vel Sacramenti voto una cum culpa remittitur, sed pro pœna temporali, quæ, ut Sacræ Literæ docent, non tota semper, ut in baptismo fit, dimittitur illis, qui gratiæ Dei, quam acceperunt ingrati, Templum Dei violare non sunt veriti* =. Tandem reprobata Hæreticorum doctrina asserentium: pœnitentiam unice in vitæ novitate consistere, decernit, ad satisfactionem pro pœna temporali pertinere tam pœnas a Deo inflictas patienter toleratas, quam a Sacerdote injunctas vel etiam sponte susceptas = *Si quis dixerit, pro peccatis quoad pœnam temporalem minime Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis & patienter toleratis, vel a Sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus; atque ideo optimam pœnitentiam esse tantum novam vitam, Anathema sit.* =

Asseritur nonnunquam peccato quoad culpam remisso superesse debitum pœnæ temporalis satisfactione redimendum, & multiplici argumentorum genere comprobatur & primo ex Divinæ Scripturæ Authoritatibus.

Conclusio. Peccato quoad culpam remisso superest reatus pœnæ temporalis, qui satisfactione redimi potest.

Probatur Conclusio quantum ad primam partem ex 2.° *Reg.* 12., ubi habetur, quod cum Regius Propheta, ob Adulterii crimen cum Uriæ Uxore perpetratum, ad sinceram cordis contritionem excitatus dixisset: = *Peccavi Domino* = ita culpæ remissionem obtinuit, ut per mox eventuram filii mortem, indictum sibi supplicium audiverit = *Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris: verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morietur* = & observatione dignum est, ut Lyranus hunc locum exponens advertit, quod quamquam Dominus peccatum illud ob elicitam contritionem quantum ad culpam transtulerit, voluit tamen Patrem in Filio recenter nato Divinam correptionem experiri; a qua profecto fuisset immunis, si in recenter justificatis nunquam obligatio subeundi pœnam temporalem remaneret. Eodem *libr. Reg. cap.* 24. legitur, prælaudatum Regium Prophetam animi elatione tumentem post enumeratum populum suæ ditioni subjectum, ut Regni sui vires agnosceret, hac sententia a Gad Propheta fuisse perterritum = *Aut septem annos veniet tibi fames in terra tua: aut tribus mensibus fugies adversarios tuos, & illi te persequentur; aut certe tribus diebus erit pestilentia in terra tua* =; ad cujus sententiæ executionem deinde subditur = *Immisitque Dominus pestilentiam in Israel de mane usque ad tempus constitutum, & mortui sunt a Dan usque Bersabee septuaginta millia virorum* =. En quomodo constat, Davidem Divinam suscepisse vindictam, quia pœnæ luendæ pro elatione illa manebat obnoxius. Peccato itaque quantum ad culpam remisso, adhuc superest reatus seu debitum pœnæ temporalis.

Ad declinandam utriusque allatæ Authorita-

ritatis vim, non renuit Calvinus admittere, in Davidem, aliosque justos supplicium ob commissa crimina Deum constituisse, non tamen quod vitæ superioris errata corrigeret, proindeque pœnæ temporalis reatum, qui post remissam culpam superest, aboleret, Deumque vindicem indicaret, sed quod ad virtutum exercitia melioremque frugem in futurum viros ejusmodi revocaret, redderetque in operando cautiores = *Ferulis* : (inquit *eap.* 4. *Institutionum* §.33.) *verberantur filii, non ut multam Deo delictorum persolvant, sed ut inde ad resipiscentiam proficiant, proinde in futurum eas potius quam in præteritum tempus respicere intelligimus.* =

Verum quanti faciendum sit hujusmodi Calvini effugium, expensa utraque Regii Prophetæ pœna, ex ipso Scripturæ textu non obscure aperitur; ex eo siquidem constat, punitionis causam, quare Deus in Davidem Adulterum animadvertit, eam fuisse, non quod in futurum præcavenda esse peccata intelligeret, sed quod se antea Adulterii flagitio coinquinaverit; non enim dicit, *ne inposterum præbeas inimicis Domini occasionem blasphemandi*, sed *quia blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morietur* =. Eandem vindictam evincunt jejunia, lacrymæ, aliaque pœnitentiæ opera, quæ David adhibuit, ne tali calamitati succumberet; siquidem si, ut mentitur Calvinus, percepisset ille, eam sibi pœnam ferendam injungi ad futurorum præcautionem, ut quid tantopere studuisset effugere pœnam suæ dumtaxat causa utilitatis inflictam? Favent huic expositioni Sancti Patres, & præsertim S. Gregorius Papa *lib.9. Moral. cap.7.* ita de prima pœna loquens. = *David audire post confessionem meruit, Dominus transtulit peccatum tuum: & tamen multis post cruciatibus afflictus, reatum culpæ, quam perpetraverat, exolvit* =. Clarius idem observat super alium Scripturę textum a nobis laudatum idem S. Gregorius *lib.* 19. *eap.* 14. = *Vindictam Populus, David peccante, suscepit. Cur hoc? quia secundum meritum plebium disponuntur corda rectorum. Justus vero Judex peccantis vitium ex ipsorum animadversione corripuit, ex quorum causa peccavit; sed quia ipse a culpa alienus non fuit, vindictam culpæ etiam ipse suscepit* =. Utrumque ergo supplicium Davidi fuit inflictum, tum ut Deus criminum vindex agnosceretur, tum ut pœnæ temporalis reatus adhuc post receptam justificationis gratiam remanens aboleretur.

Idem quod mox probatum est, ex *Reg. lib.* 3. *cap.* 13. pariter eruitur. Interemtum morte ibi legimus Prophetam, quod deceptus, reversus fuerit ad locum, unde discesserat, ibique comederit contra Divinum mandatum, audito, cum adhuc ad mensam sederet, alio Propheta inclamante = *Hæc dicit Dominus, quia non obediens fuisti ori Domini, & non custodisti mandatum, quod præcepit tibi Dominus Deus tuus & reversus es, & comedisti panem, & bibisti aquam in loco, in quo præcepit tibi ne comederes panem neque biberes aquam, non inferretur cadaver tuum in sepulchrum Patrum tuorum &c. Qui cum comedisset & bibisset, stravit Asinum suum Prophetæ, quem reduxerat. Qui cum abiisset, invenit eum Leo in via, & occidit; & erat cadaver ejus projectum in itinere; Asinus autem stabat juxta illum, & Leo stabat juxta cadaver* =. Hunc vero Prophetam culpæ remissione donatum, D. Augustinus *in lib. de Cura pro Mortuis* agnoscit ex eo, quod Leo insaturatus non ausus fuerit ejus cadaver attingere. = *Hactenus enim* (verba sunt prælaudati Sancti Doctoris) *noluit Dominus servum suum plectere, quia non sua contumacia spreverat præceptum ejus implere, sed aliena decipiente fallacia obedire se credidit, quando non obedivit. Neque enim putandum est, ita fuisse interemtum morsu bestiarum, ut ad supplicium tartareum ejus deinde anima raperetur; quandoquidem ipsum ejus corpus, idem Leo, qui occiderat, custodivit; Jumento etiam, quo vehebatur illæso, & simul cum illa immani fera, intrepida præsentia ad sui Domini funus adstante. Quo mirabili signo apparet, hominem Dei coercitum potius temporaliter usque ad mortem, quam puniturum esse post mortem.* =

Refertur etiam *Numeror.* 13. correctos a Deo fuisse Hebræos, qui difficultatibus perterriti, ad terram Promissionis iter prosequi detrectaverant, contra Moysen clamantes, ita ut nullus ex iis, qui tam auda-

audacter in Moysen insurrexit, terram lacte & melle manantem acceperit possidendam; quamvis peccatum illud quoad culpam, Moyse deprecante, Deus dimisisset; ubi enim dixit Dominus = *Dimisi juxta verbum tuum*, = mox adjecit = *Attamen omnes homines, qui viderunt majestatem meam, & signa, quæ feci in Ægypto & in solitudine, & tentaverunt me jam per decem vices, nec obedierunt voci meæ, non videbunt terram, pro qua juravi Patribus eorum, nec quisquam ex illis, qui detraxit mihi, intuebitur eam* = Quod advertens Calvinus, hunc corrigendi morem a Deo servari, fateri tandem compellitur dicens 3. *Institut. cap.* 8. §. 6. = *Adde quod non modo infirmitatem nostram prævenire, sed præterita etiam delicta sæpe corrigere habet Clementissimus Pater, ut nos in legitima erga se obedientia contineat. Proinde quoties affligimur, subire protinus in mentem debet anteactæ vitæ recordatio, ita procul dubio reperiemus, nos admisisse, quod dignum ejusmodi castigatione esset.*

Non dissimili pœna a Deo castigatos reperimus Moysen & Aaron, eo quod ad petram gloriam Deo non dedissent; legitur enim *Num.* 20. = *Pergat Aaron ad populos suos, non enim intrabit terram, quam dedi Filiis Israel, eo quod incredulus fuerit ori meo ad aquas contradictionis. Tolle Aaron & Filium ejus cum eo, & duces eos in Monte Hor, cumque nudaveris Patrem veste sua, indues ea Eleazarum Filium ejus. Aaron colligetur & morietur ibi. Fecit Moyses ut præceperat Dominus &c. cumque Aaron spoliasset vestibus, induit eis Eleazarum filium ejus, illo mortuo in Montis supercilio* = & *Deuteronom.* 32. Moysi præcipitur = *Ascende montem istum Abarim, in montem Nobe, & morere in Monte, quem conscendens jungeris populis tuis, sicut mortuus est Aaron Frater tuus & appositus populis tuis, quia prævaricati estis contra me.* = De utraque vindicta, nec non alia contra Samuelem exercita, hæc habet Psalmista *Psalm.* 98. descriptis eorum precibus a Deo acceptatis: = *Deus tu propitius fuisti eis, & ulciscens in omnes adinventiones eorum* =. Quid enim est, Deum illis fuisse propitium, & adinventionum eorundem vindicem, nisi quòd culparum remissione donatos, voluerit pœnarum flagello corrigere? Quod luculenter ostendit *D. Augustin.* illum Psalmum exponens = *Etiam vindicans* (inquit) *propitius fuisti, non solum donans peccata, sed etiam vindicans propitius fuisti. Videte Fratres mei quid hic commendavit &c. Agite Fratres quomodo in illis vindicatum est. Si quæramus aderit Dominus ut dicam. Quæramus enim tres istas personas, Moysen, Aaron, & Samuelem & quomodo in eis vindicatum sit; quia dicit vindicans omnes affectiones eorum; utique eas affectiones dicens eorum, quas Dominus noverat in Cordibus eorum, quas homines non noverant &c. Quærimus vindictam in Moyse, prope nullam habet, nisi quod ad extremum ait illi Deus: Ascende in Montem, & morere: ait seni: morere! Jam peregerat ætates suas. Numquid nunquam erat moriturus? Qualis illi vindicta? Ostendit illi vindictam suam, ut diceret: Non intrabis in terram promissionis, quam intraturus erat Populus. Quandam figuram quorundam gerebat Moyses, nam qui in Regnum Cælorum intravit, magna illa pœna erat, ad terram illam non venire, quæ ad tempus erat promissa, ut umbram ostenderet, & transiret. Magnum erat non dedisse terram istam Moysi, sed Moysen voluit gestare figuram eorum, qui sub lege erant, quia per Moysen data est lex: & ostendit, eos, qui sub lege esse vellent, & sub gratia esse nollent, non intraturos in terram promissionis &c. De Aaron autem quod dictum est? Mortuus est & ipse senex, filii sui successerunt ei in Sacerdotio: Filius ejus postea Sacerdotium administravit. Quomodo & in istum vindicavit? Samuel & ipse Sanctus, senex mortuus est relictis filiis successoribus suis. Quid est quod in illis vindicatum est? quæro, & secundum homines non invenio; secundum autem quod scio pati Servos Dei quotidie, in illos vindicabatur. Legite & videte vindictas, sed qui proficitis. Forte vindictas quotidie patiebantur: populos contradicentes quotidie patiebantur inique viventes: & inter illos vivere cogebantur, quorum vitam quotidie reprehendebant. Hæc erat vindicta, nondum proficit, quia parva est.*

Huc spectat quod dicitur *Micheæ* 7.° = *Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei,*

ei, donec causam meam judicet, & faciat judicium meum = id enim aliud non indicat, quam Prophetam illum ob peccatum Divinæ ultionis effectum, per flagella tandiu sentire, quandiu Divina Justitia toleratis suppliciis compensaretur.

Prob. Conclusio quantum ad secundam partem ex variis Sacræ Scripturæ Locis, quibus ad bonorum operum subsidium, fructusque dignos pœnitentiæ faciendos, allicimur, & suademur. *Proverb.* 16. = *Misericordia & veritate redimitur iniquitas* = *Job.* 4. = *Eleemosyna ab omni peccato liberat* = & *Daniel.* 4. *Quamobrem Rex consilium meum placeat tibi, peccata tua eleemosynis redime* =. Certum autem est, meris eleemosynarum elargitionibus non emundari culpæ contagione fœdatos; adeoque sensus est, eleemosynis Deo pro pœna temporali satisfieri; idem enim significat redimere, quod satisfacere, ut observat *Bellarminus lib. de Pœnitent. cap.* 8. = *Habemus vocem redemtionis, quæ æquivalet voci satisfactionis; & si absurdum foret dicere nostris operibus satisfieri Deo pro peccatis, multo esset absurdius dicere, nostris operibus redimi peccata* = Quibusdam ergo bonorum operum exercitationibus redimi potest pœnæ temporalis reatus.

Hinc miramur *Dalleum lib. de Pæn. & satisfactionib. human.* respondere: verbum redimere in Locis allegatis, non veram satisfactionem aut redemtionem, quæ pretio soluto fiat, significare, sed simplicem liberationem, & quidem gratuitam, a Deo non concessam nisi sub conditione operum pœnitentiæ; quo sensu usurpari probat pluribus testimoniis. Miramur inquam; Socinianis quippe contra Christi satisfactionem insurgentibus, eademque responsione utentibus, non alia via occurrunt Calvinistæ, quam dicendo: verbum redimere juxta Sacræ Scripturæ phrasim pro vera satisfactione, pretiique solutione passim usurpari. Vel ergo ad Socinianorum principia Dalleus recurrit, vel quemadmodum quando dicitur: Christum nostra redemisse peccata, hoc de vera satisfactione pretiique solutione, juxta ipsummet Dalleum, intelligitur, ita, dum de bonis operibus idem asseritur, intelligendum est.

Aliam adhibet responsionem Calvinus, ut infringat vim authoritatum Sacræ Scripturæ, quas modo attulimus, & potissimum allatam ex *Danielis* 4. sermonem scilicet ibi institui de vera redemtione, seu compensatione, quæ, non ad debita cum Deo, sed potius cum subditis contracta, referatur; plura namque Nabucodonosor Rex a Subditis iniuste rapuerat, ad quæ solvenda Danielis voce indicitur redemtio, seu compensatio eleemosynis peragenda.

Sed quantum Calvinus divertat ab eo, quod intenditur mox laudato Sacræ Scripturæ loco, satis superque colligitur ex adductis in eodem capite Danielis. Demus Calvino, Regem illum alienorum bonorum usurpatorem extitisse; debitum tamen, quod illi redimendum hic suadetur, erat cum Divina Justitia contractum; præmiserat enim Daniel in somnij interpretatione, quod Deus se adversus Regem ostenderat ob ejus superbiam iratum & vindicem = *Hæc est interpretatio sententiæ Altissimi, quæ pervenit super Dominum meum Regem: eicient te ab hominibus, & cum bestiis ferisque erit habitatio tua, & fœnum ut bos comedes, & rore Cœli infunderis: septem quoque tempora immutabuntur super te, donec scias, quod dominetur Excelsus super Regnum hominum, & cuicumque voluerit, det illud* = ideoque ad eleemosynas elargiendas est adhortatus, ut Deum sibi redderet propitium; ac subdidit: *Forsan ignoscet delictis tuis*.

Eandem pœnæ temporalis Redemtionem probat quod legitur *Jonæ* 3. = *Crediderunt Ninivitæ in Deum, & prædicaverunt jejunium, & vestiti sunt Saccis a majori usque ad minorem* =, & deinde *cap.* 10 = *Et vidit Deus opera eorum, qui conversi sunt a via sua mala, & misertus est Deus super malitia, quam locutus fuerat, ut faceret eis* = En quomodo avertit iram suam, & vindictam Deus a Ninivitis, quam se facturum fuerat comminatus, ob jejunium atque cilicium.

Idem obtineri per quælibet opera pœnitentiæ, habetur *Ezechiel.* 18. ubi dicitur = *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & justitiam, vita vivet, & non morietur: omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor, in justitia sua, quam operatus est, vivet*.

Iis,

Iis, quæ mox ex Testamento veteri prolata sunt, adnecti potest hæc Christi sententia ad Judæos *Lucæ* 13. = *Nisi pœnitentiam egeritis omnes simul peribitis* = qua, indicta nobis fuisse pœnitentiæ ipsius opera, & pœnales exercitationes pro admissis criminibus, Sacræ ipsius Scripturæ Interpretes fere omnes, & Ecclesiæ Patres fatentur; opera enim pœnitentiæ Divinam præveniunt Justitiam, ne correptionem inducat pro merito culparum, quia vindicant in nobis reatum pœnæ nondum justificatione deletum, & ideo antea eosdem, & Sadducæos Dei Providentiam, vindicem Dei iram in impios, & gehennam negantes, per S. Joannem Baptistam Præcursorem suum Christus monuerat *Lucæ* 3. *Facite fructus dignos pœnitentiæ*, quibus verbis, non solum vitæ novitas, ac mandatorum Dei observatio significantur, ut volunt Heterodoxi, sed laboriosa opera ad puniendum peccata præterita, quæ feriam pœnitentiam indicant, atque ex animo vere pœnitendi proficiscuntur. = *Facite fructus dignos pœnitentiæ* (inquit *S. Chrysostom. Homil.* 10. *in Matthæum*, hoc laudatum Divi Joannis Baptistæ affatum exponens) *Fructificare poterimus, si utique peccatis adversa faciamus: verbi gratia aliena rapuisti? incipe jam donare propria. Longo es tempore fornicatus? a legitimo quoque usu suspendere conjugii, ac perpetuam continentiam sæpius paucorum dierum castitate meditare. Injuriam vel opere cuiquam vel sermone fecisti? refer benedictionis verba conviciis, & percutiens te nunc officiis, nunc etiam beneficiis placare contende: neque enim vulnerato sufficit ad salutem, tantummodo spicula de corpore evellere, sed etiam remedia adhibere vulneribus. Deliciis antea & tumulentia diffluebas? jejunio, & aquæ potu utrumque compensa*. Eodem modo loquitur *S. Gregorius Papa Homil.* 20. *in Evangel.* = *Notandum est*, inquit, *quod amicus sponsi non solum fructus pœnitentiæ, sed dignos pœnitentiæ admonet esse faciendos. Aliud nanque est fructum facere pœnitentiæ, aliud dignum pœnitentiæ fructum facere; ut enim secundum dignos pœnitentiæ fructus loquamur, sciendum est, quia quisquis illicita nulla commisit, huic jure conceditur, ut licitis utatur: sicque pietatis opera faciat, ut tamen si voluerit, ea, quæ Mundi sunt, non relinquat. At si quis in fornicationis culpam, vel fortasse, quod est gravius, in Adulterium lapsus est, tanto a se licita debet abscindere, quanto se meminit & illicita perpetrasse; neque enim par fructus boni operis esse debet ejus, qui minus, & ejus qui amplius deliquit, aut ejus, qui nullis & ejus qui in quibusdam facinoribus cecidit, & ejus qui in multis est lapsus. Per hoc ergo quod dicitur: Facite fructus dignos pœnitentiæ: unusquisque conscientia convenitur, ut tanto majora acquirat bonorum operum lucra per pœnitentiam, quanto graviora sibi intulit damna per culpam*.

Inter eosdem pœnitentiæ fructus, de quibus fit mentio in laudatis Evangelii Lucæ Authoritatibus enumerat S. Paulus 2. *Corinth.* 7. punire & vindicare pœnalibus operibus propria crimina = *& si contristavi vos*, inquit, *non me pœnitet: & si pœniteret, videns quod Epistola illa, & si ad horam vos contristavit, nunc gaudeo: non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam ..... Quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur: sæculi autem tristitia mortem operatur. Ecce enim hoc ipsum, secundum Deum contristari vos, quantam in vobis operatur sollicitudinem, sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam* = Cum ergo ad criminum vindictam prosint opera pœnalia juxta mentem Apostoli, dicendum est, iis Divinam Justitiam compensari.

Idem ostenditur ex Sanctis Patribus & Ecclesiæ Praxi.

Ad Catholica dogmata roboranda, atque Hæreticorum pervicaciam demonstrandam, magis quandoque prodesse Traditiones, quam Sacræ Scripturæ momenta, compertum est. *Adversus Hæreticos* (inquit, Tertullianus *lib. de Præscriptionib. adversus Hæretic.*) = *magis Traditionibus, quam Scripturis differendum* = Quinimo universim id ratum fixumque est ex D. Epiphanio, quisquis contra Traditiones a Patribus & ab Ecclesia ad nos transfusas novi aliquid importat, quantumcunque Scripturis confidat, ad peregrinas absurdissimasque sententias delapsurum. Vide Hæresim 77.

Existere vero reatum pœnæ temporalis post justificationem, nec non inesse operibus pœnalibus vim satisfaciendi Deo cum ipsomet satisfactionis vocabulo, quod permaxime oderunt Sectarii, apud Sanctos Patres tum Græcos tum Latinos, totamque Ecclesiam, firma sententia est & certa, ut ex Authoritatibus hic referendis constabit.

Divus Justinus Martyr *in Dialogo cum Tryphone* apertissime ostendit, non nisi per pœnitentiam peccata remitti, idque exemplo Davidis j m corde contriti confirmat = *Itaque*, ait, *si omnes, qui misericordiam a Deo consequi volunt, superioris vitæ pœniteat, id præstare possunt, eosque Beatos Scriptura appellat his verbis: Beatus est, cui Dominus peccatum non imputavit. Hoc autem significat, eum, quem scelerum suorum pœnituerit, peccatorum veniam atque remissionem accepisse a Deo, non ut vosmetipsos fallitis alitique nonnulli vobis similes, qui ex hoc conclu lunt, si peccatores sint, dummodo Dei notionem habeant, Dominum sibi peccata non esse imputaturum. Hoc declarat unum peccatum Davidis, quod propter gloriationem & superbiam suam admisit, quòd quidem tum denique remissum est, cum ita clamavit, & lamentatus est, ut Scriptura declarat. Quod si tali gratia delicti ante facta non est, quam cum illius pœniteret; sed cum hæc magno clamore pronunciavit magnus ille Rex, & Christus, & Propheta; quid est causæ, cur impurissimi flagitiosissimique & desperati, nisi lamententur, plangant, eosque pœniteat scelerum, Dominum sibi pecatum non esse deputaturum, sperare possint?*

Idem adstruit Tertullianus *lib. de Pœnitentia*: = *Quam porro ineptum est*, inquit, *pœnitentiam non adimplere, & veniam delictorum sustinere, hoc est pretium non exhibere, ad mercem manum mittere; hoc enim pretio Dominus veniam addicere instituit. Hac pœnitentiæ compensatione redimendam proponit iniquitatem* = ; Et *lib. de Baptismo* = *De præteritis*, inquit, *satisfacimus conflictione carnis, & Spiritus* =, & *cap.* 9. satisfactione descripta, asserit, ab ea Divinam indignationem averti; quod profecto aliud non est, quam pœnam a Deo peccatorum commissorum intuitu infligendam media satisfactione relaxari = *Itaque Exomologesis*, ait, *prosternendi & humilificandi hominis est disciplina, conversationem injungens misericordiæ illicem. De ipso quoque habitu atque victu mandat, sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere, illa, quæ peccavit, tristi tractatione mutare: cæterum pastum & potum pura nosse non ventris scilicet, sed animæ causa: plerumque vero jejuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari, & mugire dies noctesque ad Dominum Deum tuum, Presbyteris advolui & caris Dei adgeniculari, omnibus Fratribus legationes deprecationis suæ iniungere. Hæc omnia Exomologesis, ut pœnitentiam commendet, ut periculi timore Dominum honoret, ut in peccatorem ipsa pronuntians, pro Dei indignatione fungatur, & temporali afflictione æterna supplicia, non dicam frustrentur, sed expungat* = Deberent advertere Sectarii ea, quæ dictis operibus tribuit Tertullianus, non posse iis convenire, nisi vim satisfaciendi obtinerent.

A Tertulliano non discrepat Origenes; suadet enim congruam post vitæ superioris excessus Fidelibus pœnitentiam, quam putat, Diuinam prævenire vindictam, ne graviora illi ex Dei sententia compellantur subire supplicia = *Vides* (inquit, *Homil.* 3. *in Lib. Judicum*) *Misericordiam cum securitate miscentem, & ipsius pœnæ modum justa, & clementi libratione pensantem. Non in perpetuum tradit delinquentes, sed quanto tempore errasse te nosti, quanto tempore deliquisti, tanto nihilominus tempore humilia te ipsum Deo, & satisfacito ei in confessione pœnitentiæ. Non expectes, ut humiliet te Chusarsatom, & invito necessitas extorqueat pœnitentiam, sed ipse præveni tortoris istius manus: qui, si te ipse emendaveris, si te ipse correxeris, pius & misericors Deus, qui vindictam temperet ab eo, qui illam puniendo prævenit.*

Nusquam meminit S. Cyprianus *in Lib. de Lapsis* pœnitentiæ absque satisfactione, velut proprio charactere = *Confiteantur*, inquit, *singuli delictum suum, dum satisfactio & remissio per Sacerdotes apud Dominum grata est: convertamur ad Dominum mente tota, & pœnitentiam criminis veris doloribus exprimentes, Dei miseri-*

fericordiam deprecemur . Illi se anima prosternat, illi mæstitia satisfaciat; illi spes omnis incumbat = Deinde illorum temeritatem damnans, qui pacem lapsis non præmissa congrua satisfactione largiebantur, inquit = *Illa sola superest pœnitentia, quæ satisfaciat. Qui autem pœnitentiam criminis tollunt, satisfactionis viam claudunt: ita fit, ut dum de temeritate quorundam vel promittitur salus falsa vel creditur, spes veræ salutis adimatur* = Tandem ubi multis ostendit, Deum nostris laboriosis pœnitentiæ operibus placari, efficaciam satisfactionis commendat; unde destruitur Axioma, quo Heterodoxi contendunt, satisfactionem nulla penitus virtute pollere = *Qui sic Deo*, inquit, *satisfecerit, qui pœnitentia facti sui, qui pudore delicti, plus virtutis & Fidei de ipso lapsus sui dolore conceperit, exauditus & adiutus a Domino, quam contristaverat nuper, lætam faciet Ecclesiam; nec jam solam Dei veniam merebitur, sed coronam*= S. Hilarius Pictaviensis Episcopus idem asseruit quarto sæculo, quod S. Cyprianus tertio, exponens illud *Psalmi* 118. = *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei &c.* = *Hæc pœnitentiæ vox est*, inquit, *lacrymis ingemiscere, & per hanc confidentiam dicere: lavabo per singulas noctes stratum meum &c. Hæc venia est peccati, fonte fletuum flere, & longa lacrymarum imbre madefieri* = Operibus vero, quibus obtinetur venia peccatorum, inest vis satisfaciendi Deo pro poena temporali.

Iisdem fere coloribus, quibus D. Cyprianus & D. Hilarius Pictaviensis utuntur, pœnitentiam adumbrat D. Basilius Neocæsariensis Episcopus Homilia in hæc verba Moseos: *Attende tibi ipsi*= *Itaque*, inquit, *attende tibi ipsi, ut pro delicti proportione, hinc quoque mutueris ex admota tibi medela valetudinis instaurandæ subsidium. Magnum est & grave peccatum? multa opus habes confessione, lacrymis amarulentis, peracri contentione, vigiliarum indivulso & continenti jejunio. Levis est nec intoleranda offensio? hic quoque exequetur pœnitentia, tantum hoc est: attende tibi ipsi, ut internosse possis, recte ne, an secus valeas.*

Audiendus nunc S. Ambrosius, vel quisquis sit Author libri de pœnitentia ad Virginem lapsam, qui non suaderet laboriosæ pœnitentiæ opera post lapsum, nisi, ea ad solvendum debitum pœnæ temporalis plurimum prodesse, atque vim habere, ad compensandam injuriam Deo illatam per peccatum, sentiret = *In primis* (sic Virginem lapsam alloquitur) *vitæ hujus cura interimenda est, & quasi mortuam te existimans, sicut es, quomodo possis reviviscere cogita. Deinde lugubris tibi accipienda est vestis, & mens ac membra singula digna castigatione punienda. Amputentur crines, qui per vanam gloriam occasionem luxuriæ præstiterunt: defluant oculis lacrymæ, qui masculum simpliciter non aspexerunt: pallescat facies, quæ quondam viruit impudice. Denique totum corpus injuria maceretur, cinere aspersum & opertum cilicio perhorrescat, quia male tibi de pulchritudine placuit. Cor vero sit liquefactum sicut cera, jejuniis inquietans temetipsum, & cogitationibus ventilans, quare sit ab inimico subversum: sensus etiam crucietur, quia in membro corporis cum haberet dominationem, male cessit imperio. Talis vita, talis actio pœnitentiæ, si fuerit perseverans, audebit sperare, & si non gloriam* virginitati debitam, *certe pœnæ evacuationem* = Idem docuit D. Ambrosius *Lib. 7. in Lucam. cap. 9.* his verbis = *Sicut qui pecuniam solvunt, debitum reddunt, nec prius evacuatur fœnoris nomen, quam totius sortis ad nummum usque quocunque solutionis genere quantitas universa solvatur, sic compensatione charitatis, actuumque reliquorum, vel satisfactione quæcunque peccati pœna dissolvatur* = Hæc pariter habet S. Antistes *Lib. 2.° de Pœnitentia cap. 5.* = *Qui agit pœnitentiam, non solum diluere lacrymis debet peccatum suum, sed etiam emendatioribus factis operire & tegere delicta superiora, ut non ei imputetur peccatum. Ergo tegamus lapsus nostros posterioribus factis, mundemus fletibus, ut audiat Dominus noster ingemiscentes.*

His consentanea sunt quæ tradidit S. Hieronymus *Commentar. in Malach.* = *Qui peccator est*, inquit, *& quem propria conscientia mordet, cilicio pœnitentiæ accingatur, & plangat tam sua delicta quam Populi, atque iterum ingrediatur Ecclesiam, de qua fuerat ejectus, & cubet*

bet in sacco, ut præteritas delicias, per quas Deum offenderat, vitæ austeritate compenset = Clarius autem luce meridiana est, quod delicias, quibus Deus offensus est, compensare vitæ austeritate, idem profecto sit ac Deo satisfacere.

Ex S. Gregorio Papa in *Lib. Moralium* aliqua proferimus, ad controversiam, de qua agimus, dirimendam, maxime utilia. Ostendit Sanctus Pontifex *libr.4. Moral.* pœnitentiam debere commissis criminibus correspondere = *Si diem*, inquit, *quam peccati delectationem diximus, tot impeti precibus audivimus, ut videlicet circundantes fletus expient, quidquid delectatus per negligentiam animus deliquit, quanta animadversione hujus diei nox ferienda est, videlicet ipse consensus ad culpam? Tanto arctiori manu pœnitentiæ mens a pollutione tergenda est, quanto se per consensum conspicit sordibus inquinatum* = Et *Lib.9.cap.* 17. ex illo Job: *Scio quod non parceres delinquenti* = infert, peccatum impunitum remanere non posse ob maculam, seu reatum pœnæ in justis superstitem, vel Divinis correptionibus, vel pœnitentiæ operibus eradendum = *Delinquenti*, ait, *Dominus nequaquam peccato parcit, quia nullatenus sine vindicta laxatur. Sic David audire post confessionem meruit: Dominus transtulit peccatum tuum: & tamen multis post cruciatibus afflictus ac fugiens, reatum culpæ, quam perpetraverat, absolvit. Sic nos salutis unda a culpa primi Parentis absolvimur, sed tamen reatum ejusdem culpæ diluentes, absoluti adhuc carnaliter obimus: sciens quod non parceres delinquenti: quia delicta nostra sive per nos sive per semetipsum resecat, etiam cum relaxat. Ab Electis enim suis, inquit atum maculas studet temporali afflictione tergere, quas in eis in perpetuum non vult vindicare.*

Venio ad S. Isidorum Hispalensem, qui *Lib.2. de Divin: Offic. cap.16.* cum dixisset: Deum in pœnitentiæ actionibus, non tam temporis mensuram, quam dolorem attendere, eo quod cor contritum & humiliatum non spernat, addit = *Verumtamen quantum in peccando fuit ad malum propensior mentis intentio, tanto devotior debet esse pœnitudo.*

Sanctorum Patrum sententiis inhæret S. Bruno Carthusianus *cap. 12. in Epist. ad Roman.* his verbis = *Licet peccata dimittat Dominus, nulli tamen pœna remittitur, quin vel in hac vita, vel in futura solvatur, vel ab ipso homine spontanea voluntate, quod acceptius est, vel ab illo sibi inferente.*

Accedit S. Bernardus, qui præcedentium Patrum doctrina in hac re apprime eruditus, se ipsum ad fletus & jejunia excitat, superni Judicis sententiam declinaturus = *Unum est tamen, si nosmetipsos dijudicaverimus*, (inquit *Serm. 55. in Cantica*) *non utique judicabimur. Bonum judicium, quod me illi districto Divinoque judicio subducit, & abscondit. Prorsus horreo incidere in manus Dei viventis. Volo vultui iræ judicatus præsentari, non judicandus. Spiritualis homo omnia dijudicat, & ipse a nemine judicatur. Judicabo proinde mala mea, judicabo & bona; mala melioribus curabo corrigere actibus, diluere lacrymis, punire jejuniis, cæterisque sanctis laboribus disciplinæ. In bonis de me humiliter sentiam, & juxta præceptum Domini servum me inutilem reputabo, qui quod facere debui, tantum feci. Scrutabor egò vias meas & studia mea, quo is qui scrutaturus est Hierusalem in lucernis, nihil inscrutatum in me sine discussione inveniat; neque enim judicaturus est bis in idipsum. Quis mihi det, ita ad liquidum prosequi & persequi universa delicta mea, ut in nullo oporteat vereri oculos Capreæ, in nullo ad lumen contingat erubescere lucernarum?* Et profecto D. Bernardus ad luctuosæ pœnitentiæ exercitium tantopere non se excitaret, neque id Patres, quos superius memoravimus, labore tanto ac vi aliis commendarent, nisi, post reatum pœnæ æternæ, qui media justificatione aboletur, in justis ipsis debitum pœnæ temporalis operibus redimendum superesse, constantissime crederent.

Respondet tamen Calvinus *Institution. lib. 3. cap. 5. §. 38.* a veritatis tramite declinasse Patres omnes, quos, id opinatos fuisse, nec ipse audet negare = *Parum*, ait, *me movent, quæ in veterum scriptis de satisfactione passim occurrunt. Video quidem eorum nonnullos, dicam simpliciter, omnes fere, quorum libri extant, aut hac in parte lapsos esse, aut minus aspere & dure locutos.*

Æquum

Æquum tamen erat (quis non videat) & rationi accomodatius, ut Calvinus errores suos ex doctrina veterum Patrum corrigeret, quam ut ad culpam erroris sui defendendam, totius Ecclesiæ doctrinam, & unanimem Patrum sententiam reprobaret. Quam vero ineptum sit Calvini responsum, patet 1.° ex eo, quod fieri non potuit, ut nemo errorem illum per quindecim priora sæcula in Patribus non deprehenderit. 2.° Cum una omnium Patrum ea in re sententia sit, illud Tertulliani merito repetendum est = *Quod apud omnes unum est, non est erratum, sed traditum* = 3.° tandem, quia opere pretium erat eundem meminisse doctrinæ, quam in *citat. libr. cap.* 3. §. 15. omnino conformem menti Sanctorum Patrum tradiderat, videlicet sperare nos debere Deum propitium atque misericordem ob severiorem vindictam de propriis sceleribus a nobis susceptam, Divini judicii horrore excitatam; dixerat enim = *Postrema est vindicta, quo enim severiores in nos sumus, & acriori censura quæstionem habemus de peccatis nostris, eo sperare debemus magis propitium ac misericordem Deum. Et certe fieri non potest, quin anima Divini judicii horrore perculsa, partes ultionis in exigenda a se pœna occupet* = Quod sane Sanctorum Patrum sententiam de satisfactionis virtute demonstrat, dum nos per opera pœnitentiæ ad placandam iram Divinam alliciunt, evincitque eadem opera vim satisfaciendi Deo pro pœnis temporalibus obtinere.

Roboratur nunc eadem Doctrina, seu Dogma ex Praxi Ecclesiæ infligendi Peccatoribus pœnitentias salutares. Mos enim Ecclesiæ semper obtinuit, pœnalibus operibus eos, qui in Deum deliquerant, obligare, tum ad præterita peccata vindicanda, tum ad præcavenda futura, quantumvis ad statum gratiæ sive per contritionem, sive per absolutionem revocatos; quod certe concludenter evincit, & reatus pœnæ post justificationem non raro existentiam, nec non satisfactionis ad ejus remissionem utilitatem; & ideo monet Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 8. = *Habeant autem præ oculis Sacerdotes, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum vindictam & castigationem ad solvendum.*

Quatuor olim extitisse Pœnitentium classes, seu gradus, Fletum scilicet, Auditionem, Substrationem & Consistentiam ab iis, qui gravioribus criminibus publicis conscientiam suam fœdaverant, pœnalibus operibus percurrendas, supra in *Dissert. proœmiali Historic.* §. 2. dictum est, ex Epistola Canonica D. Gregorii Thaumaturgi Neocæsariensis Episcopi, ex alia Epistola Canonica D. Basilii Magni ad Amphilochium Iconii Episcopum, nec non ex ex Conciliis, cæterisque Patribus. Ita autem publicæ pœnitentiæ usus superioribus sæculis viguit, ut ad Apostolorum usque tempora pertingat. In interitum carnis, seu ad pœnitentiæ labores S. Paulum Apostolum incæstuosum Corinthium damnasse, ut spiritus salvus fieret, proindeque ut superioris vitæ scelera redimeret, habetur ex 1. *Corinthior. cap.* 5. §. 3. = *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens eum, qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis, & meo spiritu cum virtute Domini nostri Jesu, tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat in die Domini nostri Jesu Christi* = *Ut interimeret* (inquit D. Augustinus adversus Parmenianum scribens) *in se* incæstuosus Corinthius *sceleratam carnis concupiscentiam.*

Respondent Adversarii, non pertinuisse pœnitentias illas antiquas ad remissionem pœnarum, quæ peccatis debeantur, sed ad externam tantummodo Ecclesiæ politiam: ideoque pœnitentiæ aut satisfactionis nomine, merum ritum externum intelligi, quo pœnitentes Ecclesiam certiorem reddebant de sua conversione. = *Vocarunt* (inquit *Calvinus lib.* 3. *Institution. cap.* 4. §. 39.) *ut plurimum satisfactionem, non compensationem, quæ Deo redderetur, sed publicam testificationem, qua qui excommunicatione multati fuerant, cum in communionem recipi vellent, Ecclesiam reddebant de sua pænitentia certiorem; indicebantur enim illis pænitentiæ, certa jejunia & alia, quibus se prioris vitæ, vere & animo pertæsos esse, approbarent, vel potius priorum memoriam obliterarent: atque ita dicebantur non Deo sed Ecclesiæ satisfacere* = Eodem subterfugio se protegit Philippus Melancton in Apologia Confessionis Augustanæ

Art.

Art. de Confess. & satisfact., ubi dicit = *Scholastici viderunt in Ecclesia esse satisfactiones, sed non animadvertebant, illa spectacula instituta esse tum exempli causa, tum ad probandos hos, qui petebant recipi ab Ecclesia; in summa non viderunt esse disciplinam, & rem prorsus politicam.* Accedit, luctuosas corporis afflictationes, de quibus fit mentio apud Patres & Concilia, affecisse etiam Catechumenos; ut habetur ex *Epistol. Decretali* Siricii Papæ ad Hymerium Episcopum Terraconensem *cap.* 2. = *Generalia Baptismatis tradi convenit Sacramenta his dumtaxat electis, qui ante quadraginta, vel eo amplius dies nomen dederint exorcismis, quotidianisque orationibus atque jejuniis fuerint expiati* = & tamen nemo dixerit Catechumenos pro remissione pœnæ temporalis jejuniis aliisque pœnitentiæ operibus indigere; cum juxta doctrinam a Patribus receptam Sacramentale Baptismatis lavacrum regenerans homines, nihil ex commissis criminibus eis relinquat solvendum pro pœna temporali.

Sed licet hic sive oscitantiam, sive pertinaciam Hæreticorum notare. Primo enim apertissime liquet, Ecclesiam per pœnitentiam publicam, non tam exterioris ritus civilisque disciplinæ rationem habuisse, quam ad debitum satisfaciendi Deo pro peccatis attendisse. Non pigeat Sanctos Confessores vinculis pro Christi fide mancipatos audire ita loquentes in Epistola ad Cyprianum data, inter Cyprianicas XXVI., in qua pœnitentiæ publicæ finis ejusque consuetudo laudatur. = *Ubi pœnitentiæ metus relinquitur, si tam facile peccantibus venia præstetur? Fovendi sunt sane ipsorum animi, & ad maturitatis suæ tempus nutriendi, & de Scripturis Sanctis, quam ingens, & supra omnia peccatum commiserint, instruendi .... Eluendæ sunt igitur impio sacrificio manus inquinatæ, operibus bonis, & nefario cibo ora misera polluta, pœnitentiæ sunt vere sermonibus expianda, & in secretis cordis fidelis novellandus & consecrandus est animus: crebri pœnitentium gemitus audiantur; & iterum fideles ex oculis lacrymæ profundantur: ut illi ipsi oculi, qui male simulacra conspexerunt, quæ illicite commiserant, satisfacientibus Deo fletibus deleant* = Disertissime idem tradit S. Episcopus laudatus *serm. de Lapsis*: = Orare, inquit, *oportet impensius, justis operibus incumbere, quibus peccata purgentur: eleemosynis frequenter insistere, ut inde crimen & culpa redimatur. Si precem toto corde quis faciat, si veris pœnitentiæ lamentationibus & lacrymis ingemiscat, si ad veniam delicti sui Dominum justis & continuis operibus inflectat, misereri talium potest, potest Indulgentiam dare. Pœnitenti roganti, operanti potest Deus clementer ignoscere, potest in acceptum referre, quidquid pro talibus petierint Martyres, & fecerint Sacerdotes: vel si quis plus eum suis satisfactionibus moverit, si ejus iram, si indignantis offensam justa deprecatione placaverit; dat ille & arma rursum, quibus victus armetur, & reparat & corroborat vires, quibus fides instaurata vegetetur* =. Non vocaret S. Basilius publicam pœnitentiam ex Evangelio institutam, si ad civilem dumtaxat pertinuisset disciplinam = *Hæc omnia scribimus* = (inquit, variis statutis pœnitentialibus canonibus, in Epistola ad Amphilochium *Can.* LXXXIII.) *ut pœnitentiæ eorum fructus probetur; non enim hoc omnino tempore judicamus, sed modum pœnitentiæ attendimus. Quod si qui a propriis moribus non facile avellantur, & carnis voluptatibus potius quam Deo servire voluerint, vitamque ex Evangelio institutam non admittant, nulla est nobis cum illis communis ratio. Nos enim in inobediente & contradicente populo audire docti sumus: servans serva animam tuam* = Pœnitentiæ publicæ actionem suadet D. Augustinus peccatori ex Apostolo, ob manifesta flagitia, quæ non tam ut ad aliorum exemplum proficeret quam ut propriæ saluti consuleret. = *Quid ad Galatas* (ait *Homil.* I. *de utilitate & necessitate pœnitentiæ lib.* 50. *Homiliar.*) *idem Apostolus? Nonne talia enumerans eodem fine concludit? Manifesta sunt, inquit, opera carnis, quæ sunt fornicationes, immunditiæ, contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, hæreses, invidiæ, ebrietates, commessationes & his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Judicet ergo se ipsum homo in istis voluntate dum potest ..... veniat ad Antistites, per quos illi in Ecclesia Claves ministran-*

niſtrantur, *& tamquam bonus incipiens jam eſſe filius*, *maternorum membrorum ordine cuſtodito*, *a Præpoſitis Sacrorum accipiat ſatisfactionis ſuæ modum*, *ut in offerendo ſacrificio cordis contribulati*, *devotus & ſupplex id tamen agat*, *quod non ſolum illi proſit ad recipiendam ſalutem*, *ſed etiam cæteris ad exemplum* = Conſtat itaque ex Patribus, eas antiquas pœnitentias non fuiſſe ad ritum dumtaxat externum inſtitutas, quo Pœnitentes Eccleſiam cerſiorem redderent de ſua converſione, ut volunt Heterodoxi, ſed etiam potiſſimum, ut ſatisfactione Deo præſtita, veniam peccatorum obtinerent.

Quod vero Catechumeni prævie ad Baptiſmatis receptionem pœnitentialibus oneribus ſubderentur, id fiebat, ut efficax conciperent propoſitum non peccandi de cætero, depravatos corrigerent mores, atque habitus vitioſos eradicarent; ita tamen, ut ſi in vitæ diſcrimine conſtituti, poſt receptum Baptiſmatis Sacramentum convaluiſſent, ad pœnitentiæ onera non redirent. E contra ad pœnitentiam publicam damnati, ſi mortis periculum evaſiſſent, obtenta reconciliatione cum Deo & Eccleſia, adhuc tenebantur pœnitentiæ ſtadium explere = *Qui recedunt* (decrevit Concilium Arauxicanum *Can.* 1 I I.) *de Corpore*, *pœnitentia accepta*, *placuit ſine reconciliatoria manus impoſitione eis communicare*, *quod morientis ſufficit reconciliationi*, *ſecundum definitiones Patrum*, *qui hujuſmodi communicationem congruenter Viaticum nominarunt*. *Quod ſi ſupervixerint*, *ſtent in ordine Pœnitentium*, *ut oſtenſis neceſſariis pœnitentiæ fructibus*, *legitimam communionem cum reconciliatoria manus impoſitione recipiant* = Idem habetur ex *Concil. Nicæn. Can.* X I I I., & *Carthagin.* IV. *Can.* LXXVI. Quæ diſciplinæ diverſitas indicat, Patres etiam poſt reconciliationem in mortis periculo indultam iis, qui poſt Baptiſmum deliquerant, exiſtimaſſe, opera pœnalia neceſſaria eſſe, ut congrue Deo pro peccatis ſatisfacerent.

Solvuntur Argumenta, *quibus Heterodoxi probare nituntur*, *nunquam*, *peccato remiſſo*, *ſupereſſe Debitum pœnæ temporalis ſatisfactoriis operibus redimendum*.

Heterodoxorum contra noſtram & Catholicæ Eccleſiæ doctrinam argumenta ad duo capita reducuntur. Contendunt primo non ſupereſſe in Juſtificatis reatum pœnæ temporalis; ſecundo, noſtris operibus non ineſſe virtutem ad ſatisfaciendum Deo.

Obiiciunt 1.° Si juſtificatus foret debito pœnæ temporalis obnoxius, adhuc poſt juſtificationem, ex ſua impietate detrimentum ſubiret, contra id quod dicitur *Ezechiel.* 33. = *Impietas impii non nocebit ei*, *in quacumque die converſus fuerit* = & ad *Rom.* 8. *Nihil damnationis eſt iis*, *qui ſunt in Chriſto Jeſu* = Juxta ergo Ezechielis & Apoſtoli doctrinam, peccato quo ad culpam remiſſo, nihil ſupereſt, per quod juſtificatus Divinæ ultioni ſubdatur.

Reſp. Damnum illud, cui ſubeſt juſtificatus, eſſe mere temporale, cui profecto non adverſatur Ezechiel loco citato; vult enim duntaxat, peccatum lethale minime impediturum impium convertentem ſe ad Deum per actum Charitatis, ut vitæ æternæ beatitudinem conſequatur; & perſpicue colligitur ex illis verbis: *quia non vult mortem peccatoris*, *ſed ut magis convertatur & vivat*. Hanc eſſe legitimam illius authoritatis expoſitionem evincitur ex eo, quod pœnæ temporales, quibus Deus peccatum remiſſum caſtigat, nedum habent rationem vindictæ, ſed etiam remedii, quo Deus humanæ conditionis fragilitati medetur. = *Quando correptus* (inquit D. Auguſtinus *libro.* 22. *contra Fauſtum* loquens de Davide) *per Prophetam dixit*: *peccavi*: *continuo ad hoc verbum audire meruit*, *quod acceperit veniam*. *Ad quam rem*? *niſi ad æternam ſalutem*? *Neque enim prætermiſſa eſt in illo ſecundum Dei comminationem flagelli paterni diſciplina*, *ut & confeſſus in æternum liberaretur*, *& afflictus temporaliter probaretur*. *Intelligebat enim vir Sanctus*, *niſi Dominus eſſet confitenti*, *pœnitentique propitius*, *quantum pœnarum æternarum*, *ejus eſſent digna peccata*, *pro quibus cum temporalibus emendationibus urgeretur*; *videbat erga ſe*, *& manere veniam*, *&*

non

non negligi medicinam = . Insuper eodem sensu debent intelligi ea verba Ezechielis, quo ibidem alia leguntur de justo in lethale peccatum prolapso = *Justitia Justi non liberabit eum in quacunque die peccaverit* = Porro & Patres docent, & experientia suadet, quod quanquam ei opera prædicta ad vitam æternam non prosint, aliqua tamen temporali mercede non fraudentur. Quod ergo impietas justificato non noceat, minime evincit, quod idem pœnis temporalibus non subdatur, vel in hoc sæculo media satisfactione luendis, vel in Purgatorio.

Ad aliam Apostoli auctoritatem respondemus cum Estio, damnationem eo loci, vel mortem æternam vel mortis æternæ reatum significare. Tum quia Apostolus *cap.* 8. ejusdem Epistolæ ibi = *Quorum damnatio justa est* = & 13. = *Ipsi sibi damnationem acquirunt* = nihil aliud, quam æternam mortem, vel mortis æternæ reatum intelligit. Tum quia, ex eo quod aliquis spiritu serviat legi Dei, sola vero carne legi peccati, infert, in tali homine nihil remanere damnationis, vel morte dignum, ut qui post Baptismum Christo incorporatus est, jam non secundum carnem ambulet. = *Lex enim*, ait, *Spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me a lege peccati, & mortis* = Ubi ut vides, quod antea damnationem dixerat, nunc mortem vocavit; quam citra dubium æternam significat; cum, quod ad temporalem attinet mortem, testetur eodem capite, etiam in renatis fonte Baptismatis corpus mortuum esse, idest morti obnoxium propter peccatum.

Objiciunt 2.° nequit intelligi quomodo in homine contrito detur obligatio ad subeundam pœnam temporalem; siquidem culpæ reatus, unde hæc obligatio tamquam a causa originem trahere asseritur, ita aufertur, ut emundari unusquisque dicatur in Sacra Scriptura. *Jo.* 1.° *cap.* 1.° *Sanguis Christi filii ejus emundat nos ab omni peccato* =, & 1.ª *Chorinth.* 6. = *Hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, & in spiritu Dei nostri* = . Ablata autem causa, auferri effectum pariter necesse est, ac proinde in homine perfecte contritio nunquam datur obligatio subeundi pœnam temporalem.

Resp. In Moralibus, pereuntibus & cessantibus causis adhuc effectus permanere; in Baptizatis enim Originalis culpa non remanet, jam ablutis & emundatis Sacramenti virtute, & tamen adhuc pœnalitates ex ea prodeuntes perseverant. Sic ergo manet post justificationem homo obligatus ad pœnam, non quia pœnæ æternæ reatus persistat, sed quia pœna æterna, quæ ante justificationem peccato lethali debebatur, commutatur in temporalem. Eo vel maxime, quod, licet homo per justificationem mundatus & ablutus sit & dicatur a macula peccati, adhuc ordo Divinæ Justitiæ postulat, ut ille debito pœnæ temporalis subdatur, ac in se ipso puniat id, quod antea contra Legem Divinam comisit = *Ordo Justitiæ*: (inquit *D. Thomas* 3. *contra Gent. cap.* 158.) *hoc requirit, ut peccato pœna reddatur; ex hoc autem quod ordo servatur, in rebus sapientia Dei gubernantis apparet. Pertinet igitur ad manifestationem Divinæ bonitatis & Dei gloriam, quod pro peccato pœna reddatur: sed peccator peccando contra ordinem divinitus institutum facit, leges Dei prætergrediendo. Est igitur conveniens, ut hoc recompenset in se ipso puniendo, quod prius peccaverat; sic enim totaliter contra ordinationem constituetur. Per hoc ergo patet, quod postquam homo per gratiam remissionem peccati consecutus est, & ad statum gratiæ reductus, remanet obligatus ex Dei Justitia ad aliquam pœnam pro peccato commisso, quam quidem pœnam, si propria voluntate a se exegerit, per hoc Deo satisfacere dicitur, inquantum cum labore & pœna ordinem divinitus institutum exequitur, pro peccato se puniendo, quem peccando transgressus fuerat propriam voluntatem sequendo*.

Objiciunt 3.° Gratia Christi, quæ per dilectionis meritum humani generis redemtionem operatur; non minus proficit ad salutem liberando homines a culpa, quam egerit Adæ peccatum ad ruinam, eos inficiendo, qui ex ipso nascuntur. = *Non sicut delictum ita & donum* (inquit Apostolus *ad Rom.* 5.°) *si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit* = Quamobrem sicut per primum Adæ peccatum, mortem animæ, seu culpam pœnæque reatum con-

tra-

traximus, ita per gratiam, nec non meritum Christi resurgentes ad novam vitam, tam a culpa quam a pœna immunitatem obtinemus. Alias majus fuisset damnum ex demerito primi Parentis illatum, quam sit beneficium ex Christi redemtione derivans.

Resp. non dissimili argumento probari posse, mortem, aliasque vitæ præsentis calamitates esse a justificatis media gratia Christi ablegandas, ne minus profuit nobis obedientia Christi, quam attulerit detrimenti Adæ peccatum. Itaque quanquam pœna relinquatur post justificationem, adhuc verum est, magis nobis prodesse Christi gratiam ad salutem, quam Adæ peccatum nocuerit ad mortem, quia per inobedientiam Adæ, peccatum dumtaxat, ab eo ut capite humanæ naturæ commissum, potuit ad posteros traduci, secus vero peccatum, quod ab eo ut a persona particulari perpetratum fuit. Ex dilectione vero Christi ejusque obedientia, adeo uberem gratiam in nos profusam agnoscimus, ut ea nedum Originale peccatum, verum etiam quodcunque personale deleatur: = *Illud verbum Apostoli* (inquit D.Thomas authoritatem Apostoli prælaudatam exponens *quæst.89. art.2. in resp. ad 3.*) = *intelligitur de gratia Christi, quæ superat omnem abundantiam humanorum peccatorum* = Addimus: Adæ peccatum ita quantum ad culpam posteros infecisse, ut solum juxta communiorem sententiam pœnæ damni reatum induxerit, non verò pœnæ sensus. Ex merito vero Christi, gratiam in justificatione consequimur, dantem jus ad gloriam æternam, qua debitum pariter pœnæ sensus æternæ penitus extinguatur, ex peccatis personalibus ortum ducens.

Objiciunt 4° Peccatorum remissio fieri debet omnino gratis juxta Apostolum ad *Rom.3.* = *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemtionem, quæ est in Christo Jesu* = adeoque citra quamlibet ex parte nostra satisfactionem, quæ maxime gratiæ remissivæ adversatur; justificatio namque ex operibus fieret, si ad pœnæ temporalis veniam obtinendam actus nostri concurrerent. Ex quo legitime posset inferri, satisfacientem habere causam, unde posset gloriari, atque ab aliis non satisfacientibus se discernere. Rursus: debitum illud pœnæ temporalis in justificato perseverans media satisfactione redimendum, non cohæret orationi, quam æterno Patri nobis Christus *Matth.6.* fundendam commendavit, qua enixe postulamus, debita nostra relaxari, quemadmodum nos agimus cum Debitoribus, ibi = *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus Debitoribus nostris* = constat enim ita nos illatæ injuræ debitum vere condonare, ut nihil ab offendente repetamus in vindictam. Hinc si aliquis, in remittendo alteri injuriam, ita se gereret, ut vellet nihilominus offensorem suum supplicio perstringi, illi ex corde ignoscere minime censeretur. Cum ergo dici nequeat, Deum ex corde homini justificato, qui eum graviter offenderat, vere & proprie culpam non remisisse, dicendum est, tale debitum pœnæ temporalis in homine justificato nequaquam persistere.

Resp. peccatorum remissionem, quæ cum impiorum justificatione coincidit, importare transitum, quo homo de statu peccati lethalis ad habendam gratiam sanctificantem transfertur, ac a Diaboli servitute emancipatus, adoptivus Dei Filius evadit, atque hæres æternæ beatitudinis constituitur; quod quidem soli Divinæ misericordiæ reservatur, citra quodlibet meritum a peccatore conquisitum. Et hoc meritum excludere nititur Apostolus dicens, gratis homines justificari. Hoc communiter docent Theologi juxta mentem S. Augustini aliorumque Patrum, qui acerrime contra Pelagianos & Semipelagianos gratiæ necessitatem, & Catholicam justificationis veritatem propugnarunt: nihil scilicet eorum actuum, qui peccatorum lethalium remissionem præcedunt, obtinere rationem meriti ad eandem remissionem habendam. Nec aliud voluisse Apostolum, declarat Tridentinum *sess.6. cap.8.* his verbis. = *Cum vero Apostolus dicit: justificari hominem per fidem gratis, ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ Catholicæ consensus tenuit & expressit; ...... ut gratis justificari dicamur, quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera ipsam justificationis gratiam promeretur; si enim ex gratia fit, jam non ex operibus; alioquin, ut idem Apostolus inquit: gratia jam non est gratia* = Quæ autem nos de operibus pœnalibus pro

 redem-

redemtione debiti pœnæ temporalis diximus, doctrinæ Apostoli vel Tridentini non derogant, quia gratiæ sanctificantis infusionem, seu impiorum justificationem ea opera subsequuntur, atque ab illa ad pœnæ illius compensationem faciendam, valorem accipiunt; quapropter non sequitur in illis quemquam posse gloriari = *Neque enim* (ut loquitur Tridentinum *sess.* 14. *cap.*8.) *ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exolvimus, ut non sit per Christum Jesum; nam qui ex nobis, tamquam ex nobis nihil possumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia possimus, ita non habet homo unde glorietur, sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus* = Nec debitum illud pœnæ temporalis, pro quo justificati satisfaciunt, officit, quominus sincere dicere possimus Deo = *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus Debitoribus nostris* = quia quod post perpetrata crimina a Deo plectamur, non oritur ex odio, sed ex zelo Divinæ justitiæ; non raro quippe charitas Patris in Filium, Præpositi in servum pie sævit, ubi justitiæ leges exposcunt. = *Charitas* (inquit, D.Bernardus in *Epist.* 2.ª *Pie solet sævire, sine dolo mulcere, patienter novit irasci, humiliter indignari* = Et ideo exemplum allatum potest in Adversarios retorqueri; qui enim offensam patitur, aut in facultatibus aut in fama, vel in persona, potest ita offendenti injuriam remittere, atque lædentem in gratiam recipere, ut velit, ne patiatur detrimentum justitia, damnum sibi illatum reparari; & quanquam nequeat authoritate privata malum pro malo rependere, potest offendentem ad satisfactionem, vel ad pœnam Judicis authoritate compellere. Ita igitur Deus, qui non solum læsus, sed etiam Judex est, ut violata misericordiæ simul ac justitiæ jura quodammodo reparentur, misericordia motus culpam condonat, ac pœnitentes ad gratiam recipit, non tamen pœnam semper relaxat; ut peccator, qui ab ordine Divinæ Justitiæ legumque Divinarum peccando ceciderat, ad eum per pœnam temporalem reducatur, nihilque in Providentiæ Divinæ dispositione inordinatum appareat.

Objiciunt 5.º Non minor elucet gratiæ sanctificantis effectus, quum Impiorum justificatio Sacramentali confessione peragitur, ac quum Baptismali regeneratione completur; siquidem utraque in Christi passionem atque satisfactionem refunditur. Per gratiam autem in Baptismatis receptione communicatam, planum est, quamcunque pœnam exolvendam aboleri, nulla ex parte nostra præstita satisfactione. Quod evincit idem esse dicendum, quum quis virtute confessionis Sacramentalis justificationem assequitur.

Resp. 1.º hoc inter utramque justificationem intercedere discrimen, quod in ea, quam per pœnitentiæ Sacramentum obtinemus, aut in re susceptum aut in voto, Christo mediis actibus contritionis vel charitatis conjungimur; ideoque hujusmodi conjunctio, atque satisfactionis suæ applicatio, ut in plurimum, non est integra ac perfecta, ut debitum pœnæ temporalis citra propriam satisfactionem a nobis semper auferatur. Cæterum per justificationem, quam in Baptismate sortimur, independenter a nostris actibus Christo conjungimur, ac proinde perfecte & integre; unde a reatu etiam pœnæ temporalis absolvimur. = *Quia conjunctio nostri ad Christum in Baptismo*, (inquit, D. Th.4.*contra Gentes cap.*72.) *non est secundum operationem nostram, quasi ab interiori, quia nulla res se ipsam generat, ut sit, sed a Christo, qui nos regenerat in spem vivam, remissio peccatorum in Baptismo fit secundum potestatem ipsius Christi nos sibi conjungentis perfecte & integre, ut non solum impuritas peccati tollatur, sed etiam solvatur penitus omnis pœnæ reatus, nisi forte per accidens in his, qui non consequuntur effectum Sacramenti propter hoc, quod* ficte accedunt. *In hac vero spirituali sanatione* (nempe extra Sacramentum Baptismatis) *Christo conjungimur secundum operationem nostram Divina gratia informatam, unde non semper totaliter, nec omnes æqualiter remissionis effectum per hanc conjunctionem consequuntur. Potest enim esse conversio mentis in Deum, & in detestationem peccati tam vehemens, quæ perfecte remissionem peccati homo consequitur, non solum quantum ad purgationem culpæ, sed etiam quantum ad remissionem totius pœnæ; hoc autem non semper contingit; unde quandoque per contritionem amota culpa & reatu pœnæ æternæ soluto, ut dictum est,* re-

remanet obligatio ad aliquam pœnam temporalem, ut justitia Dei salvetur, secundum quam culpa ordinatur per pœnam.

Resp. 2.° gratiam Baptismalem esse per modum gratiæ regenerantis, ac per se remittentis peccatum Originale a primo Parente in posteros propagatum, & ex consequenti actualia propria voluntate commissa, homine prius existente in statu imperfecto ob privationem gratiæ sanctificantis, ac ut in plurimum etiam luminis fidei, unde Baptizati cum Christo commorimur, & consepelimur, efficimurque nova creatura in Christo spiritualiter regenerati. Congruum itaque est, ut qualibet culpa lethali remissa, quodcunque pœnæ debitum ex Divina ordinatione relaxetur, remanentibus dumtaxat quibusdam hujus vitæ pœnalitatibus atque defectibus. Gratia vero, quæ in pœnitentiæ Sacramento percipitur, se extendit ad remittenda peccata post Baptismum commissa, supponitque fidei illuminationem nec non regenerationem in Christo, adeoque est per modum medentis & sanantis culpam, non relaxantis omnem pœnam; seu ut inquit Origenes in *Homil.* 8. *Non tollens omnem cicatricem*. Unde Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 2.° docet. = *Alius est Baptismi, alius Pœnitentiæ fructus. Per Baptismum enim Christum induentes, nova prorsus in illo efficimur creatura, plenam & integram peccatorum omnium remissionem consequentes: ad quam tamen novitatem & integritatem per Sacramentum pœnitentiæ, sine magnis nostris fletibus, & laboribus, Divina id exigente Justitia, pervenire nequaquam possumus: ut merito Pœnitentia laboriosus quidam Baptismus dictus fuerit* = Et profecto æquum non est, illam vitæ novitatem ex integro tam faciliter ingratis restitui, *qui* (ut pergit *Tridentinum cap.* 8.) *semel a peccati & Dæmonis servitute liberati, & accepto Spiritus Sancti dono, scienter Templum Dei violare, & Spiritum Sanctum contristare non formidaverint*.

Objiciunt 6.° Concors est Sanctorum Patrum doctrina in ableganda satisfactione pro præteritis culpis. D. Joannes Chrysostomus Homil. de S. Philogono asserit, nihil aliud Deum a peccatoribus recenter justificatis exposcere, quam vitæ novitatem, atque efficax propositum non peccandi de cætero = *Ego testificor*, ait, *& fidejubeo, ut si nostrum quisque, qui peccatis obnoxii sumus, recedens a pristinis malis, ex animo vereque promittat Deo, se postea nunquam ad illa rediturum, nihil aliud Deus requirat ad satisfactionem ulteriorem* = Idem propositum corrigendi vitæ superioris excessus, rejectis pœnitentiæ operibus exponit in Homilia 28. *in prior. Epist. D. Pauli ad Corinth.* super illa verba = *Si nos metipsos dijudicaremus, non utique judicaremur*, ubi dicit = *Non inquit si puniemus, si supplicium de nobis sumemus, sed si dijudicaremus, hoc est, si nostra tantum voluerimus peccata cognoscere, si nos ipsos condemnare, si delictis ferre sententiam, liberaremur ab hujus, & futuri sæculi supplicio* = A D. Jo. Chrysostomo alienus non est S. Ambrosius, qui omnem excludit satisfactionem a D. Petro post Christi negationem. = *Lacrymas Petri lego* (inquit, *lib.* 10. *in Lucam cap.* 22.) *satisfactionem non Lego* = Chrysostomo & Ambrosio consentit Theophilactus super *caput* 4.^m *Epist. ad Ephes.* his verbis = *Non dixit Apostolus puniatur, qui furtum commisit, sed a malo deficiat; punire namque est fori judiciarii; dehortari a vitiis Christi doctrinæ* = Nullam ergo necessitatem satisfactionis Ecclesiæ Patres pro redimendis peccatis agnoscunt; ac per consequens in homine justificato non remanet pœnæ temporalis reatus.

Resp. cum Bellarmino in *Lib.* 4. *de Pœnit. cap.* 16. Chrysostomum in Homilia laudata de S. Philogono satisfactionem sumere pro excusatione, & sensum esse: Deum non requirere, ut peccatum defendamus vel excusemus, & rationem reddamus, cur hoc aut illud fecerimus, sed satis illi esse, si simpliciter confiteamur peccatum, & promittamus nos de cætero non peccaturos; dixerat enim paulo ante = *Discede a malo, virtutem amplectere, desiste a pravitate: pollicere te posthac ista non commissurum; & istud sufficiet ad excusationem* = Nec aliter potuit sentire Sanctus Antistes, qui in eadem Homilia satisfactionem docuerat, idest, opera laboriosa requiri ad placandam Dei vindictam, vel certe eorum propositum, si temporis angustiis ea haberi non possint = *Proinde*, inquit, *& tu quibus rebus provocasti Deum, per has rursus satisfacito. Provocasti illum pecuniarum rapina, per cas-*

easdem illum reconcilia; cumque & rapta restitueris, & alia insuper addideris, dicito juxta Zachæum: Reddo, si quid rapui, quadruplum. Provocasti linguæ maledicentia, multis contumelia affectis, vicissim lingua placato, puras emittens preces, benedicens maledicentibus, laudans vituperantes, gratias agens injuriam inferentibus. Hæc non egent multis diebus annisve, sed solo animi proposito unico die perficiuntur = In alio vero loco citato super priorem D. Pauli *Epist. ad Corinth.* dicimus, velle eundem S. Antistitem solam contritionem cum proposito non peccandi de cætero sufficere ad remissionem offensæ Dei & reatus pœnæ æternæ. Alias si loco citato pœnalium operum jugum excluderet, ut volunt Heterodoxi sibi esset contrarius; eandem enim Apostoli authoritatem in *Homil.* XLII. *in Matth.* exponens, satisfactionem his verbis commendat = *Audi Paulum dicentem: quod si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur. Et quonam modo, inquies, a me ipso rationes vivendi, & supplicium exigam? Largos lacrymarum effunde fluvios, laboribus & vigiliis te ipsum affige* = Id quod mox diximus pro expositione D. Chrysostomi in Homil. de S. Philogono, solvit quod ex D. Ambrosio objectum est; constat enim eo loci apertissime satisfactionis vocabulum usurpasse pro defensione seu excusatione, ac declarasse, D. Petrum Apostolum non excusasse suum crimen, sed agnovisse, & pro ejus expiatione lacrymas fudisse = *Maluit*, inquit, *ipse suum accusare peccatum, ut justificaretur fatendo, quam gravaretur negando. Non invenio quid dixerit, invenio quod fleverit: lacrymas ejus lego, satisfactionem non lego; sed quod defendi non potest, ablui potest.* Ad Theophilacti authoritatem dicendum est, eum loqui de punitione secundum jus civile, non vero secundum Divinæ Justitiæ legem.

Objiciunt 7.° Christus, qui (ut inquit Apostolus 1. *ad Chor. cap.* 1.) cruore perfuso factus est pro nobis Justitia, adeo uberem satisfactionem pro nostris criminibus exolvit, ut ea quodcunque debitum sive culpæ, sive pœnæ superexcesserit; unde illud Job *cap.* 6. = *Utinam appenderentur peccata mea, & calamitas, quam patior in statera, quasi arena maris hæc gravior appareret* = exponitur de Christo, qui etsi peccatum non fecerit, tamen peccata nostra portavit; & sensus est: si cunctæ hominum culpæ cum mea passione conferantur, hæc superabundans apparebit. Accedit: consonum non esse immensæ, atque infinitæ charitati Christi, eum voluisse, mediis nostris operibus, ad debitum pœnæ temporalis suæ satisfactionis beneficium extendere = *Quæso* (inquit Calvinus *lib.* 3. *Instit. cap.* 4. §. 29.) *quid præstitisset nobis Christus, si adhuc pro peccatis pœna exigeretur? nam cum dicimus eum peccata nostra pertulisse super lignum, non aliud significamus, quam defunctum pœna, & vindicta, quæ peccatis nostris debebatur* = Non ergo superest in homine post justificationem aliquis pœnæ temporalis solvendæ reatus.

Resp. Christum æqualem, ac omnino de condigno satisfactionem pro reparatione humani generis obtulisse, atque seclusо quocunque opere pœnali, ab hominibus peragendo, illos potuisse, a debito tam culpæ quam pœnæ liberare; noluisse tamen satisfactionem suam nobis quoad efficaciam prodesse, nisi mediis nostris actibus; ideoque Christi satisfactio ad redemtionem utriusque debiti culpæ scilicet, & pœnæ per modum causæ universalis concurrit, quæ non refugit, imo requirit causæ particularis, nempe nostrorum actuum consortium, eorundem supplens imperfectionem; quod profecto Divinam commendat justitiam; æquum enim erat, ut ii, qui deliquerant, pœnæ alicujus debitum sua satisfactione persolverent; quapropter Apostolus in Epistola *ad Coloss. cap.* 1. ait = *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore ejus quod est Ecclesia* = non vero quæ desunt passionum Christi ipsi Christo; nihil quippe deesse poterat eidem, ob eximiam meritorum excellentiam, bene vero ex parte membrorum, quia, ut pretium redemtionis nostræ Christi Sanguine comparatum Fidelibus applicaretur, opus erat aspera, ac dura eos humiliter sustinere, ut per opera pœnalia passioni Christi conformarentur juxta monitum Christi Matthæi 16. = *Si quis vult venire post me venire abneget semetipsum: tollat crucem suam, & sequatur me* =. Quod pariter hortatur D. Petrus in sua *Epist.* 2. *cap.* 21. dicens = *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens*

quens

quens exemplum, ut sequamini vestigia ejus = Et ideo Tridentinum ita de satisfactione loquitur *sess.* 14. *cap* 8. = *Accedit ad hæc, quod dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra satisfactio est, conformes efficimur* = Hinc, Christum noluisse humanum genus ab onore satisfactionis eximere, tantum abest quod immensam ejus minuat charitatem, quin potius extollat; impius enim relicta via iniquitatis coram Deo procidens, faciemque ejus pœnitentiæ gemitibus præveniens, ita perpessiones suas cum Christi passione conjungit, ut æternam promereatur beatitudinem, dicente Apostolo *ad Roman.* 8. v. 17. = *Si tamen compatimur, ut & conglorificemur* = imo, quo majores fuerint perpessiones & satisfactiones, eo erit uberius promeritæ beatitudinis incrementum.

Objiciunt 8.° Peccatores, quos Sacra Scriptura justificatos commemorat, nihil habuerunt pœnæ temporalis exolvendum, ut patet in S. Maria Magdalena, quæ ne inposterum de anteactæ vitæ criminibus foret sollicita, ab ore Christi audire promeruit *Luc. v.* 50. = *Vade in pace* = Insuper Latro ille, qui Christum in Cruce pendentem verum Deum agnovit, plenam peccatorum veniam, ac æternæ beatitudinis præmium obtinuit: ut habetur *Luc.* 23. v. 43. = *Hodie mecum eris in Paradiso* = idque de Zachæo, aliisque ex Publicanis ad Christi sequelam vocatis, tradunt nonnulli Doctores. Idem ergo dicendum est de aliis peccatoribus justificatis per gratiam.

Resp. 1.° exemplis adductis probari non posse, quod ab Heterodoxis contra Catholicæ veritatis assertores contenditur. Quis enim negat, Christum pro arbitrio culpam, & omnem pœnam remittere potuisse? Quis novit, an pœna solum æterna cum culpa remissa fuerit? Quis audeat dicere eos peccatores bonis operibus fletu, & acerbissimis doloribus æquo animo toleratis, Deo minime satisfecisse?

Resp. 2.° nos non negare, imo admittere, quandoque propter contritionem ortam ex perfectissima conversione in Deum summe dilectum, pœnæ reatum in ipsa justificatione in totum auferri, quod in S. Maria Magdalena contigisse, non obscure innuitur loco citato = *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum* = & declarat D. Thomas *in* 3. *p. quæst.* 86. *art.* 5. *in resp. ad* 1. = *Dicendum*, inquit, *quod Deus totum hominem perfecte curat, sed quandoque subito; sic Socrum Petri statim restituit perfectæ sanitati, ita ut surgens ministraret illis, sicut dictum est de Cæco illuminato Marc.* 8., *& ita etiam Spiritualiter quandoque tanta commotione convertit cor hominis, ut subito perfecte consequatur sanitatem spiritualem, non solum remissa culpa, sed sublatis omnibus peccati reliquiis, ut patet de Magdalena Lucæ* 7.° *Quandoque autem remittit culpam per gratiam operantem, & postea per gratiam cooperantem successive tollit peccati reliquias* = Eandem plenam culparum remissionem obtinuisse Latronem cum Christo in Cruce pendentem, non negamus, sed vel ob contritionis fervorem, vel ob præclaram, & & singularem Filii Dei confessionem, quum Christus a Judæis illudebatur; quam ita S. Augustinus commendat *Serm.* 44. *de temp.* = *Recolamus fidem Latronis, quam non invenit Christus post resurrectionem in discipulis suis. Pendebat in Cruce Christus, pendebat & Latro. In medio ille, illi a lateribus. Insultat unus, credit alter. Judicat medius ille. Ille enim qui insultabat, hoc dixit: si Filius Dei es libera te. Et alius ad illum: tu non times Deum. Si nos propter facta nostra merito patimur, ipse quid fecit? & conversus ad eum: memento, inquit, mei Domine dum veneris in Regnum. Magna fides, huic fidei quid addi potest ignoro. Titubaverunt, qui viderunt Christum mortuum suscitantem; credidit ille, qui videbat secum in ligno pendentem. Quando illi titubaverant, tunc ille credidit, quando ille fructum de arido ligno percepit. Quid enim Dominus dixerat tibi? Hodie mecum eris in Paradiso. Tu differs te, ego agnosco te. Quando hoc speraret Latro adductus de latrocinio ad Judicem, a Judice ad Crucem, de Cruce ad Paradisum? Deinde ipse attendens merita sua, non dixit: memento mei, ut liberes me hodie, sed cum veneris in Regnum tuum, tunc memor esto mei. Et ille* (nimirum Christus) *non sic invasisti Regnum Cælorum, vim fecisti, credidisti, rapuisti: hodie mecum eris in Paradiso: non te*

te differo, tantæ fidei hodie reddo quod debeo. Latro dixit: memento mei Domine cum veneris in Regnum tuum: non solum credebat resurrecturum, sed etiam regnaturum. Maximam in Zachæo contritionem de propriis culpis agnoscimus ex promta voluntate ablata restituendi in quadruplum *Lucæ* 19. = *Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus, & si aliquem defraudavi, reddo quadruplum* = unde mirum non est, quod completam tam culparum quam pœnarum temporalium remissionem obtinuerit.

ARTICULUS II.

De conditionibus requisitis, ut opus aliquod pro pœna temporali, peccatis jam quantum ad culpam remissis, debita satisfactorium sit.

PLURA sunt, de quibus solet disputari, an necessario requirantur, ut opera nostra propriæ satisfactionis rationem obtineant? De his omnibus hic agendum est; sed ut claritati, nec non distinctioni consulamus, ea omnia pluribus Conclusionibus exponemus.

Conclusio 1. Ut opera nostra sint satisfactoria exigitur libertas vel contrarietatis, vel contradictionis.

Prob. 1.° auth. *D. Thomæ*, qui in *Supplem. 3. partis quæst.* 13. *artic.* 1. *ad* 2. objiciens sibi, reperiri non posse satisfactionem in hominibus, ratione dominii, quod habet Deus supra creaturas, hæc habet. = *Dicendum, quod homo, qui ad imaginem Dei factus est, aliquid libertatis participat, inquantum est Dominus suorum actuum per liberum arbitrium; & ideo hoc, quod per liberum arbitrium agit, Deo satisfacere potest: quia quamvis Dei sit, prout a Deo est, sibi concessum, tamen libere ei traditum est, ut ejus Dominus sit, quod servo non competit* = Ergo juxta mentem D. Thomæ libertas contrarietatis, vel contradictionis exigitur ut opera nostra sint satisfactoria.

Prob. 2.° Satisfacere pro pœna temporali, est pœnam assumere ad compensandam injuriam Deo illatam, proindeque ad Divinam iram placandam, inito quodammodo inter satisfacientem & Deum hoc contractu: *Tolero ut ignoscas: exolvo ut inposterum debitum relaxando nihil exigas* = Hoc autem fieri non potest circumscripto dominio voluntatis super actus tolerantiæ, & solutionis Divinæ majestati oblatos, ac per consequens sine libertate contrarietatis, vel contradictionis; eo pari modo quo, ut Petrus debitum pecuniarum cum alio contractum exolvat, aut extinguat, opus est, ut pecunias dumtaxat ad hunc effectum impendat, quæ extant sub ejus dominio. Requiritur ergo, ut opera satisfactoria sint, alterutra ex dictis libertatibus.

Dices. Flagella, quibus a Deo plectimur in hac vita, nobis libera non sunt; non raro siquidem ea inviti ac reluctantes subire compellimur, & tamen certum est iis satisfacere quemlibet posse; ut testatur Tridentinum *Sess.* 14. *cap.* 9. his verbis := *Tantam esse Divinæ magnificentiæ largitatem, ut non solum pœnis, sponte a nobis pro vindicando peccato susceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis, sed etiam quod maximum amoris argumentum est, temporalibus flagellis a Deo inflictis, & a nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem satisfacere valemus* = & *can.* 13. = *Si quis dixerit, pro peccatis quoad pœnam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel a Sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis &c. anathema sit*.

Resp. duplici modo posse flagella a Deo nobis immissa considerari. Primo quantum ad immissionem, ac eorum esse vel non esse. Secundo quantum ad acceptationem, ac tolerantiam. Primo modo sicut libera non est eorum perpessio, ita nec ea nobis immissa vim obtinent ad satisfaciendum. Secundo vero modo, si patienter acceptentur, & æquo animo ferantur, libera nobis sunt, tum ratione actus interioris, quo illa libenter suscipimus, & æquo animo toleramus, tum ob actum ipsum exteriorem ipsam videlicet perpessionem patienter acceptatam, atque toleratam; & hoc modo, cum cadant sub voluntatis dominio, nisi aliæ desint conditiones, sunt satisfactoria. Nec Tridentinum loco citato docet

docet oppositum, quinimo nostram confirmat Conclusionem, quia non asserit, Deo nos temporalibus flagellis quomodocunque susceptis satisfacere, *sed patienter toleratis*, adeoque actu voluntatis libero concurrente. Quod etiam tradit *D.Thom. in supplem. 3. partis quæst. 15. art. 2. in Corpore* = *Si flagella*, inquit, *quæ pro peccatis a Deo infliguntur, fiant aliquo modo ipsius pœnitentis, rationem satisfactionis accipiunt; fiunt enim ipsius, inquantum acceptat ad purgationem peccatorum, eis utens patienter: si autem eis per impatientiam dissentiat, tunc non efficiuntur aliquo modo ipsius, & ideo non habent rationem satisfactionis, sed vindicationis tantum.* = Et in responsione ad primum addit = *Quamvis illa flagella non sint omnino in potestate nostra, tamen quantum ad aliquid sunt, ut scilicet eis patienter utamur, & sic homo facit de necessitate virtutem, unde & meritoria & satisfactoria esse possunt.*

Conclusio 2.ª Ut opera nostra sint satisfactoria, debent esse honesta.

Prob. 1.º Satisfactio exhibita ad pœnæ temporalis compensationem debet cedere in honorem & obsequium Dei = *Si quis dixerit* (ita statuit Tridentinum *sess.* 14. *can.* 14.) *satisfactiones quibus pœnitentes per Christum Jesum peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed traditiones hominum, doctrinam de gratia, & verum Dei cultum, atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes, anathema sit* = Opera vero nostra si honestatem non obtineant, ad Dei cultum, de quo loquit. Tridentinum conducere non valent = *Recompensatio offensæ* (inquit Angelicus Præceptor in *supplem. 3. partis quæst. 15. art. 1. in corp.*) *importat adæquationem, quam oportet esse ejus, qui offendit, ad eum, in quem offensa commissa est. Adæquatio autem in humana justitia attenditur, per subtractionem ab uno, qui plus habet justo, & additionem ad alterum, cui subtractum est aliquid. Quamvis autem Deo, quantum est ex ejus parte, nihil subtrahi possit, tamen peccator, quantum in ipso est, aliquid ei subtraxit peccando, ut dictum est. Unde oportet ad hoc quod recompensatio fiat, quod aliquid subtrahatur a peccante per satisfactionem, quod in honorem Dei cedat* = Ergo ut opera nostra satisfactoria sint debent esse honesta.

Probatur 2.º Ut opera nostra sint satisfactoria, opere pretium est, ea ordinarii ad redimendam deordinationem inductam per culpam, ut id, quod in vindictam a lege Divinæ justitiæ taxatum est, locum habeat. Porro opera quæ mala, aut indifferentia sunt in linea morali, ad hunc finem ordinari non possunt. Mala enim novam inordinationem, novumque pœnæ reatum inducunt; quapropter sicut nemo sanæ mentis asserit, unum alteri pro irrogata injuria satisfacere, si offensæ offensam cumularet = *Sicut nec homini satisfaceret* (inquit D.Thom. in *supplem. 3. part. quæst. 14. art. p.º in Corp.*) *qui pro alapa ei data se prosterneret, & aliam ei simul daret* = ita nec operibus malis potest Deo pro pœna temporali satisfieri: indifferentia vero quanquam deordinationem in linea morali non afferant, tamen Deo non placent, adeoque nec possunt ordinari ad redimendam deordinationem inductam per culpam. Ergo opera, quæ honestate carent satisfactoria esse non possunt.

Conclusio 3.ª Ut opera nostra sint satisfactoria, debent esse honesta honestate supernaturali.

Probatur Volontaria pœnæ temporalis compensatio est effectus meritorum Christi, cui in satisfaciendo conformamur, ut docet Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 8. his verbis = *Accedit ad hæc, quod dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur* = Quod autem ita procedit ex meritis Christi, ut eidem in satisfaciendo nos reddat conformes, necessario debet honestate supernaturali gaudere. Itaque, ut opera nostra satisfactoria sint, debent esse honesta honestate supernaturali.

Conclusio 4. Ut opera nostra sint satisfactoria debent esse pœnalia.

Prob. 1.º Concilium Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 8. opera satisfactoria vocat = *Pœnas satisfactorias* = & *can.* 3. = *pœnas sponte susceptas, vel a Deo inflictas, vel a Sacerdote injunctas* = Ergo juxta mentem Tridentini opera satisfactoria debent esse pœnalia.

Prob. 2.º ex Patribus pro Conclusione dubii antecedentis relatis, qui omnes unanimi

nimi calculo contestantur, satisfactionem, ad culparum remissionem obtinendam, fieri debere per opera afflictiva & punitiva. Ergo opera satisfactoria debent esse pœnalia.

Prob. 3.° ex Catechismo Rom. *part. 2. cap. 5. n.78.* qui de requisitis ad satisfactionem loquens ait = *Alterum est, ut cujusmodi opera suscipiantur, quæ natura sua molestiam & dolorem afferant; cum enim præteritorum scelerum compensationes sint, atque ut Sanct. Cyprian. Martyr. lib. 1. Epist. 13. post medium ait: redemptrices peccatorum, omnino necesse est, ut aliquid acerbitatis habeant; (quanquam non semper illud consequantur) ut qui se in illis molestis actionibus exercent, doloris sensum habeant: sæpe enim vel patiendi consuetudo, vel accensa in Deum charitas efficit, ut quæ perpessa gravissima sunt, ne sentiantur quidem. Nec tamen idcirco fit, quominus ea ipsa opera satisfaciendi vim non habeant; siquidem hoc proprium est Filiorum Dei, ita ejus amore, & pietate inflammari, ut acerbissimis laboribus cruciati aut nihil incommodi sentiant, aut omnia lætissimo animo perferant* =. Opera autem quæ molestiam & dolorem afferunt, sunt opera pœnalia. Itaque, ut opera nostra satisfactoria sint, debent esse pœnalia.

Conclusio 5. Ad opera satisfactoria exhibenda necessario exigitur status viæ.

Probatur 1.° Ex illo Ecclesiastis 9.° = *Quodcunque potest agere manus tua instanter operare, quia nec opus nec ratio, nec sapientia nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas* =; ac si diceretur: tempus ad satisfaciendum Divina ordinatione hominibus præstitutum, solum est in hac vita, quæ habet rationem viæ, non in futura, ut exponunt Glossa, & D. Gregorius *lib.4. Dialogor cap.39.* Rursus ex Ecclesiastici 14. habetur = *Ante obitum tuum operare justitiam quia non est apud inferos invenire cibum* = hoc est satisfactionem, vel tempus reddendi Deo quod debetur, ut communiter explicant Doctores. Status ergo viæ exigitur, ut opera nostra satisfactoria sint.

Prob. 2.° Hujus vitæ tempus concessum est ad obtinendos fructus ex Divina gratia comparandos, inter quos pœnæ temporalis remissio recensetur; quandiu enim homo vivit, est quasi in certamine ac palestra, juxta illud *Job. 7.°* = *Militia est vita hominis super terram* = in alia verò vita si pœnæ debito tenetur obnoxius, quasi in carcere multatur, ut unusquisque recipiat, prout gessit in corpore. Ergo satisfactio locum non habet extra statum viæ.

Prob. 3.° Opera satisfactoria debent esse simul meritoria = *Satisfactio* (ait D. Thomas *in 4. dist. 17. quæst. 2. art. 4. in resp. ad 3.*) *opus meritorium requirit* = quod profecto statum exposcit proficiendi, nec non acquirendi mercedem. Status autem proficiendi extra viam haberi non potest, utpote qui est status exeuntis de potentia in actum, & ejus, qui nondum terminum est assecutus. Ergo sicut meritum non habetur extra statum viæ, ita neque satisfactio.

Ex quo Colliges 1.° Pœnam Animabus in Purgatorio detentis inflictam dici non posse in rigore satisfactionem; quanquam enim dictæ Animæ libenter acceptent, ac ferant supplicium pro reatibus, seu debitis in hac vita contractis, ac nondum solutis, opera tamen meritoria nequeunt peragere = *Dicendum* (inquit D. Thomas loco prælaudato) *quod pœna illa, quam animæ in Purgatorio sustinent, non potest dici satisfactio; quia satisfactio opus meritorium requirit. Sed largo modo dicitur satisfactio debitæ pœnæ solutio.*

Colliges 2.° Statum viæ, quem diximus necessarium ad satisfaciendum, usque ad instans separationis animæ a corpore perdurare; idque præter superius adducta, illud *Apostoli 2. ad Corinth. cap. 5. n. 6.* optime probat = *Dum sumus in corpore peregrinamur a Domino; per fidem enim ambulamus* = ubi ut vides, statui peregrinationis, qui cum statu viæ coincidit, assignatur tempus, quo sumus in corpore & operamur per fidem, & non amplius. Idem habetur *Ecclesiastis 11. n. 3.* = *Si ceciderit lignum ad Austrum aut Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit* = nempe in quo statu mors hominem invenerit, in eo permanebit, & amplius locus non erit satisfactioni.

Conclusio 6.° Ut opera nostra sint satisfactoria debent necessario fieri in statu gratiæ.

Prob. 1.° ex dictis in tertia probatione quintæ Conclusionis; meritum enim, quod indispensabiliter satisfactionem comitatur, haberi non potest nisi in statu gratiæ, ut docent communiter Doctores, ac per consequens neque satisfactio.

Prob.

Prob. 2.° authoritatibus Sacræ Scripturæ; *Isaiæ* enim 58. *v.* 3. habetur, jejunium illorum, qui nondum a peccati lethalis macula conscientiam purgaverant, non acceptari a Deo pro pœnæ temporalis satisfactione = *Quare jejunavimus, & non aspexisti; humiliavimus animas nostras, & nescisti? Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis* = Ecclesiastici 34. *v.* 23. = *Dona impiorum non probat Altissimus, nec respicit in oblationes iniquorum, nec in multitudine sacrificiorum, eorum propitiabitur peccatis* = & 1. *Corinth. cap.* 13. *v.* 3. = *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest* =. Dominum victimas, & dona impiorum non approbare, abominari, aliaque opera, alias pia, extra statum charitatis facta nihil prodesse, verba sunt, quæ manifeste declarant, opera in statu peccati lethalis exercita, a Deo ad satisfactionem minime acceptari; alias, ea a Deo probarentur, plurimumque peccatoribus proficerent, si remissionem pœnæ temporalis obtinerent. Ergo ut opera nostra sint satisfactoria, necessario fieri debent in statu gratiæ.

Prob. 3.° ex Tridentino *sess.* 14. *cap.* 8. in quo habetur = *In Christo vivimus, meremur, & satisfacimus facientes fructus dignos pœnitentiæ* = ubi nota, prius dici, nos vivere in Christo, deinde mereri, & satisfacere; nemo autem in Christo potest vivere nisi in gratia & charitate constitutus. Ergo nemo potest opera satisfactoria peragere nisi in statu gratiæ.

Objicies 1.° Quod opera sint vere punitiva culpæ, & pœnæ solutiva, non tam ad operantis dignitatem, quam ad qualitatem operis operati respicitur; si enim quis ratione delicti pœnam a lege taxatam incurreret, quod ei manus abscinderetur, tolerato hoc supplicio, citra dubium pœnæ debitum exolveret: vel alteri debens centum aureos, si totidem restitueret, ad nihil aliud teneretur; quanquam aut Regis decernentis pœnam, aut debitoris foret inimicus. Maxime quia pœna temporalis a peccatore solvenda in quolibet statu consideretur, est ejusdem omnino conditionis, nec minor evadit per conjunctionem ad gratiam, nec major per conjunctionem ad peccatum. Non ergo necessario requiritur status gratiæ, ut opera nostra satisfactoria sint.

Resp. delinquentem, cui in pœnam delicti manus amputaretur, puniri, & satispati, non vero proprie loquendo satisfacere. Aliud enim est, Regem ad pœnam delicti subeundam delinquentem obligare, aliud pœnam promeritam relaxare, delinquentis satisfactione placatum. Primum stat cum odio Regis. Secundum vero necessario poscit, inter utrunque instaurari amicitiam; satisfactio siquidem prout a satispassione distinguitur, non tam intendit pœna culpam vindicare, quam instaurare, vel conservare amicitiam. Et hinc oritur discrimen, quare debens alteri centum, utique satisfaceret, si totidem restitueret; non vero ille injuriam Deo illatam suis actibus compensaret, qui opera pœnalia in statu peccati lethalis exerceret; in debitis siquidem pecuniariis satisfactio ex ratione æquivalentis restitutionis attenditur: in satisfactione vero pro pœna temporali orta ex offensa commissa in Deum, poscitur Divina acceptatio, quæ nequit locum habere, nisi insatisfaciente status charitatis supponatur. Hoc discrimen ita illustrat D. Thomas in *supplem.* 3. *partis quæst.* 14. *artic.* 2. *in corp.* = *In satisfactione oportet, quod amicitiæ restituta, etiam justitiæ æqualitas restituatur, cujus contrarium amicitiam tollit, ut Philosophus in* 9. *Ethic. dicit. Æqualitas autem in satisfactione ad Deum non est secundum æquivalentiam, sed magis secundum acceptationem ipsius; & ideo oportet, etiamsi jam offensa sit dimissa per præcedentem contritionem, quod opera satisfactoria sint Deo accepta, quod dat ei charitas; & ideo sine charitate opera facta non sunt satisfactoria* = Quod autem pœna in quolibet statu sit ejusdem conditionis, hoc verum est, si ea consideretur entitative & materialiter, secus vero formaliter ut acceptabilis a Deo pro debiti solutione.

Objicies 2.° Extra statum gratiæ & charitatis existens implet satisfactionem pœnitentialem injunctam pro peccatis jam confessis, atque dimissis quantum ad culpam. Nihil ergo impedit, quominus iste pro debito pœnæ temporalis satisfaciat; etenim præceptum Confessarii satisfactionem pœnitentialem injungentis est de compensatione pro tali pœna exhibenda.

Resp. admisso, quod pœnitentiæ Sacramentalis onus impleri queat in statu peccati, inferri non posse, eodem satisfieri pro pœna temporali: etenim sicut Confessarii præceptum duobus modis potest considerari, & quoad substantiam præcepti, quo pacto dicit opus taxatum, pœnalitatem afferens correspondentem delectationi, qua peccatum fuit perpetratum; unde hujusmodi operis injunctio pœnitentia solet vocari, alio modo quantum ad finem illius; & eandem pœnalis operis injunctionem importat, tum ad vitiorum præteritorum medelam, tum ad debitum pœnæ temporalis exolvendum: ita & injuncta pœnitentia potest attendi, primo quantum ad substantiam, & dicit pœnitentialis operis injuncti executionem, secundo quantum ad modum, & importat assecutionem finium, ad quos ordinatur, nec non Divinam acceptationem. Verum est, quod extra statum gratiæ pœnitentiam in judicio Sacramentali taxatam peragens, Confessarii præceptum quantum ad substantiam impleret, sicut jejunando tempore Quadragesimali, vel audiendo Sacrum diebus festivis, Ecclesiæ obligationibus de his operibus satisfaceret; secus vero quantum ad finem, in ordine ad quem opera mortua seu gratiæ sanctificantis valore destituta, sunt prorsus inutilia.

Quæres 1.° An opera pœnalia, quæ satisfactoria non fuunt defectu status gratiæ, eo adveniente, vel homine jam justificato, incipiant esse satisfactoria?

Respondemus Negative: & probatur. Ea opera ante statum gratiæ satisfactoria non erant, utpote quæ ab ea informari non poterant. Per gratiæ verò sanctificantis adventum, nequeunt tali informatione gaudere; ea enim opera tantummodo a gratia sanctificante possunt informari, quæ ab ejus influxu media charitate procedunt. Accedit: juxta sententiæ Adversariorum principia, prædicta opera adveniente justificatione non fieri meritoria; quod concludenter evincit, reddi non posse satisfactoria.

Dices. D. Thomas in *supplem. 3. partis quæst.* 14. *art. 3. in Resp. ad* 3. duo pœnalium operum genera distinguens, quorum aliqua nullum, alia vero aliquem effectum relinquunt in operante, arbitratur, hæc secundi generis opera, puta jejunium, eleemosynam, nec non corporis macerationem per gratiæ & charitatis adventum evadere satisfactoria = *Dicendum*, inquit Angelicus, *quod aliquæ satisfactiones sunt, ex quibus manet aliquis effectus in satisfacientibus, etiam postquam actus satisfactionis* materialis scilicet *transiit, sicut ex jejunio manet corporis debilitatio, & ex eleemosynarum largitione substantiæ diminutio, & sic de similibus. Et tales satisfactiones in peccatis factæ, non oportet ut iterentur, quia quantum ad hoc, quod de eis manet, per pœnitentiam Deo acceptæ sunt. Satisfactiones autem, quæ non relinquunt aliquem effectum in satisfaciente, postquam actus transiit, oportet ut iterentur, sicut orationes, & alia hujusmodi. Actus autem interior, quia totaliter transit, nullo modo vivificatur, sed oportet ut iteretur* = Non ergo universaliter vera est Conclusio.

Resp. authoritatem Angelici Præceptoris, (qua non pauci Thomistæ, ut *observat Soto in 4. dist. 19. quæst. 1. art. 5.* vehementer allucinantur) nihil probare, quod nostræ Conclusioni adversetur. Aliud enim est opera pœnalia secundum suum esse considerata, relinquentia post se effectum, vivificari per gratiam sanctificantem advenientem; aliud verò effectus operum pœnalium perdurantes usque ad gratiæ sanctificantis infusionem ejusdem gratiæ sanctificantis vitalitatem obtinere, atque a Deo acceptari. Primum (quod nostræ doctrinæ opponeretur) non asseritur ab Angelico, sed solum secundum, ibi: *Quantum ad hoc, quod de eis manet, per pœnitentiam Deo acceptæ sunt* = et meritò, etenim si effectus, puta corporis maceratio, adveniente statu justificationis perseveret, potest a gratia sanctificante valorem accipere, quatenus ipsius virtute, æquo animo a voluntate tolerata, ad pœnæ temporalis remissionem dirigitur, & hoc modo satisfactoria virtute gaudet; & ideo dicit: satisfactiones in peccato lethali factas iterari non oportere; non per hoc, quod ea, quæ satisfactoria non erant, talia subinde evadant adveniente gratia sanctificante, bene vero quia ad prædictos effectus, qui deinde perdurant, ordinantur, adeoque ea iterari minime necesse est: hujusmodi enim effectibus fructus satisfactionis comparatur, ad cæterorum operum pœnalium distinctionem, quæ sunt omnino infructuosa.

Concl. 7.ª Ut opera nostra sint satisfactoria, requiritur necessario intentio ex parte

te operantis, non quidem formalis, seu explicita, bene vero virtualis.

Prob. 1.a pars. Opera satisfactoria fieri debent ex fine virtutis poenitentiæ, qui est, Deo solvere debitum poenæ, per peccatum contractum: alias si procederent ab operante ex fine aliquid Deo retribuendi pro beneficiis collatis, vel colendi Divinam Majestatem, ad virtutem gratitudinis aut Religionis pertinerent. Porro quod actus alicujus virtutis proprii sint, ut ex fine virtutis illius procedant, necesse est. Tunc autem ex fine illo fieri dicendi sunt, cum voluntatis intentio illum respicit, ad illumque refertur. Ut ergo opera nostra satisfactoria sint, necessario requiritur intentio operantis.

Dices. Ad merendum præmium vitæ æternæ, non est necesse operari ex tali fine, sed sufficit opus præmio dignum peragere; quod eo excellentiori præmio dignum est, quo liberalius, ac citra mercedis intuitum exhibetur. Idem ergo de satisfactione dicendum est.

Resp. meritum procedere a charitate imperante, quæ in Deum ut ultimum finem, cæterarum virtutum opera ordinat; quamobrem, cum actus charitatis sit amor Dei propter ipsum, illiusque dumtaxat bonitatem respiciat, mirum non est, ad meritum intentionem comparandæ mercedis non requiri. Verum ut opera poenalia sint satisfactoria, fieri debent ex peculiari fine poenitentiæ, qui est inæqualitatem per culpam inductam auferre, debitumque poenæ post justificationem relictum propriis operibus compensare: quæ si ex alia intentione fierent, ad poenitentiæ virtutem minime pertinerent, proindeque neque inter opera satisfactoria possent connumerari.

Prob. 2.a pars. Intentio virtualis in recitatione Divini Officii, aut in auditione Sacri, sufficit ex communi Theologorum sententia post D. Thomam, ut prædictis actionibus satisfiat præceptis recitandi Divinum Officium, nec non Sacrum audiendi diebus festis. Idem igitur de operibus poenalibus dicendum est, si ex fine virtutis poenitentiæ procedant.

Dices cum Ludovico de Gandavo. Opera poenalia, quæ ab intentione formali satisfaciendi minime diriguntur, non sunt actus justitiæ vindicativæ, proindeque non formaliter satisfactoria; eo modo quo dans alteri decem, totidem ei debens, debitum non solveret, si animum hunc non haberet.

Resp. ad quodcunque debitum sive vindicativæ sive commutativæ justitiæ persolvendum satis esse, operantem virtualem dumtaxat intentionem habere; unde quanvis debens creditori decem, qui nec formali nec virtuali intentione debitum vellet exolvere, nullo modo satisfaceret, eidem tradendo talem pecuniæ summam, ut habetur *L. cum plurib. ff. de Solutionib.*, aliud tamen dicendum est, si eam creditori tradendo, virtualem saltem intentionem compensationis haberet.

Quæres 1.° An Opera nostra, quæ alias cadunt sub præcepto, possint esse satisfactoria pro poena temporali?

Respondemus Affirmative. Ratio est, quia opera nostra si fiant in statu gratiæ, possunt habere rationem vindictæ & punitionis liberæ, etiam si alias subdantur præcepto; hoc enim nec libertatem nec bonitatem moralem, neque poenam adimit, vel minuit; idque exemplo mortis Christi declaratur, quæ quanquam esset debita ratione præcepti, quo Pater Æternus ad eam subeundam Unigenitum Filium suum obligaverat, fuit tamen satisfactoria pro poenis, quibus homines erant obnoxii.

Dices cum Paludano. Si opera nostra, quæ cadunt sub præcepto, possent esse satisfactoria, sequeretur, quod quis debens alteri certam pecuniæ summam ex uno titulo, alio adhuc superveniente, una eademque solutione utrique posset satisfacere; quod profecto falsum est. Quis enim dicat, quod debens alteri viginti aureos mutuo acceptos, & totidem eidem furto ablatos, viginti dumtaxat aureos solvendo, utrumque debitum persolveret? Adde, sequi ex hoc, poenitentem a Confessario ad jejunium, vel eleemosynam obligatum, si die quadragesimali jejunaret, vel extreme loboranti eleemosynam largiretur, ad aliud non teneri.

Resp. verum esse, absolute loquendo, uno simplici opere unaque solutione duplici debito satisfieri non posse; aliter tamen dicendum est, si hoc idem ipse creditor velit, consentiatque, quod optime meriti exemplum declarat; nemine in quippe ex Theologis latet, opera nostra jure Religionis Deo deberi, proindeque stricto jure, ac secluso quocunque pacto non

posse aliam mercedem a Deo conferendam promereri; & tamen Deus, eadem opera a gratia sanctificante informata, alio titulo sibi debita, ita ad præmium acceptat, ut gloriam æternæ beatitudinis ex pacto, ea peragentibus conferat tanquam coronam: ita supposita gratiæ sanctificantis infusione opera nostra bona alias præcepta, Divinæ placuit bonitati ad pœnæ temporalis relaxationem acceptare. Non sic in debitis pecuniariis contingat; creditor enim regulariter nullum debitum ex misericordia remittit, aut summam viginti aureorum debitam jure contractus acceptat pariter in satisfactionem titulo restitutionis exhibendam; quæ ratio militat pariter in jejunio ac eleemosyna a Confessario injunctis, quia quando Sacerdos pœnitentiam Sacramentalem fieri præcipit, opus superogationis intelligit; nisi fortasse jejunium ad utriusque præcepti obligationem implendam acceptaret.

Quæres 2.° An possit quis mediis bonis operibus pro uno peccato satisfacere, non vero pro alio?

Respondemus Affirmative; quia (sicut dicemus inferius Articulo 5.°) potest aliquis opera bona dirigere ad satisfaciendum Deo pro pœna temporali peccati alterius, quin similis pœna sibi relaxetur. Ergo ita opera bona dirigi queunt ad solvendum debitum unius peccati, quin ordinentur ad remissionem pœnæ alterius peccati proprii.

Conclusio 8.° Opera satisfactoria communiter reducuntur ad tria Capita, nempe Jejunium, Orationem, & eleemosynam.

Prob. auth. D. Thomæ, qui in *supplem. 3. partis quæst. 15. artic. 3. in corp* ait. = *Dicendum quod satisfactio, ut dictum est, debet esse talis, per quam aliquid nobis subtrahamus ad honorem Dei. Nos autem non habemus nisi tria bona, scilicet bona animæ, bona corporis, & bona fortunæ, scilicet exteriora. Ex bonis quidem fortunæ subtrahimus nobis aliquid per eleemosynam, sed ex bonis corporis per jejunium; ex bonis autem animæ non oportet quod aliquid subtrahamus nobis quantum ad essentiam, vel quantum ad diminutionem ipsorum, quia per ea efficimur Deo accepti, sed per hoc quod ea submittimus Deo totaliter, & hoc fit per orationem. Competit etiam iste numerus ex parte illa, qua satisfactio peccatorum causas excidit, quia radices peccatorum tres ponuntur, prima Joannis 2.° scilicet concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. Contra concupiscentiam carnis ordinatur jejunium, contra concupiscentiam oculorum eleemosyna, & contra superbiam vitæ ordinatur oratio, ut Augustinus dicit super Matth. Competit etiam quantum ad hoc quod satisfactio, est peccatorum suggestionibus aditum non indulgere, quia omne peccatum, vel in Deum committimus, & contra hoc ordinatur oratio: vel in proximum, & contra hoc ordinatur eleemosyna: vel in nos ipsos, & contra hoc ordinatur jejunium* = Ergo opera satisfactoria juxta D. Thomam communiter reducuntur ad tria Capita, nempe jejunium, orationem, & eleemosynam.

Dices. Oratio pœnam non affert, cum sit potius contra pœnæ tristitiam remedium, & medicina, unde dicitur Jacobi. *Ep. cap. 5. Tristatur aliquis vestrum oret, æquo animo est psallat.* Ergo oratio non videtur inter opera satisfactoria numeranda.

Resp. cum Angelico Præceptore, qui hanc sibi objectam difficultatem diluens citato *artic. in resp. ad prim.* ait = *Quelibet oratio habet rationem satisfactionis, quia quanvis habeat suavitatem spiritus habet tamen afflictionem carnis, quia ut dicit Gregorius super Ezechiel.; Decrescit in nobis fortitudo amoris intimi, infirmatur proculdubio fortitudo carnis, unde & nervus fæmoris Jacob ex lucta Angeli emarcuisse legitur Genes. 32.*

ARTICULUS III.

An detur præceptum satisfaciendi Deo pro pœna temporali.

AFFIRMATIVE respondent Paludanus in 4. *dist.* 17. *q.* 1. *artic.* 5. Cano *relect. p. 3. Conclus.* 2. aliique. E converso hanc obligationem absolute negant Scotus 4. *in dist.* 19. *q.* 1. *art.* 5. Navarrus in *summa cap.* 26. *n.* 20. Gabriel Medina & quidam alii, idque adeo generaliter propugnant, ut etiam ad Sacramentalem satisfactionem extendant.

Nobis non libet in alterutram illam sententiam inclinare, nimis quippe onerosum vide-

videtur, nulla adjecta limitatione, Fideles ad pœnalium operum exercitia, ob finem satisfaciendi Deo pro pœna temporali generatim obligare, sed & periculis foret obnoxium obligationem illam penitus relaxare; ideoque ad primæ rigorem, nec non secundæ laxitatem temperandam, sit

Conclusio. Probabile, est non dari obligationem absolute & per se ad exhibendam satisfactionem pro pœna temporali; ita ut novo peccato obstringantur, qui pro pœna temporali non plene satisfaciunt in terris: bene vero præceptum agnoscimus ad injunctam in Sacramentali Confessione pœnitentiam peragendam.

Prob. 1.ª pars. Obligatio satisfaciendi Deo pro pœna temporali nequit procedere ex virtute justitiæ; hæc enim reum non cogit, ut in se puniat delictum, sed ut pœnam a Judice taxatam sustineat. Cum ergo Deus sit Judex & vindex, in alia vita pœnam infligens iis, qui viventes non se condigna satisfactione purgarunt, poterit citra injuriam justitiæ, eorum castigationem differre, usque dum ibi debitum pœnæ temporalis extinguatur. Non ex lege charitatis, vel erga Deum, vel erga seipsum; quia dilata punitione culpæ, nec æternæ beatitudinis præmium amittitur, nec amor Dei super omnia dilecti. Et quamquam æternæ beatitudinis assecutio differatur, non damnum imminet irreparabilile, aut adeo grave, ut ad illud evitandum Fideles sub lethali teneantur; nisi velimus dicere (quod Adversarii renuunt approbare) justum pariter, in præsenti vita ad satisfaciendum pro culpis venialibus obligari, ne illi æternæ beatitudinis merces differatur. Probabile ergo est, non dari absolute, & per se obligationem pro pœna temporali, ita ut novo peccato obstringantur, qui pro pœna temporali non plene satisfaciunt in terris.

Prob. 1.º altera pars quam tuentur Alensis *4. p. quæst. 24. memb. 4. artic. 5.* Durandus *dist. 20. quæst. 2. n. 5.* Dominicus Soto *ead. dist. q. 2. art. 2.* ; eamque adeo certam sensit Suarius, ut asserere minime dubitaverit, citra temeritatis notam non posse negari *ex capite Omnis utriusque sexus de Pœnit. & Remiss.*, ubi imposito præcepto cuilibet Fideli, ut postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata saltem semel in anno, fideliter proprio confiteatur Sacerdoti, additur. = *Et injunctam sibi pœnitentiam propriis viribus studeat unusquisque adimplere, suscipiens ad minus reverenter in Pascha Eucharistiæ Sacramentum*=Ergo sicut verbis laudatis indicitur obligatio ad annuam Confessionem, nec non Paschalem Communionem adstringens, juxta Ecclesiæ communem interpretationem, ita præceptum ad implendam satisfactionem in Sacramentali Confessione injunctam.

Prob. 2.º Tam Pœnitens exhibens in Confessione materiam Sacramenti Pœnitentiæ, quam Sacerdos ut Minister conferens formam, ex virtute Religionis integrum tenentur Pœnitentiæ Sacramentum perficere. Sicut ergo hujus Sacramenti nequaquam daretur integritas, ubi ab injungenda satisfactione Sacerdos deficeret, ita si id, quod pro satisfactione injunctum est, Pœnitens renueret adimplere. Declaratur hoc magis. De ratione cujuslibet recti judicii est, quod Judex valeat reum sua authoritate coercere ad pœnam solvendam: & quod reus Judici competenti parere teneatur. Porro cum Pœnitentiæ Sacramentum sit admodum judicii a Christo institutum, in quo Pœnitens se sistit ut reus, Sacerdos vero explet munus Judicis competentis, dicere necesse est, requiri satisfactionis executionem. Et ideo Tridentinum *sess. 14. cap. 8.* firmatis tum Confessarii potestate supra pœnitentes, tum obligatione eisdem injungendi satisfactionem, sic loquitur = *Habeant autem Sacerdotes præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem. Nam claves Sacerdotum non ad solvendum dumtaxat, sed & ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres, & credunt, & docent* = Idque ulterius confirmat *can. 15.* Anathemate percellens oppositum asserentes. = *Si quis dixerit Claves Ecclesiæ esse datas tantum ad solvendum, non autem ad ligandum, Anathema sit.* =

Prob. 3.º S. Cyprianus in *Serm. de Lapsis* inquit = *Is veram pœnitentiam agit, qui Dei, & Sacerdotis præceptis obediens, operibus justis Dominum promeretur* = Eundem loquendi modum adhibet Author *lib. de vera, & falsa pœnitentia*, sub nomine D. Augustini = *Quibus remittunt*, Sacerdotes, *remittit Deus*;

opus

opus enim justitiæ exercent in peccatores, cum eos justa pœna ligant = Idem sentit D.Greg. Papa *lib.3 in 1. Reg. cap.7.= Afflictio pœnitentiæ*, inquit, *ad delenda peccata tunc demum idonea est, cum Sacerdotis fuerit judicio imperata, cum ab eo confitentium actibus discussis pro modo criminis, onus eis decernitur afflictionis* = Nec aliud docuit Doctor Angelicus fidissimus Patrum discipulus in 4. *dist.* 18. *q.* 1. *artic.*3. *quæstiunc.* 3. = *Ad tertiam quæstionem*, ait, *dicendum, quod operatio Sacerdotum in usu Clavium est conformis Dei operationi, cujus Minister est; Deus autem habet operationem in culpam, & in pœnam, sed in culpam ad solvendum quidem directe, ad ligandum autem indirecte, inquantum obdurare dicitur, dum gratiam non largitur. Sed in pœnam habet operationem directe, quantum ad utrunque, quia & pœnam parcit, & pœnam infligit, similiter ergo Sacerdos ..... in pœnam habet potestatem ligandi & solvendi; solvit enim a pœna, quam dimittit, sed ligat ad pœnam quæ remanet. Sed ad hanc ligare dupliciter dicitur. Uno modo considerando ipsam quantitatem pœnæ in communi, & sic non ligat nisi inquantum non solvit, sed ligatum ostendit. Alio modo considerando pœnam hanc vel illam determinate, & sic ligat ad pœnam ligando eam* = Ergo juxta mentem Sanctorum Patrum, datur præceptum adimplendi pœnitentiam injunctam in foro Sacramentali.

At inquies cum Navarro *in summa capit.26. n.20.* Verba illa Tridentini ita sunt intelligenda, ut Ly = *ad ligandum* idem sit ac = *ad arbitrandum justam pœnam* = non vero quod talem potestatem Sacerdotis declaret, ut Pœnitentes queat ad executionem satisfactionis compellere. Quæ interpretatio verbis laudatis Angelici Præceptoris potest congruenter aptari; quo circa solum colligitur, oportere Confessarios pœnæ quantitatem culparum gravitati respondentem præfigere, ejusque executionem, citra obligationem arbitrio pœnitentis commendare.

Resp. 1.° verba illa = *ad ligandum* = exponere de Sacerdotis arbitrio, idem esse, ac ad futilem interpretationem recurrere, a Tridentini Concilii & Angelici Præceptoris mente prorsus alienam; in eodem enim sensu ab eisdem asseritur potestas ligandi, ac potestas, solvendi. Sed potestatis solvendi legitimus sensus est, Sacerdotes vera gaudere potestate auferendi ligamen, quo Pœnitentes ad pœnam æternam subeundam sunt irretiti. Posse ergo ligare ad pœnam, non est mere congruentem satisfactionem designare, relinquendo Pœnitentium arbitrio, ut eam impleant (quod consilii legem non excederet) sed ad illam cogere, & obligare.

Resp. 2.° Concilium verbis immediate antecedentibus declarasse, Sacerdotes levissima opera ob gravia delicta injungentes, peccatorum Pœnitentium participes fieri. Si autem potestas ad ligandum idem esset ac potestas ad arbitrandum, nunquam alieni delicti participatio posset Sacerdotibus imputari; deberent quippe Sacerdotes, satisfactionem juxta arbitrium Pœnitentium temperare; adeoque, ubi isti levissima tantum opera vellent acceptare, non essent alia necessario injungenda, ac per consequens minime fierent alienorum delictorum participes. Quod cum perspicue Tridentino adversetur; dissonum est pariter ejus menti, ea verba: *ad Ligandum*, de arbitrio justæ pœnæ interpretari.

Solvuntur Argumenta Adversariorum.

Objiciunt 1.° contra 1.^m^ partem Conclusionis. Tridentinum *sess.6. cap. 14. docet*: pœnitentiam esse homini Christifideli necessariam, eandemque inter cætera, jejunia, eleemosynas, aliaque vitæ spiritualis exercitia continere, de qua plures explicat Sacræ Scripturæ authoritates. *Apoc.2.= Memor esto unde excideris, age pœnitentiam, & prima opera fac.*= 2.*Chor.*10.= *Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur* = *Luc.*3.= *Facite fructus dignos pœnitentiæ* = quem Apostoli locum ita pariter exponit D. Jo:Chrysostomus *Homil.* 10.*in Matth.*= *Neque enim vulnerato sufficit ad salutem tantummodo spicula e corpore evellere, sed etiam remedia adhibere vulneribus* = & Mag.sententiarum in 4.*dist.*16.D.Joannis Baptistæ sententiam Lucæ 3.° relatam explicans, sentit, ibi præcipi satisfactionem. Constat autem Joannem non potuisse novam condere legem, quia non Legislatoris, sed Præcursoris Christi fungebatur offi-

officio, sed naturalem legem explicasse. Datur ergo præceptum satisfaciendi Deo pro pœna temporali.

Resp. Tridentinum ibi non loqui de quacunque satisfactione, sed solum de injuncta in Sacramentali Confessione, ad quam suadendam utitur adductis Sacræ Scripturæ authoritatibus. Et hoc patet ex verbis antea præmissis = *Docendum est Christiani hominis pœnitentiam post lapsum, multo aliam esse a baptismali, eaque contineri non modo cessationem a peccatis, & eorum detestationem, aut cor contritum & humiliatum, verum etiam eorundem Sacramentalem Confessionem saltem in voto, & suo tempore faciendam, & Sacerdotalem absolutionem, itemque satisfactionem per jejunia, eleemosynas, orationes, & alia pia spiritualis vitæ exercitia* = Nec de alia satisfactione loqui dicendum est Magistrum sententiarum loco citato, qui de Pœnitentia disserens *dist.* 15., tres ejus partes enumerat: compunctionem cordis: oris confessionem: & satisfactionem operis; ideoque de hac postea subdit = *Satisfactio a Joanne præcipitur, ubi ait, facite fructus dignos pœnitentiæ, scilicet ut secundum qualitatem & quantitatem culpæ, sit qualitas, & quantitas pœnæ*.

Objiciunt 2.° Patres uno fere ore conclamant, necessariam esse hominibus lapsis in in peccatum pœnitentiam, & quo plura & graviora sunt crimina, eo duriora opera pœnalia ad illorum deletionem postulari. Ita loquitur Auctor Commentarior. in Epistol. D. Pauli, quæ sub D. Ambrosii nomine circumferuntur, exponens illud 2. *ad Corin.* 7. = *Tristitia quæ secundum Deum est &c.* = *Quicunque*, ait, *inde tristis est, quia hoc ei in se ipso displicet, quod Deo displicet, elaborat illud pœnitendo delere, & Deo satisfacere, ut possit ad salutem, quam amiserat pervenire* = Idem tradidit Origenes *Homil.* 8. *in Levitic.* cum Tertullian. *in fin. de Pœnit.* & Cassian. *Collat.* 13. qui docuit, graviter delinquentem post baptismum, aut esse diuturna afflictione pœnalique dolore purgandum, aut ignis æterni suppliciis addicendum. Ergo ex Patribus constat, dari absolute & per se præceptum ad exhibendam satisfactionem pro pœna temporali.

Resp. ex Patribus nihil colligi contra nostram Conclusionem; loquuntur enim vel de satisfactoriis operibus, a Sacerdotibus virtute clavium injunctis, quod nos propugnamus; vel volunt Fideles ad actus pœnitentiales quandoque obligari per accidens, tanquam ad medicinam adhibendam, & remedium ad præservationem a culpis, puta ad jejunium, vel abstinentiam, ob servandam castitatis virtutem; vel dicas laboriosa & satisfactoria opera iis, qui peccaverunt, ab illis præcipi, non absolute & simpliciter sed sub conditione: hoc est, si a peccatis omnino liberari velint, & a pœnis, quæ pro ipsis constitutæ sunt, saltem post hanc vitam luendæ.

Objiciunt 3.° Cum peccatum non anima tantum, sed & corporis membris plerumque sit perpetratum, æquitatis jura postulant, congruam & animæ & corpori pœnam respondere. Ubi vero supplicium in alia vita tolerandum satis esset, sola anima, non vero corpus pœnæ succumberet. Dum ergo homo vivit, ad satisfaciendum adstringitur, ut corpus particeps culpæ non sit exemtum a pœna. Cui argumento nititur Cano ad probandum, dari obligationem ad satisfaciendum Deo per actus pœnales externos.

Resp. non esse contra justitiam punitivam differri pœnam usque ad Purgatorium; anima enim est, quæ principaliter deliquit, corpus velut organum & instrumentum ipsius; ideoque ad æqualitatem compensatur in anima, quidquid in corpore peccatum est. Addimus: Argumento Adversariorum nihil concludi; alias = *probaretur sufficienter* (ut arguit Suarius *tom.* 4. *in* 3. *p. disp.* 15. *sect.* 4. *n.* 4.) *non posse hominem in hac vita satisfacere pro hac pœna per solos actus interiores animæ, aut per intensissimam contritionem: vel e contrario non posse hominem satisfacere per actiones corporis pro peccatis mere internis, & in sola anima commissis*.

Objiciunt 4.° contra alteram Conclusionis partem. Reatus pœnæ temporalis non obligat ad solutionem in hac vita tantum, sed disjunctive vel in hac vita, vel in futura; alias ex opposito fieret, eum, qui detrectavit Deo in humanis satisfacere, nunquam per toleratos Purgatorii cruciatus manere solutum. Non ergo tenentur Fideles debitum pœnæ temporalis per pœnitentiam eluere, sed possunt solutionem in Purgatorio

torio exibendam differre; qui enim disjunctiva obligatione gravantur, per alterutrius solutionem immunes evadunt a debito.

Resp. absolute verum esse, reatum poenæ temporalis non obligare ad debiti solutionem determinate in hac vita; sed ex suppositione voluntariæ & liberæ Confessionis Sacramentalis, non amplius Pœnitentes disjunctiva, sed determinata affici obligatione implendi hic satisfactionem injunctam in foro Sacramentali; si enim ab hujusmodi satisfactione Christifideles deficerent, id in Sacramenti Pœnitentiæ deformitatem, atque imperfectionem redundaret. Nec novum, & inauditum est, ex actione voluntaria & libera, ad aliud cum illa connexum obligationem consurgere. Sacerdos ad offerendum incruentum Altaris Sacrificium non adstringitur; facta tamen hypothesi, quod id facere velit, nequit usque ad consecrationem dumtaxat celebrare, sed illud integrum perfectumque tenetur absolvere. Sic ergo licet absolute & per se loquendo, non teneantur Fideles ob poenæ temporalis reatum in præsenti vita ad satisfactionem, ex suppositione tamen Confessionis Sacramentalis, liberum eis non est, ab injuncta satisfactione declinare, animo solvendi poenam in Purgatorio; debent enim explere id, quod ad Sacramenti Pœnitentiæ spectat integritatem.

Objiciunt 5.° Nulla ratione probari potest obligatio implendi satisfactionem a Confessario injunctam; non quidem ex Confessarii præcepto, tum quia non est de re simpliciter, sed solum secundum quid conducente ad vitam æternam, quippe quod præcipit solutionem poenæ temporalis, cujus omissio, nec dilectionem Dei, vel confitentis, aut proximi graviter læderet; tum quia firmata tali obligatione, tenerentur pœnitentes ad condignam, ac per consequens quancumque etiam gravissimam; siquidem satisfactionis condignitas attendenda est penes peccati confessi gravitatem, vel penes debitum poenæ luendæ in alia vita. Ex primo capite certum est, nedum peccatum læthale, sed etiam veniale gravissimam quamlibet operum poenalitatem excedere. Ex secundo pariter liquet, levissimam Purgatorii poenam omnem prorsus vitæ præsentis acerbitatem superare. Neque vero aliunde probari potest prædicta obligatio, quam ex eo, quod injuncta satisfactio sit pars integralis Sacramenti pœnitentiæ; quanquam enim hoc verum esset, eo tamen quandoque utitur Ecclesia, nullam adhuc satisfactionem injungens Pœnitenti sensibus destituto. Insuper ex Ecclesiæ praxi patet, Sacerdotes pios & probos Sacramentalis absolutionis beneficium impendere etiam nolentibus satisfactionem, vel ejus partem implere; ideoque Navarrus non contemnendæ eruditionis Doctor inquit = *Video in Urbe & in Orbe receptum, ne cuiquam denegetur absolutio, eo solo, quod nolit acceptare pœnitentiam* = Nulla ego ratione probari potest obligatio implendi satisfactionem a Confessario injunctam.

Resp. assertam obligationem ortum ducere ex voluntate Christi, qui demandavit Sacerdotibus novæ legis potestatem ligandi ad poenam, subeuntes Sacramentale judicium, ac ex consequenti voluit eosdem, ad taxatæ poenæ, seu satisfactionis executionem poenitentes obligare. Nec latent hujus obligationis rationes; cum enim doceat Tridentinum, oportere Sacerdotes poenitentias salutares iniungere, tum ad præteritorum criminum vindictam, tum ad futurorum præcautionem ibi = *Habeant autem Sacerdotes præ oculis, ut satisfactio quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem &c.* = diserte colligitur, poenitentes ad id exequendum teneri, tam ex virtute, contra quam imminet peccatum futurum, quam ex virtute poenitentiæ intendentis de perpetrato crimine exercere vindictam. Rursus cum ex Concilii Florentini decreto constet, satisfactionem esse partem integralem Sacramenti Pœnitentiæ, consequens fit, ex virtute Religionis ad eam pariter poenitentes adstringi. Quapropter dato, quod poenæ temporalis solutionem differre, non vergeret in grave damnum dilectionis Dei, aut confitentis, vel Proximi in Sacramenti tamen præjudicium cederet, juxta qualitatem satisfactionis iniunctæ pro gravi aut levi peccato; illud enim imperfectum relinqueret, & alias nunquam perficiendum; quia satispassio Purgatorii non obiret munus partis integralis hujus Sacramenti. Ex quibus male deducitur, Pœnitentes ad quancumque satisfactionem etiam gravissimam obligari,

gari, tametsi condignam subire teneantur; satisfactionis quippe condignitas æstimari potest, vel solum per respectum ad culpam, Clavium potestati subjectam, aut per respectum ad reatum pœnæ temporalis, necnon pœnitentis fragilitatem, atque dispositionem, quibus consulendum dictat prudentia. Si primo modo hæc satisfactio consideretur, quodcunque peccatum confessum, etiam leve, eam superat, quæ maximam secum affert severitatem; quia malum culpæ, quod idem est omnino ac malum Dei in affectu, excedit ex genere suo quodlibet malum pœnæ. Cæterum si secundo modo accipiatur, ut a Sacerdotibus expendenda est, ea condigna satisfactio censeri debet, quæ non superat pœnitentis vires, atque reatui pœnæ per culpam contracto respondet. Quocirca cum ex peccato veniali levis pœnæ reatus, ex lethali gravis proveniat, si propter primum gravis injungeretur satisfactio, non esset condigna, sed injusta, adeoque ad eam implendam pœnitentem non cogeret. Quod similiter dicendum arbitramur, si propter unum numero lethale peccatum adeo gravis indiceretur, ut pluribus juxta prudentum æstimationem responderet. Verum si ex una parte peccata confessa plurima essent, maximæque gravitatis, & alias pœnitens esset magnæ fragilitatis, ea satisfactio esset condigna saltem per accidens, quæ etsi pœnæ temporalis debitum non adæquaret, pœnitentis tamen viribus par esset, conformiter ad benignum Ecclesiæ Romanæ usum, quæ satisfactionem Sacramentalem consuevit indicere mitiorem ea, quæ esset indicenda; ne illa, quæ per se digna censetur, Fideles ab hujus Sacramenti participatione retraheret, ac ruinæ potius, quam salutis occasionem præberet. Quam doctrinam approbat, traditque D. Chrysostomus *Homil. 4. in Epist. 2. ad Corinth.* ponderata Apostoli Indulgentia erga Corinthium fornicarium his verbis = *Qua ex re docemur, quod non solum ad peccatorum naturam, verum etiam ad mentem habitumque peccantium oporteat moderari pœnitentiam, quod ipsum tum faciebat Apostolus* = Hinc quod minima Purgatorii pœna hujus vitæ acerbiorem excedat, nil inde ab Adversariis evincitur ad institutum; quia satisfactionis condignitas non attenditur per ordinem ad pœnam determinate in Purgatorio solvendam, sed per ordinem ad debitum pœnæ a Deo determinatum, pro criminum varietate purgandum, vel in humanis, juxta hujus fori mensuram, vel secundum taxationem post mortem in Purgatorio correspondentem, supposito quod in humanis eo obligatus non solverit. Per hoc vero, quod sensibus destituto nulla injungatur satisfactio, male colligitur, nullum dari præceptum satisfactionis Sacramentalis; quia licet per accidens in aliquo casu, ubi urgeret necessitas, posset subsistere Sacramentum sine ejus parte integrali, non tamen sequitur absolute & per se id posse præstari. Exemplum adducimus ad id explicandum in integritate materiali Confessionis Sacramenralis, seu in manifestatione cujuslibet peccati lethalis post Baptismum commissi nondum subjecti Clavibus, legitimo Pœnitentiæ Sacramenti Ministro facienda, qua non posita ex justa causa, potest impendi Sacramentalis absolutio pœnitenti, juxta tritam Theologorum sententiam; & tamen non infertur ex hoc, pœnitentem pro suo libito posse Confessionem dimidiare, seu aliqua peccata lethalia silentio præterire. Et ratio est, quia per hoc quod aliquid per accidens fiat, non recte colligitur absolute & per se fieri posse. Falsum est tandem, Sacerdotes pios, & probos absolute nullaque adjecta limitatione absolvere pœnitentes nolentes, cum alias possent, satisfactionem Sacramentalem integraliter explere: nec in Urbe aut in Orbe (ut notant Patres Salmanticenses in *cursu Scholastico tr. 24. de Pœnit. disp. 11. dub. 2.° n. 24.*) videre potuit Navarrus doctrinam illam ab ipso propugnatam, ad tam communem & frequentem praxim reductam, ut ejus verba declarant. Maxime quia, etiam permisso, hoc aliquando evenisse, haud facile potuit certo sciri, quid singuli Urbis, ac longe minus totius Orbis Sacerdotes observaverint.

ARTICULUS IV.

An homo justus possit æquivalentem ac de condigno satisfactionem præbere pro pœna temporali sibi debita.

SATISFACTIO duobus modis dici potest æquivalens debito. Primo ab extrinseco, quando videlicet ex se valorem non habet, ita tamen ex gratia creditoris admittitur, ac si debito comparata intrinsecum valorem, ac proportionem obtineret. Secundo ab intrinseco, cum ex propriis quandam importat cum debito æqualitatem: idque bifariam potest contingere, vel per æqualitatem geometricam, exhibito nempe eo, creditori, quod non dicit æqualitatem intrinsecam, sed tamen habet quandam intrinsecam proportionem, indigetque gratia creditoris defectum valoris, & inæqualitatem supplente; ut in civilibus eveniret, si debens alteri centum, solveret quinquaginta, plura non habens nec potens reddere: vel per æqualitatem quantitativam & arithmeticam, cum debito ita adæquatur, ut citra gratiam creditoris, tantum in ratione solutionis præseferat pretium, quantum est debitum exolvendum: puta, si is qui centum debet, totidem creditori persolveret; diciturque hujusmodi satisfactio de condigno, nil enim reperitur est in debito, quod præstita hujusmodi solutione non compensetur. Utrumque æquivalentis satisfactionis modum non obscure tradit D. Thomas in 4. *dist.* 15. *quæst.* 1. *art.* 2.

Hominem justum Deo exhibere posse satisfactionem pro pœna temporali sibi debita æquivalentem seu æqualem æqualitate geometrica, communiter apud omnes Canonistas, nec non Theologos recipitur; quodlibet enim opus virtutis, gratiæ sanctificantis influxu elevatum, etsi cum remissione pœnæ temporalis æqualitatem non obtineat, intrinsecam tamen importat proportionem, ut momenta, quæ in Articulo 1.° tum ex Sacra Scriptura, tum ex Conciliis, tum ex Patribus expendimus, perspicue demonstrant. Non omnes tamen fatentur, Justum posse satisfacere de condigno, & æqualem æqualitate arithmetica compensationem exhibere. Negat Durandus in 4. *dist.* 15. *quæst.* 5 *ad* 2.^m, eique adhæret Petrus de Ledesma 2. *p. quæst.* 5. *ad.* 12.^m, Ab his non discrepat Joannes Medina *Codic. de Pœnit* & Cipullus asserens, non posse hominem hujusmodi satisfactione peccati lethalis offensam quantumvis finitam compensare.

Conclusio. Homo justus potest satisfactionem æquivalentem & de condigno offerre pro pœna temporali sibi debita.

Prob. 1.° authoritatibus Sacræ Scripturæ, quibus talis satisfactio per redemtionem exprimitur. *Proverb.* 16 = *Misericordia & veritate redimitur iniquitas* = *Daniel.* 4. = *Peccata tua eleemosynis redime* =. Redimere autem, non æquivalentem utcunque satisfactionem significat, sed arithmeticam, ac omnino proportionatam; non enim aliquid proprie redimi dicitur, nisi ad debitam commensurationem appendatur. Ergo homo justus potest satisfactionem æquivalentem & de condigno offerre pro pœna temporali sibi debita.

Prob. 2.° Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 8. & 9. docet, homines gratia sanctificante præditos posse dignos pœnitentiæ fructus exhibere = *Omnis glorificatio nostra in Christo est, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ* = Fructus autem digni pœnitentiæ dicuntur ii, quibus tantum debiti cum Deo deletur, quantum per peccatum contractum erat = *Fructus pœnitentiæ* (inquit Cajetanus in *Opusc. de Commun. & Confess. cap.* 3. *de satisfactione*) *sonat opus proveniens a pœnitentia ut a radice, seu arbore. Perspicuum autem est, quod fructus dignus pœnitentiæ est, reparare ea quæ admisisse & commisisse nos pœnitet. Hoc autem vocatur, satisfacere pro peccato, pro quanto in hoc comprehenditur deletio omnium malorum, quæ in pœnitente remanserunt, quorum unum est reatus relictæ pro peccato pœnæ* = Ergo homo justus potest satisfactionem æquivalentem & de condigno offerre pro pœna temporali sibi debita.

Prob. 3.° ex decreto S. Pii V. & Gregorii XIII. damnantium hanc Michaelis Baii propositionem, inter reprobatas 77.^am = *Satisfactiones laboriosæ justificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatam* =

tam = ex qua reprobatione, cum oppositæ contradictoriæ propositionis veritas habeatur, planum est, posse ita justos in satisfactionibus laborare, ut æqualiter & de condigno pœnam temporalem subeundam per operum pœnalium compensationem adæquent.

Prob. 4.° ex Sanctis Patribus, & præcipue ex D. Ambrosio in *Commentar. ad cap.* 12. *Lucæ*, ubi textum illum exponens = *Tollite, & mittite eum in tenebras exteriores* = confert opera satisfactoria pœnitentis cum pecunia pro debito usque ad minimum quadrantem persoluta = *superest nunc*, inquit, *ut intelligamus, quid sibi velit figura quadrantis*; *& videtur usualis rei expressum nomine intellectus spiritualis arcanum. Nam, sicut qui pecuniam solvunt, debitum reddunt, nec prius evacuatur favoris nomen, quàm totius sortis, ad minimum usque, quocunque solutionis genere quantitas universa solvatur, sic comparatione charitatis actuumque reliquorum, vel satisfactione quacunque peccati pœna dissolvatur. Nec otiosum, quia non æra sicut alibi duo, non assem, non denarium, sed quadrantem hoc posuit loco*; *quadrantaria enim permutatio veluti quædam est compensatio, cum aliud redditur, & aliud significatur solutum, ita & hic, aut pretio charitatis redimitur injuria, aut injuriæ æstimatione pœna laxatur* = Vides quomodo D. Ambrosius, perfectam satisfactionis rationem operibus pœnalibus attribuat. Eandem rem illustrat Venerabilis Beda, explicans, sacrificium justitiæ (ad quod per Regium Psalmistam *Psalm.* 4. hortamur) in hujusmodi adæquata compensatione consistere = *Sacrificate* =, inquit, = *Sacrificium justitiæ, quasi dicat: ita dico ut irascamini præteritis peccatis, & sacrificetis Sacrificium, idest mortificetis propria vitia, faciendo fructus dignos pœnitentiæ, tantum scilicet pro singulis vos affligentes, quantum digna expetit pœnitentia, quod erit Sacrificium justitiæ*; *nam nihil justius est, quam qui punit aliena peccata, ut puniat propria, & ut quisque tantum se affligat, quantum fœdata ejus meruit conscientia*; *& sic seipsum faciat Deo suave sacrificium* = Tantum autem affligere nos, quantum exigitur pro sacrificio justitiæ, aut quantum petitur ad pœnitentiæ condignitatem, proprium est satisfactionis arithmeticæ. Idem supponit Innocentius III. *in Serm. pro Solemnitat. S. Mar. Magdalen.*, observans requisita ad complementum condignæ satisfactionis. = *Hæc tria sunt*, ait, *quæ dignam satisfactionem perficiunt: dolor in corde: pudor in ore: labor in opere, ut juxta Salomonis sapientiam, per quæ quis peccat, per hæc torqueatur* = His cohærent alii Patres, quorum authoritates pro Conclusione in Articulo 1.° statuta, retulimus. Ergo juxta mentem Patrum homo justus potest æquivalentem ac de condigno satisfactionem offerre pro pœna temporali sibi debita.

Prob. 5.° Homo gratia, & charitate præditus potest tantum solvere, quantum pœnæ temporalis debitum ad sui compensationem exposcit; etenim si tale meritum potest offerre, quod æternæ beatitudinis præmium in valore adæquet, illudque sibi debitum reddat ex justitia, dicente D. Paulo *in Epistol.* 2. *ad Timoth.* = *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex, non solum autem mihi, sed iis qui diligunt adventum ejus* = quare haberi non poterit talis satisfactio, quæ pœnæ temporalis debito omnino commensuretur; tam enim beatitudo in ratione præmii obtinenda, quam pœna temporalis exolvenda, finitarum rerum limites non excedunt. Quod non obscure innuit Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 16. his verbis = *Nil ipsis justificatis amplius deesse, credendum est, quominus plene illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, Divinæ Legi pro hujus vitæ statu satisfecisse, & vitam æternam, etiam suo tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam, vere promeruisse censeantur*; *cum Christus Salvator noster dicat: si quis biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam* = Ergo sicut homo gratia & charitate præditus potest de condigno vitæ æternæ præmium promereri, ita & de condigno pro pœna temporali sibi debita satisfacere.

Dices. Si paritas illa inter meritum & satisfactionem in suo robore subsisteret, inferri posset legitime, hominem justum per quodlibet opus moraliter bonum a gratia & charitate elevatum, quodcunque debitum

tum pœnæ temporalis expiare; siquidem eadem esset gratiæ sanctificantis, & charitatis virtus & elevatio, ad promerendum vitæ æternæ præmium, ac ad satisfactionis onus exolvendum. Quemadmodum ergo per minimum opus bonum homo justus potest præmium æternæ beatitudinis promereri, ita posset per minimum opus bonum, æqualem omnino pœnæ temporalis compensationem exhibere. Hinc unum ex fundamentis corrueret, cui innituntur Doctores ad propugnandam Orthodoxam de existentia Purgatorii veritatem, tam in Florentino Concilio, quam in Tridentino definitam; ex eo enim Dogma illud de Purgatorio a Catholicis comprobatur, quia Deus, animas a corpore separatas, propter pęnæ temporalis debitum in humanis non deletum, in alia vita medio igne aliisque tormentis, miris ac veris modis ad Divinæ Justitiæ ostensionem exagitat. Verum cum nullus sit justus ex adultis, qui ante egressum ex hac vita sicut actum vitæ æternæ meritorium, ita & temporalis pœnæ satisfactorium non elicuerit, nihil haberetur in alia vita purgandum, jam hic præstita satisfactione deletum.

Resp. ex illa paritate non colligi, quod objectum est. Id enim discriminis observari velim inter æternæ beatitudinis meritum, & pœnæ temporalis satisfactionem, quod in ordine ad primum, æqualitas seu condignitas, non ex majori operis difficultate, sed ex dignitate & valore ejusdem mensuratur; quapropter si opus factum ejusdem sit valoris ac dignitatis secundum prudentum æstimationem, sicuti est præmium, habet rationem meriti de condigno in ordine ad illud; & quia opus quodcunque bonum in linea morali hominis justi, ob quendam modum a gratia & charitate participatum, eandem cum præmio æternæ beatitudinis dicit condignitatem, idcirco mirum non est, quod sit meritum de condigno respectu illius. Cæterum satisfactionis condignitas seu æqualitas vel a fervore virtutis charitatis, vel arduitate operis attenditur, id exigente lege Divinæ Justitiæ, ut quantum perversionis ordinis rationis per peccatum inductum est, tantum proportionata satisfactione, ejus, qui deliquerat, periculo, reparetur. Quid ergo mirum, si ex hoc Purgatorium existere deducatur; quandoquidem nonnulli ex Fidelibus, qui etiam in gratiæ statu constituti pro ante actæ vitæ gravioribus culpis remissis, ac tepide, in humanis existentes, in satisfaciendo se gesserunt, carnis vinculis exoluti ibi detineantur, igne aliisque tormentis usque ad minimum quadrantem Deo reddituri?

Ex his colliges, non posse hominem justum pro pœna temporali sibi debita de toto rigore justitiæ satisfacere; talis siquidem satisfactio nequit locum habere in pura creatura quantumvis prædita eximio gratiæ sanctificantis gradu, sed dumtaxat in Christo, qui pro humani generis peccatis superabundanter, & quoad culpam & pœnam, sive æternam sive temporalem, dignissimum sui Sanguinis pretium offerre non dubitavit, ut dicemus fusius *cap. 2. art. 1.* Quatuor enim conditiones ad satisfactionem hujus generis ex communi Doctorum sententia deprehendimus. 1.^{am} quod fiat per propria bona creditoris; aliena quippe nec dare, nec solvere possumus. 2.^{am} quod non fiat ex bonis existentibus sub creditoris dominio. 3.^{am} quod non fiat per bona creditori alio titulo debita; hæc enim reputantur ut sua. 4.^{am} quod sit ad alterum, quia nemo ad se ipsum dicitur exercere justitiam. Duas autem ex his conditionibus, quamlibet puræ creaturæ satisfactionem non habere, compertum est, cum & Dei creditoris gratiam satisfacienti necessario communicatam requirat, tanquam fundamentum ad ejusdem valorem, essentialiter exactum: ac rursus titulo Religionis, Deo quælibet actio creaturæ debeatur.

At inquies. Prædictæ conditiones in Christi satisfactione nullo modo reperiuntur; obstat enim gratia creditoris. Insuper ejus actiones etiam titulo Religionis erant Deo debitæ. Tandem, nec vere & proprie dici potest, quod Christi actiones essent ad alterum, cum Verbum Divinum ita humanam naturam assumpserit, ut nunquam Divinam amiserit. Aut ergo satisfactio de toto rigore justitiæ eas conditiones non exigit, aut talis non fuit Christi satisfactio pro nostris criminibus oblata.

Resp. non probari, quatuor illas conditiones Christi satisfactioni deesse; gratia enim creditoris obstans satisfactioni de toto rigore justitiæ ea est, quæ principali satisfacienti competit, secus vero si minus principa-

cipali conferatur; rigor quippe justitiæ commutativæ nonnisi penes principale satisfaciens attenditur, actiones enim sunt suppositorum. Porro quanquam unio hypostatica insignis fuerit gratia respectu assumptæ humanitatis, imo & respectu nostri, secus respectu Verbi in humana natura subsistentis, quod est principale satisfaciens in negotio nostræ salutis. Ex quo infertur 1.° debitum alio titulo, justitiæ rigorem adimere, si principale satisfaciens inspexerit, non vero si minus principale; quamobrem etsi Christus ut homo, ratione humanitatis debitum gratiarum actionis, ac Religionis pro beneficiis eidem gratuito collatis rependere teneretur, ejusdem tamen operationes prout a Divino egrediebantur supposito, seu a principali satisfaciente, non erant Dei subjectæ dominio; cum Verbum Divinum hisce obligationibus non sit, nec detineatur obnoxium. Infertur 2.° satisfactionem Christi fuisse ad alterum, satis enim est ad hoc, vel alietas suppositorum, ut in humanis communiter contingit, vel naturarum in eodem supposito subsistentium; unde Christus ut homo satisfactionem obtulit, quam acceptavit ut Deus, talis enim alietas ad solvendum alteri desideratur, quæ sufficit ad dominium & servitutem, involvens jurium diversitatem. Naturarum autem in Christo diversitas facit, ut Christus prout Deus sit Dominus, prout homo sit servus = *Esse Dominum* (inquit D. Thomas in 3. *par. quæst.* 20. *art.* 2. *in corp.*) *& servum, attribuitur personæ vel hypostasi secundum aliquam naturam. Cum ergo dicitur Christus esse Dominus, vel servus sui ipsius: vel quando Verbum est Dominus hominis Christi, hoc potest intelligi dupliciter. Uno modo ut intelligatur, hoc esse dictum ratione alterius hypostasis vel personæ, quasi alia sit persona Verbi dominantis, & alia hominis servientis, quod pertinet ad hæresim Nestorii* = & post pauca = *Alio modo potest intelligi secundum diversitatem naturarum in una persona & hypostasi, & sic dicere possumus, secundum unam earum, in qua cum Patre convenit, simul cum Patre præesse, & dominari, secundum vero alteram naturam, in qua nobiscum convenit, ipsum subesse, & servire.*

Solvuntur Argumenta, quibus Adversarii probare contendunt, hominem justum non posse satisfactionem æquivalentem, & de condigno offerre pro pœna temporali sibi debita.

Objiciunt 1.° Satisfactio arithmetica, & de condigno postulat, ut talis sit in ratione solutionis, quod debitum pœnæ temporalis exolvendum adæquet. Hoc autem in quacunque satisfactione per puram creaturam oblata reperiri non potest; pœna siquidem Purgatorii, juxta Divinæ Justitiæ leges taxata, talis est conditionis, ut nequeat hujus sæculi pœnis commensurari = *In Purgatorio* (inquit D.Thomas in 4. *dist.* 21. *art.* 1. *quæstiunc.* 3.) *erit duplex pœna: una damni, inquantum scilicet retardantur a Divina visione: alia sensus, secundum quod ab igne corporali puniuntur, & quantum ad utrumque pœna Purgatorii minima excedit maximam pœnam hujus vitæ* = Ergo nequit ab homine justo satisfactio arithmetica, ac de condigno offerri pro pœna temporali sibi debita.

Resp. quod pœna temporalis remanens post justificationem non est determinate Purgatorii, sed indeterminate, aut hujus sæculi, aut alterius; imo in hoc sæculo toleranda, peccato per se correspondet, solvenda vero in altera vita tantum substitutive, factaque suppositione non impletæ satisfactionis in humanis, ut docet D.Thomas in 4. *dist.* 20. *quæst.* 1. *art.* 1. *quæstiunc.* 3. = *Oportet*, inquit, *quod adhuc in fine pœnitens quicunque satisfactionem non implet in hac vita, post hanc vitam puniatur* = unde ut verum sit, posse fieri pro pœna temporali satisfactionem de condigno & ad æqualitatem, non exigitur adæquatio inter pœnam hujus vitæ, aut sponte susceptam, aut a Deo immissam, patienter tamen toleratam cum pœna peccato debita in Purgatorio. Quod vero in hac vita non satisfaciens, graviorem in Purgatorio pœnam subire compellatur, suæ imputet negligentiæ, quia cum ab ea posset se eximere, noluit hic peccatorum reliquias ex piare unde inquit Anglicus *loc. cit. in solut. ad* 1.^m^ = *Ille qui in fine vitæ pœnitet, non punitur post hanc vitam, quia non su-*

satisfecit... sed quia peccavit, & quia satisfacere neglexit quando potuit.

Dices. Si Purgatorii pœna, loco alterius debitæ in hac vita, subrogaretur, falsum esset Theologorum proloquium, plurimum Divinam Misericordiam commendans = *Deus punit citra condignum* = maximus enim esset Purgatorii excessus supra hujus sæculi pœnas.

Resp. Purgatorii pœnas quamtunvis atrocissimas, longeque superiores pœnis vitæ præsentis, nihilominus juxta mensuram a Divina Justitia taxatam, in ratione condignæ solutionis, pœnæ compensandæ debitum non excedere, quia Divina Justitia habens rationem mensuræ, pro condigna adæquatione exigit in Purgatorio pœnam majorem quidem re ipsa, seu acerbiorem, quam sit toleranda in hac vita; quanquam in ratione justæ compensationis æqualis sit. Idque ne novum videatur, exemplo tritici potest apprime declarari; modius enim illius, pro quo, ubi abundantia viget, quinque juliorum pretium juste persolvitur, caritate urgente vix emeretur quinque aureorum pretio. Nec mirum est, utramque pecuniæ summam adeo diversam, in ratione mensuræ convenire, quia in pretiis mensurisque rerum venalium, id quod se habet de formali, est conformitas vel ad legem taxantem, vel ad id, quod fortasse inducit regionis usus, ac temporum varietas; quamobrem in ratione pretii ut justi, reique venalis potest mensuræ æqualitas intercedere, esto plurimum re ipsa detur inæqualitas. Ita pariformiter contingit in compensatione pœnæ temporalis debitæ pro peccatis; condigna quippe compensatio in humanis exhibita, quanquam a condigna satispassione pœnarum Purgatorii in ratione rei ipsius excedatur, utraque tamen formaliter æqualis esse potest in ratione mensuræ, justæque solutionis, expensis circumstantiis status, & conditionis subjecti, in hoc, & in alio sæculo. = *Dicendum* (inquit D. Thomas loco nuper citato *in resp. ad 2.*^{m}) *quod justitia assimilatur mensuræ, ut dicit Philosoph. in 5.° Ethic. unde sicut in diversis terris sunt diversæ mensuræ rerum venalium, ita & diversæ pœnæ secundum justitiam pro eisdem culpis inferuntur: & similiter pro eadem culpa gravius quis punitur in Purgatorio, quam in hac vita, ratione alterius fori. Tamen illa aggravatio proportionaliter respondet pœnæ, cujus homo in hac vita, reus erat.*

Objiciunt 2.° Si compensatio pro pœna temporali fieri posset æquivalens, ac de condigno, homo Deo satisfaceret per justitiam commutativam, non per pœnitentiæ virtutem; proprium est enim justitiæ commutativæ perfectam inter debitum, ac solutionem constituere æqualitatem: pœnitentiæ vero ab illa deficere; quæ idcirco a ratione justitiæ rigorosæ recedit, ac inter ejus partes potentiales communi Theologorum calculo recensetur. Non ergo potest homo justus de condigno pro pœna temporali Deo satisfacere.

Resp. ex quo talis compensatio esset æquivalens, ac de condigno, non bene inde deduci, eam actibus justitiæ commutativæ esse adscribendam; non enim apparet, quare ad pœnitentiæ virtutem non possit pertinere; quia licet hæc virtus ratione actus primarii, a quo specificatur, æqualitatem ad justitiæ rigorem exactam non attingat (& ideo nequeat de condigno pœnitentiæ virtus pro offensa Deo irrogata per peccatum lethale satisfacere, ac per consequens inter partes potentiales justitiæ numeretur) hoc tamen non tollit quo minus id præstet in ordine ad levem Dei offensam, ac pœnæ temporalis debitum ex lethali peccato relictum, per actus secundarios. Claritatem conciliat solutioni exemplum virtutis Religionis, quæ, actu primario colendi Deum præcise inspecto, deficit ab æqualitate, secus vero secundario solutionis decimarum, ut docet D.Thomas 2. 2. *quæst.* 87.

Objiciunt 3.° Satisfactio de condigno obligat creditorem ad debiti relaxationem. Ad id autem nequit Deus a creatura obligari, cum ratione supremi dominii quamlibet satisfactionem creatam ad pœnæ temporalis compensationem oblatam pro libito possit non acceptare. Ergo nequit offerri ab homine justo satisfactio condigna pro pœna temporali sibi debita.

Pro solutione hujus Argumenti tria observare non pigeat. 1.^{m} duplici modo dici posse satisfactionem de condigno. Uno modo in actu primo, & aptitudinaliter: quum scilicet eam obtinet intrinsecam proportionem cum pœna luenda, ut ex se possit esse adæquata pœnæ temporalis compensatio: Alio

Alio modo in actu secundo, quando ad dictam adæquationem addit jus, ut a creditore acceptetur, eaque præstita debitum relaxetur, quo pacto completam rationem satisfactionis sortitur. Hoc autem jus non habetur, nisi ex pacto, vel ex alio capite obligatio acceptationis consurgat, qua creditor teneatur ad debitum relaxandum; sic quinquaginta aurei, intrinsecam habentes in valore cum Equo proportionem, sunt pretium de condigno & æquale in actu primo, seu quoad sufficientiam respectu ipsius; ut tamen sint pretium de condigno in actu secundo, seu quoad efficaciam, requiritur ulterius jus ad Equum, ex conventione, vel alio capite consurgens. 2.^{m} nullum opus hominis justi, cujuscunque valoris atque pœnalitatis existat, posse ex suis intrinsecis, præcisa omni conventione, jus ad pœnæ temporalis remissionem obtinere, quia Judex certa quadam pœna pro determinato crimine statuta, aliam a reo pro illius compensatione acceptare non tenetur. Quod adeo verum est, ut quanquam Christi satisfactio fuerit superabundans, tum ex parte personæ offerentis, tum ex parte rei oblatæ, adhuc Deus potuisset, nulla facta pacti suppositione, eam pro humani generis reparatione respuere; Deus enim nequit ex acceptis debitor constitui, bonorum nostrorum non indigens, sed dumtaxat ex fidelitate ob promissionem; ut notat D. Augustinus *serm.* 16. *de Verbis Apostoli* = *Debitor* (inquit) *nobis factus est* Deus, *non aliquid accipiendo, sed quod ei placuit promittendo. Aliter enim dicimus homini, debes mihi quæ dedi tibi: & aliter dicimus, debes mihi, quia promisisti mihi. Quando dicis, debes mihi, quia dedi tibi, a te processit beneficium, sed mutuatum non donatum: quando autem dicis, debes mihi quia promisisti mihi, tu nihil dedisti, & tamen exigis; bonitas enim ejus qui promisit dabit, ne in malitiam fides convertatur. Deo igitur quid dicimus: redde mihi quia dedi tibi? Quid dedimus* Deo, *quando totum quod sumus, & quod habemus boni, ab illo habemus? Nihil ergo ei dedimus, non est quemadmodum ista voce exigamus debitorem Deum..... Illo ergo modo possumus exigere Dominum nostrum, ut dicamus: redde quod promisisti, quia fecimus quod jussisti* = Liquet hoc pariter in merito vitæ æternæ, quod condignitate in actu secundo minime gauderet, nisi, Divina præsupponeretur promissio; ut habetur ex Tridentino *sess. 6. cap. 16.*, ubi vita æterna merces vocatur, ex Dei promissione bonis operibus justorum reddenda. 3.^{m} satisfactionem hominis justi posse esse de condigno pro pœna temporali commissi criminis tam in actu primo, ob debitam commensurationem, quam potest dicere cum illa, quam in actu secundo & quoad efficaciam; adest enim ex parte Dei pactum eam acceptandi ut colligitur ex illo præcepto *Matth. 6.* = *Facite fructus dignos pœnitentiæ* = quod exponens Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 8. inquit. = *In quo* (id est in Christo) *satisfacimus facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur a Patre*.

His observatis Resp. Argumento, nullum esse inconveniens ob satisfactionem æqualem de condigno in actu secundo præstitam ab homine pro temporali pœna, Deum ad debitum relaxandum obligari, quin minimum subeat detrimentum supremum ejus dominium, non enim ex intrinsecis suis haberet hujusmodi satisfactio vim obligandi Deum ad eam absolute admittendam, sed ex suppositione Divinæ promissionis, sicut nostras acceptat operationes in ordine ad vitam æternam tanquam ad mercedem hominibus conferendam, ut docuit D. Thomas 1. 2. *quæst.* 114. *artic.* 1. *ad* 3.^{m} his verbis = *Dicendum, quod quia actio nostra non habet rationem meriti, nisi ex præsuppositione Divinæ ordinationis, non sequitur, quod Deus efficiatur simpliciter debitor nobis, sed sibi ipsi, inquantum debitum est, ut sua ordinatio impleatur*.

AR-

ARTICULUS V.

An homo Justus possit satisfacere Deo pro pœna temporali alteri, seu alterius peccatis debita.

OBSERVANDUM est hic, posse hominem justum suis precibus alienam pœnæ temporalis remissionem impetrare; hoc enim præcipue innuitur in Jacobi *Epist. cap.5.° = Orate invicem,ut salvemini =* & ad *Roman. cap. 15. = Obsecro vos fratres, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum =* Rursus: cum constet ex Sanctis Patribus, S. Stephanum orantem pro Paulo adhuc Christi persecutore, suis orationibus ejus conversionem obtinuisse, sequitur, justos Divina misericordia fratos posse pariter pœnæ temporalis relaxationem pro aliis imperrare, gravius est enim genus culpæ, quam genus pœnæ.

Joannes Wicleffus *lib. de Orat. cap. 3.* justorum orationes, aliaque charitatis exercitia ad spiritualem proximorum utilitatem ordinata ita deprimit, ut prorsus inutiliter peragi, sentire non erubescat; verbis tamen utitur obscuris, ut virus interius conceptum exterius abscondat.

Nonnulli etiam ex modernis Authoribus quanvis propugnent, posse justos ad sublevandos alios a pœnis temporalibus cooperari, id tamen adstruunt fieri posse, non per modum satisfactionis, sed impetrationis dumtaxat; vel per hoc quod Deus ob justorum orationes cedat juri suo, aliisque pœnam temporalem remittat, nulla alia exacta compensatione: aut precum earum intuitu auxilia conferat supernaturalia habentibus dictum reatum, quibus per opera in statu gratiæ & charitatis expleta pœna temporalis expietur.

Conclusio. Homo justus potest Deo satisfacere pro pœna temporali alteri, seu alterius peccatis debita.

Prob. 1.° ex *Epistol. ad Galat. cap. 6. = Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi =* ad quam communionem declarandam, pluribus in locis utitur idem Apostolus exemplo corporis = *Sicut enim* (inquit *ad Rom. 12.*) *in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra =* 1.ª *ad Cor. cap. 12. = Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro = Ad Ephes. v. 22. = Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ejus = Et cap.4. vers. 16. = Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem, in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate =* Porro sicut ratio & natura membrorum corporis naturalis ea est, ut unum alteri prosit, ita cum Christifideles sint membra Ecclesiæ, quæ est corpus morale, possunt sibi invicem, in onere exhibendæ satisfactionis pro pœna temporali, adjuvari. = *Sicut in corpore naturali* (inquit D. Thomas = *in Opusc. 7.*) *operatio unius membri cedit in bonum totius corporis, ita in corpore spirituali, scilicet Ecclesia, & quia omnes Fideles sunt unum corpus, bonum unius alteri communicatur. Apostolus ad Romanos: Singuli autem alter alterius membra, unde & inter alia credenda, quæ tradiderunt Apostoli, est, quod communio bonorum sit in Ecclesia, quod dicitur Sanctorum communionem =* Ex quo concludit Sanctus Doctor: = *Non solum virtus passionis Christi communicatur nobis, sed quidquid fecerunt omnes Sancti, communicatur in charitate existentibus, sed tamen specialius illi* (id participant) *pro quibus specialius fit aliquod bonum, nam unus potest satisfacere pro alio =* Ergo homo justus potest Deo satisfacere pro pœna temporali alteri, seu alterius peccatis debita.

Nec juvat cum Wicleffo respondere; authoritatem Apostoli *ad Galat.6.°* esse intelligendam de alienis oneribus sublevandis in rebus temporalibus dumtaxat, non vero in spiritualibus. Compertum enim est, Apostolum ibi antea sermonem instituisse de charitate, qua quis in alterum delictis præoccupatum, debeat sententia correptionis animadvertere = *Fratres*, inquit;

quit, *si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis* = Dum itaque pergit, commendans onerum levamen, de spiritualibus loquitur: quatenus ea, quæ ex peccatis proveniunt, charitate suggerente invicem ferantur. Quod confirmat D. Thomas, ita illum D. Pauli locum exponens = *Admonet autem* Apostolus *ad mutuam supportationem dicens: Alter alterius onera portate; & hoc dicit tripliciter, uno modo .... pro pœna sibi debita satisfactoria, de rationibus ac bonis operibus. Ratio autem administrationis est adimpletio Legis Christi, quæ similiter est charitas. Dicitur autem specialiter charitas Lex Christi, quia ipsam implevit Christus, & exemplum eam implendi nobis reliquit, nam ipse ex charitate peccata nostra tulit, Isaiæ* 53. *Vere languores nostros ipse tulit in corpore suo propter lignum. Sic ergo debemus alter alterius onera portare, ut sic impleamus Legem Christi*.

Prob. 2.° ex Catechismo Romano jussu S. Pii V. edito, quo declaratur, hujusmodi onera esse invicem ferenda = *In eo summa bonitas & clementia maximis laudibus, & gratiarum actionibus prædicanda est, qui humanæ fragilitati hoc condonavit, ut unus pro alio possit satisfacere* = & infra = *Qui divina gratia præventi sunt, alterius nomine possunt, quod Deo debetur, persolvere. Non vero de hoc cuiquam Fidelium dubitandi locus relictus est, qui in Apostolorum Symbolo Sanctorum Communionem profitemur* = Ergo potest homo justus Deo satisfacere pro pœna temporali alteri, seu alterius peccatis debita.

Prob. 3.° D. Augustinus in *lib. octoginta trium quæstion.*, consone ad illud Apostoli ad Philipp. 2°. = *Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Jesu* = tradit, Christum peccatorum onus ferre non detrectasse, ut suo exemplo nos induceret, ad subeundam pro aliis satisfactionem = *Paulus dixit* (Verba sunt Sancti Doctoris) *non quæ sua sunt, unusquisque quærat, sed quæ aliorum, cui sententiæ connexuit: Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Jesu, ad hoc dumtaxat, ut quemadmodum in eo quod Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, & sine peccato cum esset, peccata nostra suscepit, non attendens sua, sed nostra: ita & nos libenter ad ejus imitationem invicem onera nostra portemus. Hoc ergo exhibeamus illi, cujus infirmitatem portare volumus, quod ab illo nobis vellemus exhiberi* = Ex D. Bonaventura promam hic locum ex 4. *sent. dist.* 20. *quæst.* 1., ubi considerata pœna satisfactoria, non sub ratione medicinæ, sed secundum conceptum pretii, S. Augustini sententiam mirifice confirmat. = *Dicendum*, inquit, *quod pœna satisfactoria habet in se medicamentum, & pretium. Inquantum hæc pœna est medicinalis, non datur satisfactio in aliam personam; si autem loquamur de pœna, secundum quod habet rationem pretii, hoc modo est concedendum, quod potest commutari, quia potest unus pro alio pœnam solvere* = Constat ergo hominem justum posse Deo satisfacere pro pœna temporali alteri debita.

Prob. 4.° ratione desumta ex Angelico Præceptore, quæ ita proponitur. In humanis potest aliquis pro amici debito satisfacere, ita ut hic immunis ab ejus solutione maneat: quippe cum amicus sit alter ego, idem est per amicum, ac per se ipsum solvere. Apud Deum ergo poterit quis pro alio, supernaturali charitatis amicitia interveniente, pœnæ temporalis debitum a Divina Justitia taxatum propriis operibus compensare; charitas enim apud Deum efficacior est, ac Fidelium corda invicem fortiori vinculo, quam amicitia naturalis unit, juxta illud *Act.* 4. *v.* 32. = *Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una* = unde inquit Angelicus Doctor in 4. *dist.* 2. *quæst.* 1. *art.* 2. *in Arg. sed contra* = *Charitas magis potest apud Deum, quam apud homines. Sed unus potest apud homines pro alterius amore debitum ejus solvere. Ergo multo fortius in Divino judicio fieri potest* = Ergo homo justus ex D. Thoma potest satisfacere Deo pro pœna temporali alterius peccatis debita.

Quæres 1.° An ab homine justo offerri possit Deo satisfactio pro pœna temporali peccati alterius de condigno?

Respondemus, offerri posse satisfactionem de condigno in actu primo, & quantum ad

suffi-

sufficientiam, secus vero in actu secundo, & quantum ad efficaciam.

Prob. prior pars. Quæcunque pœna temporalis solvenda, est finita & limitata. Tanta ergo esse potest satisfactionis virtus, ut intensive vel extensive considerata, ac cum illa comparata, ab arithmetica æqualitate non deficiat; sicut ob hanc rationem in superiori Articulo diximus: hujusmodi condignitatem reperiri in justi satisfactione, in ordine ad debitum pœnæ temporalis, ex propria culpa derivatum.

Prob. altera pars. Ad satisfactionem condignam in actu secundo,& quantum ad efficaciam, exigeretur, quod Deus illam teneretur acceptare. Quanquam vero deceat Divinam misericordiam, ejusque liberalitatem hujusmodi charitatis officium admittere: sicut congruum est justorum preces & vota pro aliis excipere, non tamen id statuisse compertum est; quia quemadmodum secundum jus humanum pro reo ad triremes damnato, si velit alter subire supplicium, potest a Judice recusari: summæque foret miserationis indicium, alterum acceptare ad hujusmodi pœnæ levamen, ita non tenetur Deus ad recipiendam satisfactionem sibi ab alio oblatam; licet quandoque ita se gerat, ac si a propria persona, quæ debitum solvendi contraxit, satisfactio fuisset impleta. Non ergo ab homine justo offerri potest satisfactio de condigno in actu secundo pro pœna temporali peccati alterius.

Dices cum PP. Salmantic. Scholasticis *in tr.* 24. *de Pœnit. disp.*12. *n.*34.: Deus iniit pactum acceptandi satisfactionem ab uno pro alio oblatam: idque ex D. Paulo *ad Galat.* 6. deprehenditur ibi = *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis Legem Christi* = si enim lex charitatis dictat, onus alienæ satisfactionis suscipere, necesse est dicere, Deum promisisse se semper id acceptaturum.

Resp. in prælaudata Apostoli authoritate commendari satisfactionem ab uno pro alio præstitam, tanquam legi charitatis conformem. Ex quo nec promissio Divina, vel pactum infallibilis acceptationis evincitur, sed dumtaxat consilium, quo monemur Deo gratum esse, si Fideles alios onere solvendi pœnam temporalem prægravatos adjuvent; quod probat satis, Deum quandoque ex sua misericordia id acceptare, non vero ex aliqua promissione.

Quæres 2.° An ut satisfactio hominis justi pro debito pœnæ temporalis acceptetur a Deo, ex parte ejus, cui facienda est relaxatio, requiratur impotentia satisfaciendi per opera pœnalia?

Thomas de Argentina, cui nonnulli ex antiquis Doctoribus subscribunt, asserit, necessario causam legitimam exigi, ut satisfactio unius alteri prosit: & hanc aliam non esse nisi impotentiam saltem commode satisfaciendi = *Prout satisfactio* (inquit in 4. *dist.* 20. *artic.* 2.°) *est solutio pretii pro reatu ipsius peccati, tunc causa existente rationabili, unus homo potest satisfacere pro altero. Causam autem tunc appello rationabilem, quando homo, qui tenetur satisfacere, vel omnino non potest, vel non potest commode.*

Nos vero Respondemus,non requiri impotentiam satisfaciendi pro reatu pœnæ temporalis propria culpa contracto, ut quis alterius satisfactione fruatur. = *Nec exigitur etiam quantum ad solutionem debiti* (inquit D. Thomas in 4. *dist.* 20. *artic.* 3. *quæstiunc.* 3.) *quod ille, pro quo fit satisfactio, sit impotens ad satisfaciendum; quia etiamsi esset potens, alio satisfaciente pro ipso, ipse a debito immunis esset* = Consonum enim est unioni charitatis, ut possit quis etiam satisfacere negligens, alieni suffragii opem experiri; & ideo Scriptura & Patres ita nos ad satisfaciendum pro aliis invitant, ut nullo modo impotentiam vel absolute, vel commode satisfaciendi commemorent.

Quæres 3.° An possit quis satisfactionem sibi a Confessario injunctam, ut peccati punitivam per substitutum implere?

Non immerito dubium proponitur de satisfactione Sacramentali ut punitiva, seu ut solutiva pœnæ temporalis, quia de ea ut medicinali receptum est apud omnes, id fieri non posse quod quæritur.

Respondemus, pœnitentem ex proprio arbitrio satisfactionem ut peccatorum punitivam a Confessario injunctam non posse per alium implere, bene vero de Sacerdotis injungentis consensu.

Prima pars patet, 1.° ex Decreto Alexandri VII., quo inter alias propositiones sub die 23. Martii anno 1666. damnatas,hæc in ordine 15.a recensetur = *Pœnitens propria authoritate substituere*

re sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat = 2°. quia pœnitens ex Sacerdotis præcepto tenetur satisfactionem implere tanquam partem integralem Sacramenti Pœnitentiæ, juxta Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 3.° Satisfactio autem per substitutum impleta ex mero pœnitentis arbitrio, non potest hoc habere; cum nequeat virtute Clavium elevari. Hæc siquidem virtus elevandi opera implenda, ut fiant pars Sacramenti Pœnitentiæ, non in pœnitente ut tali, aut ejus substituto residet, sed dumtaxat in Confessario. Accedit: obligationem hujusmodi satisfactionis in Confessarii præcepto fundamentum agnoscere = *Quandocunque autem Confessor nihil explicat, sed absolute injungit pœnitenti, ut hoc vel illud fiat* (ut dicit Suarius *disp.*38. *sect.*9. *num.*1.°,) *imponit obligationem personalem per ipsum, & non per alium implendam* = Quamobrem sicut nemo dixerit, obligatum ab Ecclesiæ præcepto ad jejunandum, vel Sacrum audiendum, eidem per illa opera ab alio executioni mandata satisfacere; ita neque per alium exequentem opus in satisfactionem Sacramentalem injunctum ex propria voluntate, dicendum est, talem obligationem implere. Non potest ergo pœnitens satisfactionem ut punitivam peccati, a Sacerdote injunctam, per substitutum peragere.

Dices. Eleemosyna pauperi data per ministrum, attribuitur ei, cujus nomine a ministro confertur; adeoque pœnitens obligatus a Confessario in foro Sacramentali ad erogandam eleemosynam, vel aliud pium opus peragendum, potest per alium, ad hæc exhibenda subrogatum, implere præceptum pœnitentialis satisfactionis.

Resp. aliud esse uti ministro ad elargiendam eleemosynam: aliud vero substitutò, ut notant PP. Salmanticenses Scholastici loco supra citato *dub.* 3. *nu.*49. minister enim ad dandam eleemosynam deputatus, se gerit ut instrumentum, & eo utens se habet tanquam causa principalis, ex bonis propriis eleemosynam impendens, quæ pauperi collata, in utentem ministro tanquam actus proprius refunditur. Substitutus e contra non se habet ut instrumentum, bene verò ut causa principalis; quamobrem eo deputato, nequit alteri hujusmodi actus attribui. Hinc si pœnitens ex propriis alteri daret pecuniam, ut eleemosynam sibi a Sacerdote in foro Sacramentali injunctam impleret, eo uteretur ut instrumento, proindeque illud miserationis officium in pœnitentem, tanquam actus proprius refunderetur. Oppositum esset dicendum, si pœnitens alterum ad illum actum prædicto modo sibi injunctum substitueret; cum substitutus non esset instrumentum, sed vera causa principalis hujusmodi actus.

2.° Pars prob. Ut pœnitens injunctam sibi in Sacramentali Confessione peragat satisfactionem, satis est, quod eam implere satagat juxta Confessarii præcipientis voluntatem; unde eo in actuali Clavium ministerio consentiente, quod alius a pœnitente ad opus pœnale peragendum substituatur, citra dubium satisfactio pœnitentialis implebitur. Maxime quia hujusmodi operi pœnali nequaquam deesset elevatio ad esse Sacramentale; polito siquidem, quod fieret ex Sacerdotis consensu, jam totum haberet, quod ad elevationem partis Sacramentalis requireretur. Ergo de Sacerdotis injungentis consensu potest pœnitens satisfactionem ut peccatorum punitivam per alium implere.

Dices cum Vasquez in 3. *part. quæst.* 94. *artic.* 5. *dub.* 1.° Juxta Concilium Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 3. Satisfactio Sacramentalis est actus pœnitentis. Jejunium vero per alium exhibitum etiam dependenter a voluntate Confessarii, actus pœnitentis non est; adeoque alio ad jejunandum substituto, nequit satisfieri obligationi pœnitentialis satisfactionis. Adde, a Sacerdote præcipi satisfactionem Sacramentalem. Ab illo autem nequit injungi substituto, ut pro pœnitente jejunet; etenim in causa vindicativa reus potest puniri, non innocens.

Resp. tale jejunium esse physice actum jejunantis, moraliter tamen, & ratione charitatis tribui pœnitenti; quod sufficiens est, ut prævia elevatione facta a Confessario, ejusque supposito consensu, ubi illud ab alio ponitur, sit vera ejusdem pœnitentis satisfactio, eique prosit ad veniam ex opere operato. Ad additamentum dicimus, Confessarium absolute loquendo, non posse nisi pœnitenti præcipere; facta tamen hypothesi, quod quis vellet onus pœnitentialis satisfactionis alterius ferre, se haberet ut reus, ac proinde capax alienæ obligationis implendæ.

Quæres 4.° An pro alio satisfaciens, eisdem actibus simul pro se satisfaciat?

Resp. Negative; quia satisfactio fit per propriam solutionem, atque æquivalentem compensationem. Unus autem actus, qui in linea satisfactoria est finiti valoris, potest secundum æqualitatem ad tantam pœnæ temporalis remissionem dumtaxat valere, & non ad aliam; unde si hunc obtinet effectum pro alio, in tali valore penitus exhauritur, ac per consequens ad proprii debiti solutionem nequit pertingere. Hanc doctrinam habes ex D. Thoma *in 4. artic. 2. quæst. 1. quæstiunc. 3.ª ad 3.m* qui discrimen tradens inter valorem operis satisfactorii & meritorii de congruo, inquit, = *In solutione debiti attenditur quantitas pœnæ: sed in merito attenditur radix charitatis; & ideo ille, qui ex charitate pro alio meretur, saltem merito congrui, etiam sibi magis meretur* de condigno augmentum gloriæ; *non autem qui pro alio satisfacit, pro se satisfacit, quia illa quantitas pœnæ non sufficit ad utrumque peccatum* = Rem, de qua agimus, illustrat exemplum solutionis debiti pecuniarii; debens enim alteri centum denarios, ac totidem tribuens, ut amici debitum solvat, aliis centum indiget, ut pro debito proprio satisfaciat.

Dices. Oratio ad impetrandum a Deo spirituale beneficium ordinata, non raro idem pariter assequitur pro orante. Quare ergo idem dicendum non erit de satisfactione?

Resp. orationis vim impetratoriam secundum efficaciam non tam fundari in quantitate aut valore actus, quam in liberalitate remunerantis aut concedentis id, ad quod oratio dirigitur, ideoque mirum non est, quod possit ea mediante, tum ipsi oranti, tum alteri spirituale beneficium obtineri. E contra cum satisfactio fundetur in pœnalitate operis, ut habente valorem a gratia sanctificante, & charitate communicatum, fieri debet præstita solutione æquivalenti pœnæ temporali solvendæ, quamobrem cum finita sit ea pœnalitatis & satisfactionis vis, nequit ad duo debita æqualia solvenda ordinari, proprium nempe & alienum.

Solvuntur Argumenta Adversariorum, quibus probare nituntur, hominem justum non posse Deo satisfacere pro pœna temporali alteri, seu alterius peccatis debita.

Objiciunt 1.° Sacra Scriptura de satisfactione pertractans, adeo proprium esse declarat ejus, qui peccavit, onus solvendi satisfactionem, ut nequeat unus ab alio in eo ferendo adjuvari. Ad Galat. 6. = *Unusquisque onus suum portabit* = 2. ad Cor. 5 = *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum* = Psalm. 61. *Reddet unicuique juxta opera sua*. Tandem = *Apocal.* 18 = *Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum* = Ergo homo justus non potest Deo satisfacere pro pœna temporali peccati alterius.

Resp. sanum earum authoritatum intellectum esse de propriis operibus consideratis quantum ad meritum vel demeritum, in ordine ad reddendam supremo Judici rationem, ut inde supplicia decernantur vel præmia. Quod innuitur potissimum subsequentibus verbis Apostoli loco citato; ubi postquam dictum est. *Unusquisque onus suum portabit* subditur = *Quæ seminaverit homo, hæc & metet; quoniam qui seminat in carne sua, de carne metet corruptionem; qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam* = Intendit itaque Sacra Scriptura, neminem a supremo Judice ad gehennæ supplicium damnari pro alienis criminibus, nisi aliunde proprii reatus involucro detineatur obnoxius. Cum quo optime cohæret, ad levamen oneris pœnæ temporalis, fraternæ charitatis subsidio Christifideles invicem adjuvari; unum enim corpus morale sumus in Christo, ita ut, quantum ad pœnæ temporalis remissionem, actus unius alterius efficiatur; ideoque D. Augustinus *Lib. 2.° de Consensu Evangelistar. cap.* 30. ostendit duo posse verificari, & quod alter alterius queat onera portare: & quod unusquisque onus suum portabit, quin Apostolus sibi contradicere videatur. = *Nisi oneris nomen*, inquit, *sub diversis significationibus acceperis, putabis eundem sibi esse con-*

contrarium: & hoc in sua sententia tam vicinis positis verbis; qui cum paulo ante diceret: Alter alterius onera portate: postea dixit: Unusquisque proprium onus portabit. Sed alia sunt onera participandæ infirmitatis, alia reddendæ rationis Deo de actibus nostris. Illa cum Fratribus sustinenda communicantur, hæc proprie ab unoquoque portantur = Ab hac D. Augustini interpretatione alienus non est Angelicus Præceptor exponens eundem Apostoli locum ad Galat. 6. *lect.* 1. *Unusquisque*, inquit, *onum suum portabit, quod videtur contrarium ei quod dixerat = Alter alterius &c. Sed sciendum est, quod ibi loquitur de onere sustinendæ infirmitatis, quod debemus mutuo portare, hic loquitur de onere reddendæ rationis, quod quilibet pro se portabit, sive sit onus præmii sive pœnæ.*

Objiciunt 2.° Hoc intercedit discriminis inter debitum personale, ac reale, quod hoc, per traditionem ipsius rei vel ab ipso debitore, vel a quocunque alio ipsius nomine factam, possit persolvi; illud vero non nisi per actionem vel personæ propriæ passionem. Debitum autem subeundi pœnam temporalem pro culpa est personale; est enim ejus, qui culpæ reatum contraxit, juxta illud David, quando Angelum irruentem in populum Israeliticum vidit= 2. *Reg. cap.* 24. = *Ego sum qui peccavi; ego inique egi. Isti qui oves sunt quid fecerunt? Vertatur obsecro manus tua contra me.* Ergo nequit unus pro alieno debito personali pœnæ temporalis satisfactionem offerre. Idque confirmatur & declaratur magis. Nemo efficitur reus pœnæ, vel culpæ propter peccatum aliena voluntate perpetratum, sed per propriam voluntatis conversionem ad bonum commutabile; quod profecto evincit, neminem posse a reatu pœnæ temporalis expiari per satisfactionem ab alio oblatam; intantum enim nemo pœnæ vel culpæ reus valet fieri per peccatum ab alio commissum, inquantam reus nequit constitui, nisi per peccatum inficiens, idque neminem præter illum potest inficere, a quo perpetratur. Cum ergo satisfactio unius peccati infectionem ab alio non tollat, nec pariter conversionem ad tale bonum commutabile, quæ est reatus pœnæ temporalis, origo & fundamentum: ac per se consequens ob alterius satisfactionem a reatu pœnæ temporalis peccati proprii nemo evadit immunis.

Resp. debitum personale dupliciter accipi. Primo prout *Ly personale* stat omnino stricte, ac debitoris personam significat dumtaxat physicæ ac materialiter consideratam. Secundo, prout latius accipitur, importatque debitoris personam moraliter acceptam. Hoc secundo modo, non primo debitum satisfaciendi Deo pro pœna temporali est, & dicitur personale: quatenus a persona, quæ debitam contraxit, vel ab alia sibi aliquo modo conjuncta solvenvendum est, quæ eadem cum illa juxta prudentum æstimationem reputatur (qua seclusa distinctione, excogitari non posset, quomodo Christus potuerit satisfactionem pro nobis offerre, ut a debito pœnæ temporalis liberaremur, cum physice ac materialiter eadem persona cum debitore non fuerit) Quamobrem cum supernaturalis amicitia charitatis unionem quandam moralem inter personas efficiat, præstat, ut opus satisfactorium unius, ita pro alterius debito solvi possit, ac si exhiberetur ab eo, qui peccatum propria voluntate perpetravit. = *Quod per amicos facimus* = (dicit D.Thoma. 3. *contra Gentes cap.* 158.) = *per nos ipsos facere videmur: quia amicitia ex duobus facit unum per effectum, & præcipue dilectio charitatis; & ideo sicut per se ipsum, ita & per alium potest aliquis satisfacere Deo, præcipue cum necessitas fuerit, nam & pœnam, quam amicus propter ipsum patitur, reputat aliquis ac si pateretur* = & in 4. *sent. dist.* 45. *q.* 1. *art.* 1. *quæstiunc.* 1. = *Ad secundum*, inquit, *dicendum, quod opus quod pro alio fit, & similiter opus, quod est ejus, qui mecum est, unum est quodammodo meum, unde non est contra Divinam Justitiam: sed unus fructum percipit ab operibus factis ab eo, qui est unum secum in charitate, vel ab operibus a se factis. Hoc etiam secundum humanam justitiam contingit, ut satisfactio unius pro alio accipiatur* = Itaque debitum personale prout a reali distinguitur, per actionem vel passionem ejus, qui illud contraxit, persolvitur. Verum supposito, quod quis ex charitatis effectu propriam actionem vel passionem in alterius favorem dirigat, ea fit

sit moraliter propria illius, ita ut, per ipsam tanquam per propriam actionem vel passionem satisfaciat. Exemplum ex 2.° *Reg. cap.* 24. non probat oppositum, etenim ne dum David Populum numerando peccavit, verum etiam Populus Israel; ideoque tam Rex quam Populus pertulerunt supplicium = *Vindictam* =, inquit, D. Gregorius *lib.* 29. *Moral. cap.* 14. = *Populus, David peccante, suscepit. Cur hoc? quia secundum meritum plebium disponuntur corda rectorum. Justus vero Judex peccantis vitium ex ipsorum animadversione corripuit, ex quorum causa peccavit, sed quia ipse a culpa alienus non fuit, vindictam culpæ etiam ipse suscepit* =. Quapropter licet David ob charitatis fervorem, solus pœnæ subesse exoptaret (fortasse quia causa potissima fuit culpæ commissæ) omnes tamen ejusdem reatus participes extitere, proindeque debebant exolvere. Ex quo eruitur responsio ad confirmationem; verum enim est, neminem reum pœnæ temporalis, vel culpæ constitui per alienæ voluntatis peccatum; verum hoc non obstat, quod quis ob alterius satisfactionem a reatu pœnæ temporalis solvatur, quia quanquam hujusmodi reatus originem atque fundamentum agnoscat ex proprio peccato, prout dicit conversionem ad bonum commutabile, quæ ut auferatur, debet omnino retractari, id tamen fieri potest vel per proprium actum satisfactorium medicinalem, vel per consensum præstitum, ut alter ejus pœnam ferendam assumat: imo & per actum compassionis, qui in reo ex eo oritur, quod amicum insontem ob ejus dilectionem pœnam videat tolerare; etenim, ut ait Angelicus Doctor in 3.° *contra Gentes capit.* 158. = *Pœnam, quam amicus propter ipsum patitur, reputat aliquis, ac si ipse pateretur; & sic pœna ei non deest, dum patienti amico compatitur, & tanto amplius, quanto ipse est ei causa patiendi* = quamobrem per hanc pœnam compassivam toleratam, satisfactioni amici pro suo debito patientis adjunctam, potest & illam conversionem ad bonum commutabile secundum se acceptam auferre, atque pœnam temporalem, cujus debitum in ea fundabatur, exhaurire.

Quomodo autem Adæ peccatum ad posteros quantum ad culpæ & pœnæ reatum independenter ab eorum consensu possit propagari: cum communi Theologorum sententia dicimus: hujusmodi peccatum esse etiam posteris voluntarium per se & intrinsece, non quidem formaliter per modum exercitii, sed per modum effectus, non physice, sed moraliter per ordinem ad Protoparentis Adæ voluntatem, continentis ex Dei institutione voluntates cæterorum, ab eo per seminalem propagationem descendentium. Ex quo recte colligitur, neminem vel peccati reum posse constitui per culpam aliena voluntate commissam, aut citra propriæ voluntatis influxum ad pœnam peccato debitam obligari. Cæterum ad obtinendam immunitatem a pœna temporali subeunda, de qua est controversia, satis est Deum cedere juri suo, quod habet adversus peccatorem: idque fieri potest, vel intuitu propriæ, vel alienæ satisfactionis, ut in humanis fieri posse in quarta probatione nostræ Conclusionis expendimus.

Objiciunt 3.° Eodem modo discurrendum est de pœna, ac de culpa. Porro actus contritionis unius nequit ad delendam culpam alterius satis esse. Nec ergo quæcunque sit unius operatio, potest ordinari ad pœnæ temporalis remissionem alterius.

Resp. culpæ remissionem ad intrinsecam rectitudinem, hominisque sanctitatem spectare, non comparandam connaturaliter juxta præsentis vitæ statum, nisi mediis intrinsecis atque proportionatis dispositionibus peccatoris, ut tradunt Patres Salmanticenses Scholastici in *Tract.* 15. *de Justif. Impii disp.* 13. *dub.* 1°., quia præcedentem culpam retractari necesse est, peccatoremque intrinsece mutari. Hinc cum nequeat quis alieno actu peccatum retractare, ita nec alieno consensu, vel actu contritionis potest interius renovari, ac culpæ remissionem obtinere. Ea autem bonorum actuum dispositio non semper exigitur, ut homini pœna temporalis relaxetur; non enim oportet, ut id habeatur cum interiori hominis renovatione. Hanc difficultatem sibi propositam his verbis dirimit D. Thomas in *supplem.* 3. *partis quæst.* 13. *artic.* 2. *in respons. ad* 2.m = *Dicendum quod contritio ordinatur contra culpam, quæ ad dispositionem bonitatis vel malitiæ pertinet, & ideo per contritionem unius, alius a culpa non liberatur: similiter*

per

per confessionem, homo se Sacramentis Ecclesiæ subjicit; non autem potest unus Sacramentum pro alio accipere, quia in Sacramento gratia suscipienti datur, non alii: & ideo non est similis ratio de satisfactione, contritione & confessione.

Objiciunt 4.° Non minor elucet virtus in homine justo ad merendum, quam ad satisfaciendum. Itaque cum fieri nequeat, ut unus pro altero promereatur condignitatem ad gloriam, consequens fit, idem dicendum esse de exemtione a debito pœnæ temporalis media satisfactione.

Resp. condignitatem ad gloriam haberi per gratiam mediis propriis dispositionibus adultis conferendam; unde cum nemo ad gratiam sanctificantem disponatur mediis operibus aliorum, nequit adultus mediis operibus alienis gloriæ condignitatem mereri. Ad pœnæ vero temporalis remissionem, non attenditur dispositio gratiæ illius, qui tanquam reus in Divino Judicio est debito pœnæ temporalis obnoxius (cum ille fortassis, qui majori, seu intensiori gratia dispositus reperitur quam alius, graviori pœnæ sit addictus) ideoque mirum non est, operationem minime sufficientem ad disponendum alterum ad gratiam, qua mediante condignitas ad gloriam comparatur, prodesse alteri, ut reddatur non dignus pœna, ac per consequens exemtus ab onere satisfactionis implendæ. Disparitas hæc ex Angelico Præceptore desumitur, qui in 4. *dist.* 20. *artic.* 2. *quæstiunc.* 3. *ad* 1. inquit = *Præmium essentiale*, quod est gloria æterna, *redditur secundum dispositionem hominis, quia secundum capacitatem videntium erit plenitudo visionis Divinæ; & ideo sicut unus non disponitur per actum alterius, ita unus alteri non meretur præmium essentiale; nisi meritum ejus habeat efficaciam infinitam, sicut Christi, cujus merito solo pueri Baptizati ad vitam æternam perveniunt. Sed pœna temporalis pro peccato debita post culpæ remissionem, non taxatur secundum dispositionem ejus, cui debetur, quia quandoque, qui est melior, habet majoris pœnæ reatum; & ideo quantùm ad pœnæ remissionem unus alteri mereri potest*, idest pro illo satisfacere, *& actus unius efficitur alterius charitate mediante, per quam omnes unum sumus in Christo.*

CAPUT

CAPUT II.

DE THESAURO ECCLESIÆ.

A Difficultatibus, quæ satisfactionem concernunt, expediti, ad pertractandum de Ecclesiæ Thesauro progredimur. Porro ut pateat, quibus & quantis divitiis cumuletur, quærendum est 1.° An ille existat constans tum ex meritis Christi, tum ex iis, quæ Sancti per ejusdem Christi gratiam compararunt. 2.° An ad eundem spectent dicta merita Sanctorum dumtaxat ut impetratoria, vel etiam ut satisfactoria? 3.° An sit unus vel multiplex? 4.° demum, An hæc in eo reposita quandoque deperdantur?

ARTICULUS I.

An existat Thesaurus Ecclesiæ constans tum ex meritis Christi, tum ex iis, quæ Sancti per ejusdem Christi gratiam compararunt.

QUANQUAM rerum existentia in aliis materiis, uti quid per se notum, probari minime consueverit, nihilominus, quum agitur de Ecclesiæ Thesauro, multiplici argumentorum genere ab Heterodoxis concusso, opere pretium est ejus existentiam prolixo examini committere, ut humanus intellectus fidei ac Sacræ Theologiæ principiis institutus, illorum tenebras detegat, ac lucem percipiat Catholicæ veritatis.

Recensentur ii, qui existentiam Thesauri Ecclesiæ negant, proponiturque eo de argumento, quid Ecclesia Catholica sentiat.

Hæretici novatores Ecclesiæ dogmata evertere conantes, ut Indulgentiarum fontem eripiant, Thesaurum Ecclesiæ aperta fronte negare non erubescunt, solidisque juxta morem rationum momentis pro impugnatione destituti, ad irrisiones recurrunt, a Doctoribus Catholicis exquirentes: Unde ille sit? Quibus clavibus obseretur? Quos ibi aureos habeat? Quæque monilia in eo recondantur.

Huic errori firmiter adhæsisse Lutherum satis superque constat ex dictis in *Præmial. dissert.* §. 6. *pag.* 70. Quid de hac re senserit Calvinus, exponit ipse in *lib.* 3. *Institution. cap.* 5. §. 2. injuriam arbitratus fieri sanguini Christi, si ita ponatur Ecclesiæ Thesaurus, ut ad illum spectent merita Sanctorum, his verbis sub Sophistarum nomine Catholicos perstringens = *Thesaurum Ecclesiæ vocant, Christi & sanctorum Apostolorum Martyrumque merita .... Quid fœdius poterat profanari Christi Sanguis, quam dum negatur sufficere ad peccatorum remissionem, ad reconciliationem, ad satisfactionem, velut arescentis defectus aliunde suppleatur & sufficiatur Christo? Lex & Prophetæ omnes, teste* Petro *Actor.* 10., *testimonium perhibent, quod per ipsum accipienda sit remissio peccatorum. Indulgentiæ remissionem peccatorum per Petrum & Paulum, & Martyres largiuntur. Sanguis Christi emundat nos a peccato, inquit Joannes* 1. *Jo.* 1. *Indulgentiæ Sanguinem Martyrum faciunt peccatorum ablutionem. Christus, inquit Paulus* 2. *Corinht.* 5., *qui peccatum non noverat, factus est pro nobis peccatum: idest peccati satisfactio, ut justitia Dei efficeremur in illo. Indulgentiæ peccatorum satisfactionem in Sanguine Martyrum reponunt. Clamabat Paulus, & Corinthiis testificabatur, solum Christum pro nobis crucifixum, & mortuum. Indulgentiæ pronunciant Paulum & alios pro nobis mortuos* = Et infra dicit = *Christum acquisivisse Ecclesiam suo Sanguine Actor.* 5. *Indulgentiæ aliud pretium acquisitionis in Sanguine Martyrum statuunt. Una oblatione Christus consummavit in perpetuum sanctificatos, ait Apostolus Hebr.* 10. *Indulgentiæ reclamant a Martyribus perfici satisfactionem, quæ alioquin non sufficeret. Joannes dicit Apocalypsis* 7.° *Sanctos omnes lavisse stolas in Sanguine Agni. Indulgentiæ docent,*

cent, lavare stolas in Sanguine Sanctorum.

Ea quæ contra Ecclesiæ Thesaurum protulit Calvinus, ex putido Tertulliani fonte eum hausisse non ambigimus; qui olim, non jam Catholicus sed Hæreticus cum ab Ecclesia ad Montanistarum castra demigrasset (ut admonet, D. Hieronymus, in *lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis*) animadvertens Ecclesiam a pœnitentiæ publicæ oneribus subeundis Mœchos liberare, ob Sanctorum Martyrum satisfactiones, in *lib. de Pudic.ª cap.* 22. ita Zephyrini Romani Pontificis pietatem suggillavit = *At tu in Martyres tuos effundis hanc potestatem. Quis permittit homini donare, quæ Deo reservanda sunt? sufficiat Martyri propria delicta purgasse. Ingrati vel superbi est in alios quoque spargere, quod pro magno fuerit consecutus. Quis alienam mortem solvit, nisi solus Deus? Proinde, qui illum imitaris donando delicta, si nil ipse deliquisti, plane patere pro me. Si vero peccator es, quomodo oleum fsculæ tuæ sufficere tibi & mihi poterit? Si propterea Christus in Martyre est, ut Mœchos & fornicatores absolvat, occulta cordis edicat, ut ita delicta concedat, & Christus est.*

Non defuit ex antiquis etiam Doctoribus Franciscus Mayro, qui Thesauri Ecclesiæ existentiam impugnaverit in 4. *dist.* 19. *q.* 2.ª ob completam remunerationem Christi meritis attributam = *Christus*, ait, *est plene remuneratus de omnibus actibus suis, unde ad Philipp.* 2.º *Humiliavit se, propter quod Deus exaltavit illum; unde de omni superabundantia est sibi bene remuneratum.*

Admittit Ecclesiæ Thesaurum Cosmas Montigianus in libro idiomate vulgari descripto *de Sanctiss. Jubil. cap.* 19. eum tamen non asserit, ex Christi meritis, ac superabundantibus Sanctorum satisfactionibus cumulari, sed ex Dei bonis Sanctissimæque Trinitatis Attributis, quem vocat, Potentiam Patris, Sapientiam Filii, & Misericordiam Spiritus Sancti, juxta illud *Deuteron.* 32. = *Nonne hæc recondita sunt apud me, & signata in thesauris meis* = Cæterum Thesaurus hic a laudato Authore descriptus ad Theologicum non pertinet institutum; Theologi siquidem de Ecclesiæ Thesauro pertractantes, non ad Dei Sanctissimæque Trinitatis Atributa recurrunt, sed ad meritorum, ac satisfactionum cumulum, quæ pro remissione pœnæ temporalis Christifidelium, in Divina maneant acceptatione.

Durandus de S. Portiano Episcopus Meldensis, postea Aniciensis, Bellarmini judicio Theologus non ignobilis, alienus non est a propugnanda veritate Thesauri meritorum Christi, negat tamen ad eundem Sanctorum merita pertinere. Excusandus profecto, quod Commentaria in sententiarum libros ediderit, nondum emanata Clementis VI. Constitutione *Unigenit. de Pœnit. & Remissionib.* Eo vel maxime, quod paratus fuerit Ecclesiæ indicio acquiescere, ubi Romanus Pontifex, ex Cathedra loquens, oppositum definiret: uti ea, quæ in eorundem Commentariorum Præfatione protulit, apertissime declarant = *Quoniam*, inquit, *interpretatio dubiorum Sacræ Scripturæ ad Sanctam Ecclesiam Romanam, & Catholicam pertinet, omnia opera, ejus correctioni totaliter suppono.*

Quid vero de Ecclesiæ Thesauro doceat Ecclesia Catholica, firmamentum & columna veritatis, habetur ex laudata *Constit. Unigenit. de Pœnit. & Remissionib.* ubi dicitur = *Unigenitus Dei Filius, id quod fuit, permansit, & quod non erat assumsit, ut haberet unde hominem lapsum redimeret, & pro eo satisfaceret Deo Patri... Quantum ergo exinde, ut nec supervacua, inanis, aut superflua tanta effusionis miseratio redderetur, Thesaurum Ecclesiæ militanti acquisivit, volens suis thesaurizare filiis pius Pater... Ad cujus quidem Thesauri cumulum, Beatæ Dei Genitricis, & omnium Electorum a primo justo usque ad ultimum merita, adminiculum præstare noscuntur.*

Asseritur existere Ecclesiæ Thesaurum ex Christi Sanctorumque meritis coalescentem, multisque Argumentis comprobatur.

Conclusio 1.ª Existit Ecclesiæ Thesaurus in acceptatione & præsentia Divina, ad temporalis pœnæ nobis debitæ remissionem aptissimus, constans ex meritis superabuntis satisfactionis, quam Christus Deo Patri exhibuit pro humani generis reparatione.

Prob. 1.º ex Sacræ Scripturæ authoritatibus, quibus edocemur, Christum, ob unionem hypostaticam actibus suis ad li-

berandum genus humanum a culpis, objisse munus Redemtoris, uberrima pro illo Æterno Patri oblata satisfactione. Id tradit Apostolus pluribus in locis, ad *Roman.* 3.° = *Justificati*, inquit, *gratis per gratiam ipsius, per redemtionem, quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius* = 1.ª *ad Corinth. cap.* 2.° = *Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia a Deo, & Justitia, & sanctificatio, & redemtio* = 1.ª *ad Timoth.* 2. = *Qui dedit redemtionem semetipsum pro omnibus* = *in Epist. Ad Hebræos* 9.° *Christus semel oblatus est ad multorum exhauriendа peccata* = Expressius idem asserit S. Joannes in *Epist.* 2 = *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi*; = ideoque velut victima Deo pro hominum peccatis offerenda Isaiæ *cap.* 3. describitur = *Veræ languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit* = Pretium vero, quod ad satisfaciendum pro nobis Christus obtulit, fuit ipsemet Christus. Quanquam vero in allatis Sacræ Scripturæ locis non fiat explicita mentio de pœnis pro nobis persolutis, ut inde legitime inferatur, conflari ex eis Ecclesiæ Thesaurum, cæteris hominibus ad pœnarum temporalium remissionem applicandum, eas tamen, peccatorum nomine implicite contineri, compertum est; peccata siquidem, sicut culpæ, ita & pœnæ reatum important. Itaque cum constet, Christum perfectam uberrimamque pro peccatis satisfactionem obtulisse, dicendum est, pœnam pariter temporalem pro nobis exolvisse. Alias nequaquam posset ejus satisfactio, ut Scriptura loquitur, secundum justitiæ rigorem peccatis adæquate correspondere. Ideoque merita Christi sunt abundantes illæ divitiæ *gratiæ Dei* (ut utar verbis Apostoli = *ad Ephes.* 1.°) *quæ superabundavit in nobis in omni sapientia & prudentia* = Addimus: Sacram Scripturam clarius loqui de Christi satisfactione exhibita pro solvendis pœnis temporalibus nobis debitis *Psalm.* 68. = *Quæ non rapui tunc exolvebam* = & *Isaiæ* 53. = *Disciplina pacis nostræ super eum* = Nihil certe proferri poterat ad nostræ Conclusionis probationem accomodatius, quia Christus (ut supponit, docetque Tridentinum *cap.* 8.) tulit pœnas nostris peccatis debitas.

Consulto dictum est, *Christum, ob unionem hypostaticam actibus suis ad liberandum genus humanum a culpis, obiisse munus Redemtoris*; ea enim circumscripta, minime potuisset completa satisfactio exhiberi, vel Ecclesiæ Thesaurus constitui. Ideoque adversus Nestorium ita loquitur D. Cyrillus Alexandrinus *lib.* 1.° *ad Reginas c.* 7. = *Quod si vulgaris tantum homo esset Emmanuel, quomodo mors illius humanæ naturæ opem tulisset?...... Si Christus verus Deus non esset, quam utilitatem illius Sanguis nobis potuit adferre? Aut quomodo conscientias nostras ab operibus mortuis potuit expiare? Quid enim vulgaris hominis sanguis virtutis aut efficacitatis habet, quod non etiam sanguis hircorum? Omnino nihil.*

Prob. 2.° ex Patribus, qui ita meritorum Christi excellentiam commendant, ut asserant, eam fuisse sufficientem vel ad expianda nostra delicta, vel ad quodcunque pœnæ debitum exolvendum. Paucas cruoris Christi guttas humani generis reparationem, vocat S. Gregorius Nazianzenus *Orat. in Sanct. Pasch.* = *Nullum signum*, inquit, *sicut meæ salutis miraculum; guttæ sanguinis paucæ, Mundum universum reformantes* = Cohæret Gregorio Nazianzeno S. Ambrosius *lib.* 7. *Commentar. in Evangel. Luc.* = *Apostolus dixit: Emti enim estis pretio magno. Et bene magno, quod non æstimatur ære, sed Sanguine, quia pro nobis mortuus est Christus, qui pretioso nos Sanguine liberavit; sicut etiam Sanctus Petrus in Epistola commemorat sua, scribens ad nos, quia non corruptibilibus argento, & auro, inquit, redemti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso Sanguine quasi agni incontaminati & immaculati Christi Jesu. Et bene pretioso, quia immaculati corporis Sanguis est, quia Sanguis est Filii Dei, qui non solum de maledicto legis, sed etiam de impietatis morte perpetua nos redemit* = Eloquentissime, ut solet, S. Joannes Chrysostomus *Homil.* 10. *in Epist. ad Rom.* comparat satisfactionem Christi solutioni innumerabilium talentorum auri, ad liberandum detentum in vinculis ob leve delictum = *Quemadmodum*, inquit, *si quis obulos decem sibi debeat, in carcerem*

rem conjiciat, nec eum tamen solum, sed ejus causa tum uxores, tum liberos, tum famulos; atque hic superveniens unus aliquis decem, quos dixi, obulos non numeret modo, sed cum infinita item auri talenta largiatur, tum vero in aulas regias vinctum illum introducat, in principatus altissimi thronum imponat, cum eo summam honorem, reliquumque principalem splendorem communicet, non possent utique postea obuli illi decem illius memoriæ obversari, qui eos numeraverit, mutuaveritque. Sic & in nobis evenit; multo enim plura iis, quæ debebamus, dependit Christus, atque adeo tanto plura, quanto mare immensum ad pusillam guttam collatum, majus esse possit = Idem quod Patres laudati, tradit S. Cyrill. Alex. in mox citata Epistola = *Non pauci Sanctorum Prophetarum mortem obierunt*, inquit, *ut laudatissimus idem Abraham, Isaac, Jacob, Moyses, Samuel, reliquique Principes, qui omnes eximia vitæ sanctimonia claruerunt; veruntamen mors illorum generi humano nihil omnino contulit. At vero mors Christi salutem præstitit, siquidem propriam pro nobis carnem obtulit, mortique semetipsum nostri causa contradens, omnes ex mortis laqueis exemit. Unus enim pro omnibus moriens abunde satisfecit* = Huc spectat, quod expendit D. Cyprianus *serm. de Ascensione*, vel quisquis sit Author *lib. de operibus Cardinalibus Christi* = *Impar sane commercium, pretium inæquale*, inquit, *sed qui pro nobis triginta argenteis appretiatus intelligi volust, quanta fuerit in pretio, quod pro eo datum est, & in eo quod ipse dedit pro mundo, dissimilitudo, cum ipse exiguo argento emtus & venditus tanto pretio damnatos redimeret, ut dubium esse non possit, quin pretii magnitudo superaret negotium, nec æquari posset damnum, quod omnino damnatio justa meruerat, obedientiæ Christi, quæ gratis usque ad mortem progressa est, & ultro solvit, quod non debebat.* = Quis ergo citra temeritatis notam in dubium revocare contenderit, existere Thesaurum meritorum Christi in acceptatione & præsentia Divina, ad temporalis pœnæ nobis debitæ remissionem aptissimum: quasi uno agmine conglobatos inspiciens Sanctos Patres, qui summas occupavere sedes in Episcopatu, quique immortalibus ingenii sui monumentis Ecclesiam illustraverunt, & illustrant etiam nunc, dum unanimiter fatentur excessum pretii supra debitum peccatorum pro reparatione nostræ salutis a Christo fuisse exolutum?

Accedit & ratio. Omnis Respublica rite, & recte instituta debet habere Thesaurum ex divitiis congestum, ut communibus indigentiis opportunæ subveniatur; ideoque Pharao, ex publici Erarii pecuniis collecto frumento, potuit, sicut Joseph providere curaverat, Ægypti populum a fame, vitæque periculo liberare & ideo D. Thomas *Opusc.* 20. *de Regim. Princip.* plures affert causas, quare expediat ad Regni munimen atque custodiam, aurum argentumque congregatum habere; ut enim docet Philosophus 8. *Ethicor.* Princeps se habet ad Populum, sicut Pastor ad oves, Pater ad filios. Igitur cum Ecclesia Christi sit, & dicatur Regnum *Matth.* 13. *v.* 11. & 18. *v.* 23. *Lucæ* 19. *v.* 11. postulat ratio, ut, ad sublevandos Fideles a spiritualibus animæ necessitatibus, & tam a reatu culpæ quam a debito pœnæ temporalis, Thesaurum habeat, qui alius esse non potest, quam cumulus superabundantium satisfactionum, quas Christus Deo Patri exhibuit pro humani generis reparatione quæ in Divina acceptatione existunt.

Ex his colliges hunc Ecclesiæ Thesaurum esse absolute & simpliciter infinitum, ut in prælaudata Constitutione: *Unigenitus de Pænit. & remissionibus.* habetur his verbis = *De cujus Thesauri consumtione non est formidandum propter infinita merita Christi* = Et adest efficax ratio ad hujusmodi infinitatem probandam; quia actiones eo sunt cæteris paribus majoris valoris, quo a persona digniori procedunt; quamobrem cum operationes Christi, ad nos redimendos a debito tam culpæ, quam pœnæ ordinatæ, a persona infinitæ excellentiæ ac dignitatis prodierint, habuisse putandum est valorem infinitum. Quam doctrinam sua authoritate firmavit Angelicus Præceptor in 3. *dist.* 2. *quæst.* 1. *art.* 3. *ad* 2.m dicens = *Vita corporalis Christi habebat quendam infinitum valorem, ex Divinitate conjunctum, inquantum non erat vita puri hominis, sed Dei & hominis* = Pressius idem docuit Angelicus in *quod*

lib. 2.° qu. 8. art. 16. in corp. = *Christus*, inquit, *pro Ecclesia sua sanguinem suum fudit, & multa alia & fecit, & sustinuit, quorum æstimatio est infiniti valoris propter dignitatem personæ; unde dicitur Sap. 8. quod infinitus est in illa Thesaurus hominibus* = Et ideo ob unionem Verbi Divini ad humanitatem, actiones Christi vocantur *Theandricæ* a D. Cyrillo Alexaudrino *lib. de Trinit. cap.* 19. eundemque loquendi modum adhibet Joannes Damascenus.

Dices contra Conclusionem. Nihil ex Christi meritis superfuit ad constituendum Ecclesiæ Thesaurum; quandoquidem Christus, qui proposito sibi gaudio sustinuit Crucem confusione contemta, condignum suorum meritorum præmium recepit; gloriam nempe corporis, nominisque exaltationem, dicente Apostolo ad Philipp. 1.° = *Propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen* = idque majus robur accipit in sententia Scoti & Durandi asserentium, Christi merita non habuisse infinitum valorem intrinsecum.

Resp. 1.° Christum utique per suam passionem, gloriam corporis nominisque exaltationem promeruisse; hæc tamen præmia virtutem ejus meritoriam non adæquabant; quælibet enim ejus operatio fuit Theandrica & Deivirilis: proindeque in ratione meriti, tum relata præmia, tum omnium peccatorum remissionem quantum ad culpam & pœnam in infinitum excessit. Nec ex sententia Scoti & Durandi aliquid evincitur in oppositum; ita enim Doctores laudati propugnant, Christi actionibus infinitum valorem intrinsecum defuisse, ut tamen admittant, eas non puri hominis extitisse, sed altioris ordinis, hominis scilicet Dei: ideoque eximiam, quanvis non absolute infinitam, ex circumstantia personæ elicientis dignitatem obtinuisse, ita ut pro infinitis propemodum peccatis abunde sufficiant; unde Scotus *in 3. dist. 19. num. 7.* de Christi satisfactione loquens, inquit: = *Ratione suppositi habuit quandam rationem extrinsecam, quare Deus potuit acceptare illud in infinitum. Si autem illud meritum fuisset alterius personæ, tunc nec ratione operis, nec ratione operantis, fuisset congruitas illius pro infinitis.*

Resp. 2.° merita Christi prout erant satisfactoria nullum effectum obtinuisse eidem Christo communicandum, utpote qui peccatum non fecit; sed quia peccata nostra portavit, in Divina acceptatione perseverant, ut ad nostram utilitatem dispensentur, possunt secundum illam rationem Ecclesiæ Thesaurum cumulare.

Conclusio 2.ª Thesaurus Ecclesiæ constat nedum ex meritis Christi, sed etiam ex meritis, quæ Sancti, dum viverent, compararunt.

Prob. 1.° ex 2. *ad Corinth. cap.* 12. ubi testatur Apostolus, plurimas bonorum operum divitias se pro iis congregasse, quos tanquam Pater spiritualis in Christo per Evangelium genuerat = *Non quæro*, inquit, *quæ vestra sunt, sed vos; nec enim debent filii Parentibus thesaurizare, sed Parentes filiis. Ego autem libentissime impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris* = Unde Origenes *Homil.* 10.ª *in lib. Numer.* hoc advertens ait = *Quod Dominus noster Jesus Christus venerit, ut tolleret peccatum mundi, & morte sua peccata nostra deleverit, nullus, qui Christo credit, ignorat. Quomodo autem & filii ejus auferant peccata sanctorum, idest Apostoli & Martyres, si poterimus ex Scripturis Divinis probare, tentabimus. Audi primo Paulum dicentem: libenter enim, inquit, expendam, & expendar pro animabus vestris: & in alio loco: Ego enim jam immolor, inquit, & tempus regressionis, seu resolutionis meæ instat. Pro iis ergo quibus scribebat, expendi se & immolari, dicit Apostolus. Hostia autem cum immolatur, ad hoc immolatur, ut eorum, pro quibus jugulatur, peccata purgentur* = Rursus Apostolus laudatus Corinthios divites hortatur, ut eleemosynam libenter erogent in quosdam pauperes secundum temporales substantias, qui erant divites secundum spirituales, spondens istorum abundantiam fore spiritualis eorum inopiæ supplementum; seu eos pauperum satisfactionibus fore adjuvandos = *In præsenti tempore*, inquit 2. *ad Corinth. 8. v.* 14. = *Non enim ut aliis sit remissio vobis autem tribulatio, sed ex æqualitate. In præsenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat, ut & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum* = Porro ex bonis operibus tum ab Apostolo, tum a pauperibus pro aliis

aliis impensis infertur, cumulari Thesaurum Ecclesiæ. Quæ Sacræ Scripturæ loca, etsi ad nostram Conclusionem amplectendam non cogant, ad institutum tamen, addita Ecclesiæ traditione, mirifice quadrant.

Prob. 2.° authoritate Ecclesiæ, hanc enim Scripturis copulandam, Catholicum tractatorem instituens, docuit D. Augustinus *de Doctr. Christian. lib. 7.° cap. 2.* = *Consulat*, inquit, *regulam fidei, quam de planioribus locis & Ecclesiæ authoritate percipit* = Quum ergo ex Sacra Scriptura omnino certa, ac apertissima regula haberi non potest, ac de ejus sensu nobis fit controversia, Ecclesiæ authoritas est consulenda. Eam vero hanc Lutheri propositionem, inter reprobatas decimam septimam, damnasse compertum est = *Thesauri Ecclesiæ unde Papa dat Indulgentias non sunt merita Christi & Sanctorum* = ut habetur ex Constitutione Leonis X. incipiente = *Exurge Domine* = edita sub die 15. Junii MDXX; quamobrem verum est juxta Ecclesiæ mentem, id quod directe opponitur prædictæ propositioni: nempe ad Ecclesiæ Thesaurum, nedum Christi sed etiam Sanctorum merita spectare. Thesaurus ergo Ecclesiæ nedum ex meritis Christi, sed etiam ex superabundantibus Sanctorum satisfactionibus coalescit, quas illi dum viverent compararunt.

Prob. 3. Traditione Ecclesiæ, quæ concludenter ostenditur, P.° ex antiqua praxi relaxandi pœnitentias publicas, peccatoribus injunctas, ob Confessorum satisfactiones, qui contra Catholicæ fidei Adversarios usque ad ultimum vitæ agonem invictissime decertarunt; ut fuse dictum est in *Dissertat. Proœmial. Histor.* §. 3. = Sec.° ex antiquissimo Sacramentario Sixti III, qui Summus Pontifex fuit electus anno CCCCXXXII. publici juris facto ab eruditissio Blanchino in *tom. ultim. Anastas. Bibliothecar.* ubi in quadam collecta legitur = *Deus qui Sanctos pro nobis pati posse concessisti, ut suas passiones ab Ecclesia offerri patiantur* = Ter.° ex Literis Decretalibus Leonis X. ad Cardinalem Cajetanum, in Germania Sedis Apostolicæ Legatum, editis sub die 9. Novembris MDXVIII. in quibus habetur = *Romanam Ecclesiam, quam reliquæ tanquam matrem sequi tenentur, tradidisse, Romanum Pontificem* .... *Thesaurum meritorum Jesu Christi & Sanctorum dispensare* = Ergo constans est Ecclesiæ Traditio, Thesaurum Ecclesiæ nedum ex meritis Christi, sed etiam ex meritis Sanctorum conflari.

Prob. 4.° Eo symboli articulo *Credo Sanctorum Communionem* profitemur, Fideles, qui membra sunt corporis Mystici Ecclesiæ, bene operando & satisfaciendo sibi invicem prodesse; ut ostendimus *cap. anteced. artic. 5.* Quod profecto locum non haberet si Sanctorum merita ab Ecclesiæ Thesauro excluderentur. Hinc ea merita juxta tritum ac vulgarem loquendi modum *Thesaurus* appellantur = *Præcipe:* (inquit Paulus in *Epist. ad Timoth. 6.*) *Divitibus hujus sæculi divites fieri in operibus bonis in futurum* = Ad hunc Thesaurum comparandum voluit Christus Fideles suos operam dare = *Thesaurizate autem vobis* (ait *Matth. 6.*) *Thesauros in Cælis, ubi neque ærugo neque tinea demoliuntur, & ubi fures non effodiunt, nec furantur* = Ergo merita Sanctorum spectant ad Ecclesiæ Thesaurum.

Advertendum tamen est hic, non esse Sanctorum merita absolute & simpliciter necessaria, tum ad constituendum, tum ad dispensandum Ecclesiæ Thesaurum pro remissione pœnarum temporalium; sola quippe Christi passio superabundans fuit pretium pro humani generis reparatione, ac proinde ad Ecclesiæ Thesaurum constituendum sufficiens; eidem tamen adduntur, nobisque applicantur ex Dei dignatione ad aliquem fructum obtinendum, ut pateat, eam virtutem Christo influente Sanctis fuisse communicatam, quæ propria merita elicere potuerit ad Ecclesiæ totius utilitatem. Quod in illorum honorem redundat, Christique gloriam indesinenter commendat. = *Non est quidem opus* (inquit Bellarmin. *de Indulg. lib. 1. cap. 4.*) *ut adjungantur Sanctorum passiones passionibus Christi, quasi hæc per se non sufficiant; sed adjunguntur tamen, quia æquum est, ut passiones illæ coram Deo non sint inanes: præsertim cum id sit tam gloriosum Christo, a quo manat omne bonum Sanctorum, tum ipsis etiam Sanctis perhonorificum. Quomodo autem concurrant in hac applicatione satisfactiones Christi cum passionibus Sanctorum: idest, an applicetur pars alia ex pas-*

passionibus Sanctorum; an vero integra satisfactio accipiatur semper ex passionibus Christi, & ad satisfactionis cumulum superaddantur passiones Sanctorum; non videtur nimis curiose investigandum. Illud videtur certum, passiones Christi, quæ sunt infiniti pretii, per Indulgentias applicari finito modo; & ideo aliquid revera superaddi, cum passiones Sanctorum illis adjunguntur.

Ex quo infertur, quomodo intelligendum sit dictum illud Clementis VI. in *citat. Extravag. Unigenitus*, de Sanctorum meritis spectantibus ad Ecclesiæ Thesaurum = *Ad cujus Thesauri cumulum Beatæ Dei genitricis, & omnium Electorum, a primo justo usque ad ultimum, merita adminiculum præstare noscuntur* = Ea siquidem Sanctorum merita adminiculum dicto Thesauro præstare dicuntur, quia ibi non in eodem ordine ac Christi merita reponuntur; cum hæc primario & per se ad illum pertineant, merita vero Sanctorum de secundario,& ob valorem, quem habent a Christi passionē communicatum.

Solvuntur Adversariorum argumenta contra secundam Conclusionem.

Objiciunt 1.° Ad cumulandum Ecclesiæ Thesaurum ex Sanctorum meritis, requireretur ex parte Sanctorum intentio, qua voluerint mediis bonis operibus, aliis opitulari. Hac nanque non præhabita; nequit bonorum operum exhibitio ad Ecclesiæ Thesauri cumulum prodesse. Sancti vero in præsenti vita ad Dei gloriam laborantes, sibi dari præmium, non vero aliis levamen a pœnis temporalibus afferre, cogitarunt. Ergo eorum merita non spectant ad Ecclesiæ Thesaurum.

Resp. 1.° non requiri formalem & explicitam intentionem Sanctorum ad conflandum Ecclesiæ Thesaurum, sed virtualem seu implicitam sufficere, quæ tunc adesse præsumitur, quum piis vacans operibus non excludit positive formalem intentionem satisfaciendi Deo pro pœna temporali, sed vult apud Deum omnem fructum lucrari, qui valeat ex illis operibus provenire: tametsi expresse meriti, vel satisfactionis non meminerit. Porro in hoc generali actu (ut observant PP. Salmanticenses Scholastici in *tract. de pœnit. disp.* 10.*n.* 55.) peculiaris intentio satisfaciendi implicite continetur. Quanvis vero Sancti explicitam intentionem juvandi aliis in pœnis temporalibus non habuerint, constat tamen in hujus vitæ angustiis perferendis, voluisse opera Deo accepta ex Christi gratia peragere, ad obtinendum fructum præstitutum juxta Divinæ Providentiæ regulas, quæ in sui dispositione non fallitur.

Resp. 2.° Sanctos de facto talem intentionem habuisse = *Sancti autem* (inquit D. Thomas in 4. *distint*.20. *artic*.3. *quæstiunc*. 1.ª) *in quibus superabundantia operum satisfactionis invenitur, non determinate pro isto, qui remissione indiget, hujusmodi opera fecerunt: alias absque omni Indulgentia remissionem consequeretur, sed communiter pro tota Ecclesia: sicut Apostolus dicit, se implere ea, quæ desunt passioni Christi in corpore suo, pro Ecclesia, ad quam scribitur* = Idem docet S.Doctor in *quodlibet* 2. *quæst*. 8. *artic*. 16 = *Omnes alii Sancti*, inquit, *intentionem habuerunt in his, quæ passi sunt & fecerunt propter Deum, ut hoc esset ad utilitatem non solum sui, sed etiam totius Ecclesiæ* =

Objiciunt 2.° vel Martyres propter Deum usque ad ultimum vitæ agonem sustinentes laborarunt, dirigendo cruciatus ac Ecclesiæ utilitatem, vel non? Si primum dicatur, jam suum effectum sortiti sunt: si secundum, præmium sibi accidentale Aureolæ compararunt. Nihil ergo ex passionibus Martyrum superest, quod in Ecclesiæ Thesauro reponatur.

Resp. Martyres, sive ordinarint cruciatus ad bonum Ecclesiæ sive non, propter Martyrii Aureolam illis correspondentem, fructu satisfactionis pro communi Ecclesiæ bono, minime fraudari; alios siquidem a pœna temporali sublevare, non adæquat omnino præmium correspondens cruciatibus, quos fortiter superarunt; quia, etsi decedentibus in Martyrio opus esset maximam pœnam temporalem perferre, adhuc decorarentur Martyrii Aureola. Neminem enim latet, ex diverso capite habere opera, quod levamen obtineant a subeunda pœna temporali, ac quod eisdem Aureola debeatur, quæ est privilegiatum præmium privilegiatæ victoriæ correspondens. Primum eis competit, quatenus ope-

opera pœnalia sunt; ac valorem recipiunt a gratia & charitate: secundum vero, quatenus procedunt a virtute fortitudinis; idque, non obscure observat Suarius in *disput.* 51. *sect.* 2. *n.* 17. ubi ait = *Aureola non datur Martyri eo titulo*, nempe operis ut pœnalis, *cujus signum est, quia licet Martyr indigeret tota illa pæna ad satisfaciendum ex opere operantis pro suis peccatis, nihilominus acciperet Aureolam Martyrii, quæ certa lege confertur, independenter ab illa proportione, seu merito ex parte operantis. Item Virginibus, & Doctoribus propriæ Aureolæ conferuntur, non quidem propter pænalitatem superabundantem, quæ valde accidentaria est, sed propter alias rationes* = Quamobrem cum talia opera pœnalia ad nullam personam particularem, sed generaliter ad Ecclesiæ bonum ordinata fuerint, non apparet, quare adhuc in Divina acceptatione non perseverent, pro liberandis cæteris Fidelibus ab onore solvendi pœnam temporalem.

Objiciunt 3.° Infinito non potest fieri additio. Cum ergo merita Christi infinita sint, nequeunt iis Sanctorum merita superaddi.

Resp. infinitatem meritorum Christi admittere non posse additionem intensivam meritorum Sanctorum, bene vero extensivam = *Infinito unjus generis* (inquit Sylvius in *commentar. ad supplem.* 3. *part. D. Thom. quæst.* 25. *artic.* 1.) *addi potest aliquid alterius generis, sicut infinito intensive potest fieri additio secundum extensionem. Satisfactiones autem & merita Sanctorum sic adduntur ad Thesaurum, meritis Christi principaliter innixum, ut is per eam additionem augeatur extensive, quatenus accrescit numerus operum, non autem intensive, quia sic est infinitus. Non adduntur ergo ad Thesaurum, quasi auctiorem valorem ei tribuant, sed quia, ut loquitur Pontifex dicta Extraug. Unigenitus, adminiculum præstant ad cumulum Thesauri, dum scilicet ille cumulus accessione plurimorum meritorum efficitur major quoad numerum, etiamsi non quoad virtutem* = Ex quo constat, utraque merita non esse quid intensive majus aut excellentius, quam sola Christi ab illis sejuncta; eo pari modo quo causæ secundæ Deo in hac rerum universitate servientes, non sunt quid majus intensive, seu majori pollent virtute, quam ipsa Omnipotentia sine illis inspecta. Nec a Divina Scriptura alienum est ea conjungere, quorum diversissima est ratio, velut quod dicitur *Exodi* 14. *v.* 31. Israelitas credidisse *Domino, & Moysi servo ejus* = *Reg.* 4. *cap.* 19. *v.* 34. = *Protegam Urbem hanc propter me, & propter David servum meum* = *Jo.* 20. *v.* 31. = *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos* = *Ad Philipp.* 1.° = *Hoc mihi proveniet ad salutem per vestram orationem, & subministrationem Spiritus Jesu* = *Ad Philemon.* 5.° = *Audiens charitatem tuam & fidem, quam habes in Domino Jesu, & in omnes Sanctos.*

ARTICULUS II.

An ad Thesaurum Ecclesiæ spectent merita & opera Sanctorum ut impetratoria tantum, vel etiam ut satisfactoria.

ANTE Dubii hujus solutionem præmittendum ducimus, in Sanctorum meritis, præter jus ad æternæ Beatitudinis præmium, duas rationes reperiri: & vim scilicet impetrandi, seu merendi de congruo aliquod spirituale beneficium: & virtutum satisfaciendi Deo pro pœna temporali. Harum rationum diversitas ex eo constat, quod satisfacere, non sit impetrare, & e converso impetrare non sit satisfacere, sed solvere quod alteri debetur; intantum enim Deo satisfacimus, in quantum propriis operibus ut pœnalibus debitum pœnæ contractum persolvimus; unde etiamsi quis alteri pœnæ temporalis remissionem impetraret, si non compensaret id, quod Deo propter culpam debetur, minime diceretur satisfacere. Et ideo docent Thomistæ, posse unum alteri primam gratiam peccati lethalis remissivam impetrare, secus vero pro hujusmodi peccato in ratione offensæ condigne satisfacere, quia nequit pretium moraliter æquivalens offensæ Deo illatæ, propriis operibus exhibere. Clarius hæc rationum diversitas elucet in oratione facta a Ministris Ecclesiæ, quæ ut impe-

impetratoria fundatur in eo, quod est petitio ac significatio voluntatis & desideriorum Ecclesiæ; prout enim hæc est unum corpus mysticum, potest per suos Ministros Deo sua desideria repræsentare, atque orationi aliquam dignitatem & efficaciam communicare. Cæterum satisfactio, quæ per eandem orationem habetur, in eo fundatur, quod est opus pœnale & afflictivum, sub qua ratione non refertur ad Ecclesiam, nec nomine illius, ut sic dicamus, sustinetur = *Cujus signum est* (ut loquitur Suarius in *tom. 4. in 3. part. disp. 48. sect. 8. n. 4.*) *quia nulla alia opera pœnalia vel satisfactoria fieri solent ab Ecclesia per Ministros suos ad satisfaciendum Deo, nomine totius corporis, sed tantum orationes vel sacrificia, aut alia signa religiosi cultus* =

Nonnulli ex Doctoribus, quorum meminit Suarius *disp. 51. sect. 2. n. 7.* arbitrantur, Sanctorum merita Ecclesiæ Thesaurum cumulare, non prout satisfactoria sunt, sed dumtaxat ut impetratoria: quatenus, id obtineant, quo reddantur idonei Fideles ad participationem fructus passionis Christi; seu Deum movent, ut in pœnæ temporalis luendæ remissionem, superabundantem Filii sui satisfactionem, tanquam pretium impendat; quia maxime Divinam decet Bonitatem, ut operum intuitu, quibus Sancti se Deo pergratos exhibuere, aliis adhuc in hoc sæculo viventibus benefaciat: ut revera Populo Israelitico, propter Abraham & Moysen plura beneficia contulisse, Sacræ Scripturæ authoritates testantur.

Conclusio. Ad Ecclesiæ Thesaurum spectant merita Sanctorum, etiam ut satisfactoria.

Merito in hac Conclusione dicimus: *etiam ut satisfactoria*, non enim in dubium vocamus, quod communiter a Doctoribus recipitur, ea in Ecclesiæ Thesauro reperiri, ut habent vim impetrandi, seu merendi nobis de congruo aliqua bona spiritualia.

Prob. 1.° Sanctorum merita secundum illam rationem formalem spectant ad Ecclesiæ Thesaurum, secundum quam concurrunt ad remissionem pœnæ temporalis Fidelium (quam ex iis fieri posse, *capite sequenti Articulo* 1. demonstrabimus) Ad hanc vero concurrunt ut satisfactoria. Primo, quia in Decretalibus Literis Leonis X. ad Cardinalem Cajetanum statuitur, Romanum Pontificem Indulgentias concedere = *Ex superabundantia meritorum Christi, & Sanctorum* = Illa autem particula *ex*, non causam impetrantem, sed satisfacientem, vel solventem designat. Quod clarius elucet in eo, quod ibi subditur = *Thesaurum meritorum Christi dispensando* = dispensare quippe merita aliquorum, non est proprie propter ea aliquid impetrare, sed illa, in alieni debiti pœnæ temporalis solutionem erogare: & idcirco concluditur, Thesauri Ecclesiæ dispensationem fieri *Per modum absolutionis vel suffragii* seu solutionis. Secundo S. Pius V. Constitutione incipiente *ex omnibus* edita Cal. Octobris anno MDLXVII. novem supra sexaginta Baii propositiones profligavit, quarum duæ circumscripta virtute satisfactoria pro pœna temporali a Sanctorum meritis, eam dumtaxat Christi meritis tribuebant = 10.° in ordine = *Solutio pœnæ temporalis, quæ peccato dimisso sæpe manet & corporis resurrectio, proprie non nisi meritis Christi adscribenda est*: 60.° = *Per passiones Sanctorum in indulgentiis communicatas, non proprie redimuntur nostra delicta, sed per communicationem charitatis, nobis eorum passiones impertiuntur, ut digni simus, qui pretio sanguinis Christi a pœna peccato debita liberemur* = Unde Bellarminus *Lib. 1. de Indulg. cap. 1.* ait = *Damnavit Pius V. multos articulos quorundam Lovaniensium, quorum unus erat: solius Christi satisfactionibus remitti pœnam temporalem; Sanctorum autem passionibus offerri Deo, ut Deus illarum intuitu applicet nobis merita Christi* = Si autem ut mere impetratoria dicta merita ad remissionem pœnæ temporalis ex Ecclesiæ Thesauro faciendam, atque solius Christi meritis satisfactoriis obtinendam concurrerent, nihil esset in dictis propositionibus censura dignum; verum enim esset, nedum redemtionem, sed etiam remissionem pœnæ temporalis per solam Christi passionem, tanquam pretium satisfactorium obtineri. Tertio ex doctrina Ecclesiæ, quæ semper credidit, merita Sanctorum ipsorumque satisfactiones pro pœnis temporalibus a peccatoribus solvendis per Indulgentiarum largitiones applicari: ita ut vicem propriæ compensationis eorundem suppleant media Ecclesiæ authorita-

ritate. De quo enim Ecclesiam Romanam audacter redarguit Tertullianus in *Lib. de Pudicit.* nisi quod Martyres Mœchis veniam darent: idque in aliorum utilitatem cederet, quod ad eorundem Martyrum solutionem exigebatur? Non crimen affinxit Zephyrino Pontifici Tertullianus, quod merita Sanctorum ad impetrandam expiationem a culpis offerret, sed quod merita eorum ut satisfactoria, aliena peccata purgarent; comparavit enim solutionem a Martyribus exhibitam, atque applicationem Laplis factam per Clavium potestatem, cum solutione Christi, perinde ac solvere alienam pœnam non puræ creaturæ, sed soli Dei Filio conveniret; hoc enim ejus verba apertissime demonstrant = *Quis permittit homini donare, quæ Deo reservanda sunt? Sufficiat Martyri propria delicta purgasse, ingrati vel superbi est, in alios quoque spargere, quod pro magno fuerit consecutus. Quis alienam mortem solvit, nisi solus Filius Dei? Proindeque, qui illum imitaris donando delicta, si nil ipse deliquisti, patere pro me: si vero peccator es, quomodo oleum faculæ tuæ sufficere tibi & mihi poterit?* = Censuit, se in Evangelica parabola ad id habere fundamentum, in qua fatuæ Virgines dicunt ad prudentes = *Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ exinguuntur* = & accipiunt responsum = *Ne forte non sufficiat nobis & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis* = ubi ut vides, Martyres vellet Virginum prudentum exemplum imitari, ac proinde proprias satisfactiones aliis non applicare. Dicendum igitur est, ad Ecclesiæ Thesaurum spectare merita Sanctorum etiam ut satisfactoria.

Prob. 2.° Compertum est, nonnullas vitæ sanctitate præclaras personas de facto plura edidisse virtutum exempla, vel operibus afflictivis vacasse, quæ prout erant meritoria, quanquam sublimem æternæ Beatitudinis gradum eisdem comparaverint, tamen ut erant afflictiva, aut nullo modo fuerunt ipsis necessaria, ob defectum proprii reatus pœnæ temporalis, aut opus non fuit, tantam præseferre pœnalitatem ad exactissimam compensationem pro debito dictæ pœnæ, quæ modica aut nullo modo solvenda debebatur. Hoc certum est, in Beatissima Virgine Maria, quam adeo vehementer doloris gladius in Unigeniti Filii sui passione pertransivit, ut ejus interioris animi afflictiones Martyrum cruciatus excesserint. Passiones & afflictiones supra id, quod sibi debebatur, de se ipso insinuat Job *cap. 6. v. 2.°* dicens: = *Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui: & calamitas quam patior, in statera, quasi arena maris hæc gravior appareret* = Vexatus siquidem gravissimis flagellis, timens Deum, & recedens a malo enixe postulabat: cur tantopere torqueretur. Idem asseri potest de pluribus Sanctis Confessoribus qui ad eximiam morum integritatem, asperrima pœnitentiæ addiderunt exercitia. Nec possumus alios Martyrii gloria decoratos silentio præterire, qui usque ad ultimum vitæ agonem proprio sanguine, contra Diaboli nequitias strenue pugnarunt. Et sane si mors pro Christo libenter tolerata sufficiens est ad cujuslibet pœnæ temporalis remissionem, ut tradit D. Cyprianus, vel quisquis sit Author libri *de Laud. Martyrii ad Moys. & Maxim. aliosq. Confessor.* his verbis = *Considerare enim utique debetis, quantæ sit gloriæ, vitæ quamlibet maculam & sordes polluti corporis, & longa vitiorum tabe concreta contagia, tantoque temporis tractu crimen exceptum, unius ictus remediis expiare, quo & augeri merces, & crimen possit excludi*; (& ideo S. Cyprianus Martyrii excellentiam supra Baptismum fluminis declarat in *Epist. ad Fortunat.* = *Nos tantum, qui Domino permittente primum Baptisma credentibus dedimus, ad aliud quoque singulos præparemus, insinuantes & docentes: hoc esse Baptisma in gratia majus, in potestate sublimius, in honore pretiosius, Baptisma, in quo Deus & Christus exultant, Baptisma, post quod nemo jam peccat, Baptisma, quod fidei nostræ incrementa consummat, Baptisma, quod nos de Mundo recedentes statim Deo copulat* =) Quid dicendum erit de tot fortissimis Christi Athletis, qui nedum mortem, verum etiam atrocissima pro Christo toleraverunt supplicia? Certe hæc eorum merita ut satisfactoria ad pœnæ temporalis propriæ remissionem superabundarunt. Cum ergo in Divina maneant acceptatione, in Ecclesiæ Thesauro una cum Christi meritis, aliis Fidelibus dispensanda, servantur. Audire non pigeat Cajetanum hoc luculenter de-

clarantem in *Tr.16. de Indulg. q.1.* = *Meritum*, ait, *non excedit personam, quæ meretur, solo Christo excepto...... satisfacere autem unus potest pro alio; & ex hac differentia provenit, quod Sanctorum opera quatenus meritoria fuerunt, acceperunt mercedem suam in ipsis Sanctis..... quatenus vero satisfactoria fuerunt, primum quidem solverunt debitam pro illorum peccatis pœnam, deinde si plus pœnalitatis habuerunt, quam pœna ipsorum peccatis debita exigeret, remansit illud plus, tanquam ipsis Sanctis superfluum. Et hoc plus est illud, quod a quibusdam vocatur irremuneratum in ipsis Sanctis, non propter defectum Divinæ largitatis, aut operis, aut ipsius Sancti, sed propter excellentiam illius personæ, quæ superabundanter passa est voluntarie. Ex eo nanque quod persona patiens non habet propria pœnarum demerita pro peccatis, provenit quod satisfactiones superfluæ non possint in ipsis remunerari: seu rectius loquendo, non possunt in ipsis habere effectum solutionis: & quoniam constat, Sanctos multo plus passos, quam ex peccatis suis deberent pati, consequens est, ut multa satisfactoria remanserint superflua ipsis Sanctis..... Superfluunt igitur multa satisfactoria Sanctis, ultra ingens pelagus superfluentis satisfactionis Christi* = Deinde relatis exemplis B. V. Mariæ & plurium Sanctorum Martyrum, concludit = *Quo circa ex meritis Christi & Sanctorum, quatenus satisfactoria sunt, superfluis, Thesaurum Indulgentiarum constitui intelligito, si non vis errare.*

Hinc habes, quid dicendum sit de Doctorum quorundam opinione, quam superius recensuimus, cui etiam post damnatos Baii errores aliqui ex Parisiensibus & Lovaniensibus subscripsere, inter quos Natalis Alexander *Tom. 3. Histor. Ecclesiast. sæc. 3. dissert. 3. prop. 4. in Schol.* referens ad suæ sententiæ patrocinium Maldonatum Societatis Jesu Theologum: Juvenin in *Tract. de Sacrament. part. 2.ª dissert. 14. de Indulg. quæst. 5. cap. 2.º*: & præ cæteris Christianus Lupus *Tom. 3. dissert. de Peccator. ac satisfaction. Indulg.* ubi fatetur, merito 60.ᵃᵐ Baii propositionem fuisse proscriptam, pluribusque utitur rationibus ad id suadendum, quæ, si accurate expendantur, declarant, ipsum penes verborum corticem duntaxat satisfactoriam virtutem in Sanctorum meritis pro cumulando Ecclesiæ Thesauro, admisisse = *Respondeo*, inquit, *circumscriptum Baii articulum ob justissimas rationes. Primo, quia videtur Sanctorum Martyrum passionibus omnem nobis merendi, & pro nobis satisfaciendi virtutem auferre. Etenim illæ licet non de condigno, pro peccatis nostris omnino satisfaciant, Sancti præsertim Martyres sunt veri de iniquitatis Mammona nobis facti amici, qui nos, cum defecerimus, recipient in æterna tabernacula. Eorum apud Deum merita sunt tanta, ut etiam in extremo tremendo die, quosdam æternæ damnationis reos, sint ab illius sententia liberaturi. Ita in Libris de Dei Civitate palam docet S. Augustinus: & de redeunte cum Trophymo Episcopo lapsa plebe scripsit ad Antonianum Episcopum S. Cyprianus: Pro quo satisfaciebat fratrum reditus: nempe non tantum semetipsa, sed etiam pro suo Trophymo faciebat lapsa plebs, quod, pro lapso in latrocinia discipulo, fecisse Sanctum Joannem Apostolum, scribit in Ecclesiastica Eusebii Cæsariensis Historia Clemens Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyter: crebris precibus pro illo Deum invocat, continuis jejuniis una cum eo se macerat. Non Lapsa plebs, nec unus Apostolus, sed tota triumphantium Sanctorum communio pro nobis fundit, & offert assidua suarum orationum, atque satisfactionum odoramenta ante thronum Dei & Agni, & ipsa nobis per Sancti Petri Claves applicantur. Quis ergo dubitet, quin pro nobis satisfaciant? Præterea male olent hæc articuli verba: Non proprie redimuntur nostra delicta. Quid articuli Author per vocem proprie intellexerit, ignoro. Interim articulus palam discedit a superius laudata Ambrosiana phrasi de pœnitentibus: Velut operibus quibusdam totius populi purgatur, & plebis lacrymis abluitur, qui orationibus, & fletibus plebis redimitur a peccato, & in homine mundatur interiori. Nec enim ille tantummodo redimit, qui condignum redemtionis pretium donat, sed etiam qui ipsum impetrat, & procurat.*

curat. Nonne illi, qui redimendis apud Barbaros captivis eleemosynas colligunt in dies, dicunt: Nos illum aut illum redimimus? Et recte dicunt. Eodem imo majori sensu peccata nostra per Sanctorum Martyrum passiones redimuntur; nec ideo illi sunt nostri redemtores. Dei Ecclesia nunquam sic est locuta. In solum condigni pretii largitorem quadrat iste titulus. Proinde dictus articulus Sanctorum Martyrum passiones depressit, & palam recessit a phrasi Sanctorum Patrum. Hinc, passiones istas ab Ecclesiæ Thesauro excludere, fuit suspectus; ideoque optimo jure abolitus & circumscriptus = Hactenus ille.

Nos vero quanquam prælaudatorum Doctorum studium ac eruditionem satis superque commendare non possimus, qui de literaria Republica optime meriti Sacram Theologiam, nec non Historiam Ecclesiasticam uberrima eximiorum Operum suppellectili exornaverunt, perpensis tamen attenta mentis acie nostræ Conclusionis Argumentis, asserimus: falsitatem prædictæ opinionis satis constare. Neque enim, si mere ut impetratoria Sanctorum merita Ecclesiæ Thesaurum cumularent, aut ad alienæ expiationis subsidium dispensari, aut, ad redimendum debitum pœnæ temporalis aliorum per Indulgentiarum largitionem, dicerentur impendi. Quadere non absolute Constitutioni *Unigenitus de Pænit. & Remission.* adversatur hæc opinio, (ut perperam nonnulli Authores existimarunt: & probe advertit Natalis Alexander loco mox citato) qua edocemur ad Thesauri Ecclesiæ cumulum = *Beatæ Dei Genitricis & omnium Electorum, a primo justo usque ad ultimum, merita adminiculum præstare* = aut Tridentini definitionibus est obnoxia, ex quibus apertissime constat = *In Ecclesia potestatem esse concedendi Indulgentias..... Indulgentiarum usum Christiano populo maxime salutarem esse, & in Ecclesia retinendum* = sed ex S. Pii V. Constitutione supralaudata in ea aliquis error agnoscitur; si non ipsemet error Baii (quem a se Lupus studuit amovere) ipsi tamen multum affinis & proximus. Enimvero quid propius ex ea opinione consequitur, quam quod per Sanctorum passiones in Indulgentiis communicatas non proprie redimantur nostra delicta? Et quid ea opinione docetur, nisi quod Sanctorum passiones impertiuntur nobis, ut digni simus, qui pretio Sanguinis Christi a pœna peccato debita liberemur? Quod quidem evincit, eam opinionem vel in Bajo damnatam, vel saltem post Baii damnationem suspectam nimis.

Nec dicas, aliquas Baii propositiones sustineri posse etiam in rigore & proprio verborum sensu; hoc enim effugium præclusum manet ex dictis in *Dissert. Proœmial. historica* §. 6. *pag.* 74.

Solvuntur Argumenta Adversariorum asserentium, Merita Sanctorum solum ut impetratoria spectare ad Ecclesiæ Thesaurum.

Objiciunt 1.° Clemens VI. in *Constit. Unigenitus de Pænit. & Remissionib.* post definitum Ecclesiæ Thesaurum asserit, merita Sanctorum, non vero eorum satisfactiones ad illum spectare = *Ad cujus Thesauri cumulum*, inquit, *omnium Electorum, a primo justo ad ultimum, merita adminiculum præstare noscuntur* = Adde, ibi ut patet, sermo non est de Sanctis, quorum opera ut satisfactoria superabundarunt, sed generaliter de cunctis Electis; quos, certum est, id non præstitisse; alias nemo ex illis, post hujus vitæ exitum, ad Purgatorium migrasset satispassurus pro compensatione pœnæ temporalis in humanis non solutæ. Tandem ad denotandum, Thesaurum prædictum etiam meritis Sanctorum cumulatum consumi non posse, subdit Clemens Pontifex = *Quanto plures ex ejus applicatione trahuntur ad justitiam, tanto magis crescit ipsorum cumulus meritorum* = Quæ sane verba accurate expensa, nequeunt meritis ut satisfactoriis, sed tantummodo ut impetratoriis congruenter aptari. Ergo merita Sanctorum ut impetratoria dumtaxat spectant ad Ecclesiæ Thesaurum.

Resp. nullam vim fieri posse in eo, quod Clemens loquatur de meritis, non vero de satisfactionibus, 1.° quia etiam loquitur de Christi meritis, quæ, certum est, etiam ut satisfactoria Thesaurum Ecclesiæ constituisse. 2.° quia satisfactio nostra meriti, vocabulo designatur; ea quippe non habetur per compensationem omnino æqualem in

in linea physica, rei ad rem cum ipsis poenis; Purgatorii enim poena quamlibet praesentis vitae poenalitatem plurimum excedit; sed per aequalitatem moralem = *Quia*, ut dicit Suarius in *sect. cit. n.14.* = *hujus vitae poena voluntarie suscepta .... valorem obtinet alteri Purgatorii poenae aequivalentem, in quo ad instar meriti se habet* = 3.° quia satisfactiones nonnisi per meritorias operationes exercentur; quamobrem etsi meritum & satisfactio per habitudinem ad diversos terminos distinguantur, ob identitatem tamen, quam habent in iisdem operibus, solet meritum sub nomine satisfactionis comprehendi. Ad additamentum dicimus 1.° sermonem ibi fieri de justis per distributionem accomodam, & sensum esse: omnes justos a primo ad ultimum, Ecclesiae Thesaurum cumulasse, qui habuerunt opera ut satisfactoria superflua, aut ob defectum debiti poenae temporalis, vel si aliqua poena ab eis fuit expungenda, haec fuit minor quam illa, quae per eorum merita potuisset expungi. 2.° Dato, ibi sermonem esse generaliter de omnibus, & singulis Electis, qui fuerunt, ac qui futuri sunt in Ecclesia militanti: atque rationem adjectam, ob quam nequit Thesaurus exhauriri, nempe = *Quanto plures ex ejus applicatione trahuntur ad justitiam tanto magis crescit ipsorum cumulus meritorum* = meritis ut impetratoriis melius, atque intellectu facilius accommodari, nil inde eruitur, quod nostrae Conclusioni adversetur; quia, ut observat Suarius, hoc non tollit quominus, nonnulli Sanctorum, qui plus passi sunt quam debuissent pro reatu poenae temporalis, alio modo operibus, ut satisfactoriis dicto Thesauro divitias addiderint.

Dices. Non videtur Hominibus, qui in sanctis operibus hujus vitae cursum feliciter consummarunt, aliquid satisfactionis superfuisse pro Ecclesiae Thesauro; viventes enim poterant illud Dominicae orationis usurpare = *Dimitte nobis debita nostra* = & quod habetur in *Ep.1.a Jo. c.1.°* = *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est* = cohaerenter ad id, quod dicitur Luc.17. = *Cum feceritis haec omnia, quae praecepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus* = Et ideo quod spectat ad lineam satisfactionis per oleum exprimitur, de quo a prudentibus Virginibus dicitur *Matth. 25.* = *Ne forte non sufficiat nobis & vobis.*

Resp. culpas, de quibus est sermo in praelaudatis Sacrae Scripturae authoritatibus, esse quaedam peccata venialia Sanctorum, pro quibus facillimum est satisfacere; quia quasi animae rubigines sola oratione, aut fervore devotionis eluuntur; adeoque illae satisfactionum excessum supra proprium reatum poenae temporalis impedire non valent. Nec verum est, per oleum, de quo loquuntur prudentes Virgines, opera Sanctorum ut satisfactoria significari, sed ut meritoria vitae aeternae; ut advertit Cajetanus *lib.1. tr.16.* his verbis = *Oleum, quod Sapientes Virgines timuerunt sibi non sufficere, ad meriti conscientiam spectat, non ad poenalitates* = & ideo opera bona hoc modo considerata nequeunt ad aliam personam extendi.

Objiciunt 2.° Redemtoris praerogativa soli Christo convenienter aptatur, dicente Apostolo 1.a *ad Timoth.2. v. 5.* = *Unus Deus & Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemtionem semetipsum pro omnibus* = Si autem merita Sanctorum prout satisfactoria essent in Ecclesiae Thesauro, inde ad Fidelium utilitatem pro remissione poenae temporalis dispensanda, Sanctis pariter Redemtoris titulus conveniret; quia sicut Christi Sanguine, ita & Sanctorum Martyrum nostra expiarentur delicta. Quod antiquo Ecclesiae Dogmati apud S.Leonem *serm. de Pass. Domini cap. 3.* adversatur. = *Quamvis multorum Sanctorum* (sunt verba Sancti Pontificis) *in conspectu Domini pretiosa mors fuerit, nullius tamen insontis occisio fuit propitiatio mundi. Accepere justi non dedere coronas; & de fortitudine Fidelium nata sunt exempla patientiae, non dona justitiae. Singulares quippe illorum mortes fuerunt, nec alterius quisquam debitum suo fine persolsolvit; cum unus extiterit Dominus Christus, in quo omnes Crucifixi, omnes mortui, omnes sunt resuscitati* = Ergo merita Sanctorum ut satisfactoria non pertinent ad Ecclesiae Thesaurum.

Resp. citra injuriam Christi humani Generis Redemtoris sustineri, ad Ecclesiae Thesaurum Sanctorum passiones ut satisfactorias congregari; non enim culparum re-

remissionem, libertatem a Dæmonis captivitate inducta per peccatum lethale: condignitatem ad gloriam æternam (quæ redemtionis Christi stricte ac rigorose acceptæ, proprii sunt characteres) in Sanctorum passiones refundimus, ut perperam Adversarii interpretantur, sed duntaxat ex Christi meritis agnoscimus, atque asserimus provenire. Eo vel maxime quod peculiare Christo fuit, ut ejus satisfactio condigni pretii pro cunctis hominibus largitatem obtineret; ideoque solus Christus introivit semel in Sancta æterna redemtione inventa; & ideo S. Leo Papa, qui loco citato demonstrandam sibi proposuerat contra Manichæos, necessitatem veræ Deitatis necnon humanitatis in Christo; alias nequaquam Christus potuisset pro nobis supplicium mortis subire, quo deficiente, genus humanum beneficio redemtionis a peccato destitutum agnoverat = *Nullius Insontis*, inquit, *occisio fuit propitiatio Mundi* = quia eam non medio alicujus Martyris, sed solius Christi cruore comparavimus. Cæterum quanquam Christus & Sancti Martyres ad Ecclesiæ Thesaurum plurimum contulerint, aliter tamen Christus, & aliter Sancti. Finis præcipuus mortis Christi fuit, ut genus humanum tam a culpa, quam a poena æterna & temporali, soluta satisfactione de condigno, liberaret. Martyres solum de secundario & ex consequenti ad ferendum onus poenæ temporalis aliorum tolerevaverunt passiones. Ille ex propria virtute divitias exhibuit ad aliorum commodum applicandas: isti vero ex virtute gratiæ communicatæ per Christum; quamobrem de satisfactione pro poena temporali propriis culpis debita edixit Tridentinum *seff.* 14. *cap.* 5. = *Neque vero ita est nostra satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exolvimus, ut non sit per Christum Jesum*; *nam qui ex nobis, tanquam ex nobis nihil possumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia possimus, ita non habet homo unde glorietur, sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus facientes fructus dignos pœnitentiæ*; *qui in illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur a Patre* = Itaque, quemadmodum ex quo poenitentes queant pro se ipsis poenæ temporalis debitum exolvere Divinæ Justitiæ, minime sequitur, dici posse absolute & simpliciter propriorum criminum Redemtores, ita nec id infertur, ex quo Sanctorum pia opera aliis prosint, ad eundem effectum comparandum. Quod si Redemtoris nomen largo modo accipiatur, incongruum non erit, illud Sanctis, hac adjecta limitatione, scilicet poenæ temporalis, convenire, ob predicta opera satisfactoria; debitum enim poenæ temporalis vel proprium, vel alienum exolvere, est aliquo modo redimere; & ideo *Daniel.* 4. dicitur. *Peccata tua eleemosynis redime*.

ARTICULUS III.

An aliquando merita Sanctorum ut satisfactoria in Ecclesiæ Thesauro reposita deperdantur?

A Deo eximiæ non raro ab hominibus justis prodierunt satisfactiones, ut in Ecclesiæ Thesauro infinito congregatæ una cum meritis Christi ad alienæ temporalis poenæ remissionem valeant impendi. Verum, quia vertibile est de bono in malum humanum arbitrium, ac tametsi quis præclara fulgeat sanctitate, uberrimisque editis operibus meritoriis, adhuc perseverantiæ dono specialiter indiget, ut in statu gratiæ sanctificantis ex hominis decedat, dicente Regio Propheta *Ps.* 16. *v.* 6. = *Perfice gressus meos in semitis tuis ut non moveantur vestigia mea* = & Tridentino *seff.* 6. *cap.* 13. = *Veruntamen qui se existimant stare, videant ne cadant: & cum timore ac tremore salutem suam operentur in laboribus, in vigiliis, in eleemosynis, in orationibus & oblationibus, in jejuniis & castitate, formidare enim debent scientes, quod in spem gloriæ, & nondum in gloria renati sunt de pugna, quæ superest cum carne, cum Mundo, cum Diabolo* = idcirco ubi defectus contigerit doni perseverantiæ, iis, qui superabundantes satisfactiones ediderunt, in lethali crimine obeuntibus, potest in dubium revocari: An hujusmodi satisfactiones deperdantur, ita ut perinde se habeant, ac si in Ecclesiæ Thesauro nunquam

quam fuissent congregatæ? Quod pariter quæri potest de satisfactionibus præstitis ab aliis, qui in statum peccati lethalis postea prolapsi sunt. An scilicet hoc statu durante (præcisive ab eo quod ad pristinum gratiæ sanctificantis sint redituri, vel non) cumulent prædictæ satisfactiones Ecclesiæ Thesaurum?

Advertit tamen Adrianus, dubium hoc esse magis subtile quam utile, etenim Ecclesia Christi spiritualibus justorum divitiis, qui usque ad extremum vitæ agonem in bono perseverarunt, opulentissime ditata, reprobatorum hominum satisfactionibus non indiget.

Conclusio. Opera justorum ut satisfactoria in Ecclesiæ Thesauro reposita quandoque deperduntur.

Prob. Satisfactiones justorum in Ecclesiæ Thesauro repositas postea deperdi, est non acceptari a Deo una cum meritis Christi ad levamen pœnæ temporalis aliorum. Facta autem suppositione, quod, qui eas operati sunt, vel impœnitentes moriantur, vel in statu peccati lethalis existant, nequit locum habere Divina acceptatio ob contractam cum Deo inimicitiam, juxta illud *Ezechiel.* 18. = *Si averterit se justus a justitia sua, omnes justitiæ ejus, quas fecerit, non recordabuntur* = Ergo aliquando opera justorum ut satisfactoria in Ecclesiæ Thesauro reposita deperduntur. Declaratur hoc magis. Ut opera satisfactoria in Ecclesiæ Thesauro serventur, necesse est, persistere in iis, qui ea operati sunt, gratiam sanctificantem. Eodem quippe modo differendum est de talibus operibus, ut satisfactoriis, ac ut meritoriis. Porro quemadmodum pluribus editis operibus ut meritoriis, ubi gratia sanctificans non manserit in subjectis, nequit iis præmium beatitudinis supernaturalis correspondere, ita nec ea possunt in Ecclesiæ Thesauro ad solutionem pœnæ temporalis aliis debitæ conservari. Quod nonnulli Doctores pressius ac efficacius urgent, ne admittere compellantur, superabundantes fortassis Judæ satisfactiones, prævie ad Christi proditionem editas, æque ac Pauli passiones in Ecclesiæ Thesauro locum habere.

Hoc tamen discriminis observari volumus inter abundantes satisfactiones eorum, qui adhuc in via mortali crimine infecti sunt, ac alias illorum, qui in bono minime perseverarunt, quod primæ ita deperduntur, ut ad gratiæ statum redeuntibus iis, qui illas exhibuerunt, denuo acceptentur a Deo, proindeque iterum cumulent Ecclesiæ Thesaurum; idque non immerito asserimus, quia hujusmodi opera satisfactoria justorum per lapsum eorundem in peccatum lethale, sunt tantummodo mortificata, non vero mortua, possuntque, juxta satis probabilem Theologorum sententiam reviviscere. Secundæ vero sunt omnino arefactæ, inutiles, ac veluti, mortuæ, circumscripta spe reditus ad gratiam.

Objicies 1.° Superabundans satisfactio ab hominibus justis exhibita nequit manere infructuosa; tantæ quippe bonitatis est Deus, ut opus præmio dignum irremuneratum non deserat juxta Glossam *in Epist. ad Rom. 2. ex S. Ambros.* Si autem, posset aliquando deperdi, seu una cum meritis Christi ex Ecclesiæ Thesauro non valeret dispensari, maneret infructuosa. Non ergo superabundans justorum satisfactio semel in Ecclesiæ Thesauro reposita deperditur.

Resp. superabundantem hominum justorum satisfactionem quantum est ex se, intrinseca proportione gaudere, ut fructum possit solutionis pœnarum, aliis Christifidelibus debitarum afferre; quandiu vero subjectum potens eam remunerationem exigere, aut sperare, peccati lethalis vinculis mancipatur, præpeditur hic fructus, & perinde se habet ea satisfactio, ac si debitam ad talem effectum obtinendum proportionem non haberet.

Objicies 2.° Valor, quo gaudent hujusmodi satisfactiones, non pendet a gratia personali in conservari. Solum ergo finale peccatum potest obesse, quo minus a decedenti in peccato lethali debitus fructus minime percipiatur, non vero quod aliis possit conferri.

Resp. valorem satisfactionis necessario etiam in conservari a gratia sanctificante dependere; ut de operibus meritoriis vitæ æternæ innuimus; & hoc verum est, sive satisfactio prodesse debeat personæ satisfacienti, sive alteri; intantum enim in Divina manet acceptatione, atque Ecclesiæ Thesaurum cumularet, inquantum qui eam obtulit, aliquod jus habuit obtinendi pro se pœnæ temporalis remissionem, ubi ne-

necessitas postularet. Deperdita autem gratia sanctificante ab homine, qui superabundantem satisfactionem obtulerat, durante tali statu, sicut illi nequit ea satisfactio prodesse ad pœnæ temporalis remissionem, ita nec aliis.

Objicies 3.° Talia opera fuerunt in Divina acceptatione, ac proinde in Ecclesiæ Thesauro, quatenus facta ab hominibus justis seu a membris Christi vivis. Nequit ergo Ecclesia jus super illa acquisitum amittere.

Resp. ea opera manere mortificata per peccatum lethale, aut se habere tanquam mortua; unde mirum non est, Ecclesiam jus super eisdem acquisitum aut pro semper, aut ad tempus amittere.

ARTICULUS IV.

An Unus vel multiplex sit Ecclesiæ Thesaurus.

QUATUOR, opinatur, Ecclesiæ Thesauros reperiri, Auctor *Scrutin. Sacerdotal. tract. 5. secund. part.* primum ex infinitis Christi meritis coalescentem: secundum ex præclarissimis meritis Beatissimæ Virginis Mariæ: tertium ex uberrimis S. Joannis Baptistæ, necnon Sanctorum Apostolorum ac Martyrum satisfactionibus: quartum ex jejuniis, vigiliis, & Orationibus Confessorum & Virginum.

Alii Doctores apud Suarium admittunt, quod sicuti una est universalis Ecclesia particulares vero quamplurimæ, ita quod unus sit Thesaurus, in pluribus subinde juxta numerum particularium Ecclesiarum divisus, eisdemque correspondens: adeoque putant, tot dari Thesauros, quot Diœceses = *Hoc admittere videtur Barbosa allegation. 88. n. 5.* (inquit Passerinus *tr. de Indulg. qu. 2. n 21.*) *ex eo reddens rationem, cur Episcopi non possint nisi certas & finitas Indulgentias concedere, quia singularum Diœcesum Thesaurus Indulgentiarius generali commixtus non ita locuples est fortassis, ut inde plena remissio possit concedi* = Verum in hoc deceptum dixeris Passerinum, inspectis iis, quæ tradidit prælaudatus Barbosa loco citato; quod enim Episcopi possint duntaxat concedere Indulgentias limitatas, non adscribit limitationi Thesauri singularum Diœcesum, sed eorum jurisdictioni jure canonico limitatæ = *Solus Papa*, inquit, *primario potest Indulgentias concedere, plenarias concedit; Episcopi vero temporales limitatas, seu partiales jure communi canonico, & ab ipso Summo Pontifice dependentes. Ratio est, quia hujusmodi potestas est jurisdictionis non Ordinis. C. quod autem de Pœnit. & Remiss.; quatenus ibi dicitur Indulgentiæ concessionem esse actum absolvendi & judicialem* =.

Conclusio Unus duntaxat datur Ecclesiæ Thesaurus.

Prob. Thesaurus Ecclesiæ constituitur ex meritis Christi, ejusque infinitis satisfactionibus, ut loquitur Clemens VI. in *Extravag. Unigenitus de Pœnit. & Remissionib.* = *Ne supervacua inanis aut superflua tanta effusionis miseratio redderetur Thesaurum Militanti Ecclesiæ acquisivit* Christus *volens, suis thesaurizare filiis pius Pater* = Qui sane Thesaurus divisus non est, aut aliquarum Diœcesum peculiaris, sed unitus seu unus omnibus communis. Sanctorum autem superabundantes satisfactiones ad eundem spectant, quia de Christi gratia, ejusque meritis pretiosis participant, quatenus Sancti sunt membra ejusdem Corporis Mystici, sub eodem Capite = *In unitate Corporis Mystici* (= inquit D. Thomas = *distinct. 20. quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 1.ª* de hoc Thesauro agens) *in qua multi in operibus pœnitentiæ supererogaverunt ad mensuram debitorum suorum, & multas tribulationes sustinerunt, per quas multitudo pœnarum poterat expiari si eis deberentur* = quorum meritorum tanta est copia quod omnem pœnam debitam nunc viventibus excedunt, & præcipue ob meritum Christi. Itaque sicut unus est Christus thesaurizans, unum Ecclesiæ Corpus Mysticum spirituales Ecclesiæ divitias cumulans, unus erit Ecclesiæ Thesaurus. Quod ita perspicue declarat Durandus in 4. *dist. 20.* = *Thesaurus Ecclesiæ, quem Christus ei divisit tanquam sponsæ, non est divisus in Ecclesia; ita ut in una particulari Ecclesia sit una pars illius Thesauri, & in alia altera pars, sed est unus & indivisus in tota Ecclesia.*

CAPUT

CAPUT III.

DE POTESTATE DISPENSANDI ECCLESIÆ THESAURUM PER INDULGENTIARUM CONCESSIONES.

AD completam Thesauri Ecclesiæ notitiam comparandam, opere pretium est agere de potestate illum dispensandi per Indulgentiarum concessiones; ideoque inquirendum est: An penes Ecclesiæ Prælatos stet potestas prædictum Thesaurum dispensandi? Cujusmodi sit hæc potestas, an Ordinis, an vero Jurisdictionis? An in aliis præter summum Pontificem & Episcopos reperiatur? Tandem An Summus Pontifex gaudeat potestate concedendi Indulgentias independenter ab Ecclesiæ Thesauro?

ARTICULUS I.

An penes Ecclesiæ Prælatos stet Potestas dispensandi Ecclesiæ Thesaurum per Indulgentiarum concessiones.

CUM Ecclesiæ Thesaurus ex Christi meritis sit constitutus, ac superabundantibus Sanctorum satisfactionibus cumulatus, non immerito hoc dubium proponitur. Ad quid enim tam uberrima meritorum congeries in Divina præsentia & acceptatione maneret, nisi posset ad aliorum utilitatem dispensari?

Quid prænotandum sit ad Dubii solutionem: quidue ea de re doceat Ecclesia Catholica.

Citra controversiam recipitur, militantis Ecclesiæ Thesaurum privata authoritate minime posse dispensari; idque adeo verum est, ut Sancti, qui ad ejus cumulum plurimum laborarunt, nemini Fidelium superabundantibus satisfactionibus applicatis expresse & formaliter, earum dominium non retineant, sed quidquid hujusmodi satisfactionum superabundantium in ipsis repertum fuit, reputetur commune Christianæ Reipublicæ bonum.

Pro certo insuper tenendum est, non dari penes Ecclesiæ Prælatos potestatem dispensandi dictum Thesaurum ex Christi Sanctorumque meritis coalescentem per Sacramentalem absolutionem, contra Marsilium (qui in 4. *sent.* adversus unanimem Theologorum doctrinam oppositum arbitratur) cum Sacramenti Pœnitentiæ virtus, in ordine ad remittenda peccata post Baptismum commissa, Christi meritis duntaxat innitatur.

Consulto tamen de potestate Prælatorum Ecclesiæ dubium excitatur, (quorum nomine Episcopos intelligimus) licet enim verum sit, Sanctos veteris Testamenti plura, & quidem uberrima opera satisfactoria peregisse, ut declarat Clemens VI. in *Extravag. Unigenitus de Pœnit. & Remiss.* non tamen, ut statim distribuerentur, sed tempore a Divinæ Providentiæ legibus præfinito; quamobrem nulla ratione, aut authoritate probari potest, eam potestatem Synagogæ fuisse collatam. Eo vel maxime; quod ante Christi mortem non erat Ecclesiæ Thesaurus meritorum ejus ubertate consummatus, a quo cæteri sanctitate conspicui in veteri Testamento satisfaciendi virtutem receperunt. Cæterum si ad statum Evangelicæ Legis attendamus, postquam Christus novam sibi desponsavit Ecclesiam, Theandrico cruore fartam, liberalius Divinæ gratiæ munera communicantur, cumulatius fiunt peccatorum remissiones, atque ex ejus merito derivatum agnoscimus, quod talis potestas Ecclesiæ commendaretur; proindeque Dubium congruentius de ejus Prælatis examini committitur. Nemo tamen dixerit, inutilem collectionem meritorum Sanctorum fuisse ante tempus Evangelicæ Legis factam, quia ea suo tempore fructum erat assecutura = *Non tamen* (inquit Suarius *disp.* 51. *sect.* 2. *nu.* 20.) *inutilis fuit illa collectio meritorum Sanctorum, seu inchoatio Thesauri, quæ ante tempus Legis gratiæ facta est, quia suo tempore fructum suum habiturus erat Thesaurus, quando Dispensator Evangelicus proferre posset de The-*

Thesauro suo nova & vetera, adinstar prudentis Patrisfamilias, de quo loquitur Christus Matth. 13.

Innumeri fuerunt Hæretici, qui omnem moverunt lapidem, ut hanc potestatem impugnarent, atque Indulgentiarum valorem pœnitus everterent, quorum errores in *Dissert. Proœmial. Histor.* §. 16. recensuimus.

Oppositam Heterodoxorum deliriis doctrinam tradidit Concilium Tridentinum, contra Indulgentiarum Impugnatores potissimum congregatum: Catholicamque super hac re edidit Definitionem, atque contrarium asserentes anathemate perculsit = *Cum Potestas* (verba sunt Decreti de Indulg. sess. 25.) *conferendi Indulgentias a Christo Ecclesiæ concessa sit, atque hujusmodi potestate divinitus sibi tradita, antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit; Sacrosancta Synodus Indulgentiarum usum Christiano Populo maxime salutarem, & Sacrorum Conciliorum authoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse docet, & præcipit, eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem negant.*

Pluribus Argumentis ostenditur, penes Ecclesiæ Prælatos dari potestatem dispensandi Ecclesiæ Thesaurum per Indulgentiarum concessiones.

Conclusio. Datur penes Ecclesiæ Prælatos potestas dispensandi Ecclesiæ Thesaurum per Indulgentiarum concessiones.

Prob. 1.° Authoritate Sacræ Scripturæ, *Matthæi* enim 16. Potestatem Clavium Petro se collaturum Christus promisit = *Tibi*, inquit, *dabo Claves Regni Cœlorum, & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis: & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis* = eandemque pariter pollicitus est cunctis Apostolis, qui futuri erant Ecclesiarum Antistites *Matth.* 18. dicens = *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cœlo, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in Cœlo* = Quod postea implevit *Joann.* 17. Petrum alloquens = *Pasce oves meas* = & Jo. 20. = *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt* = Quibus locis sermo est de potestate solvendi ac retinendi peccata, ligandi Fideles per Leges & censuras, omnemque actum jurisdictionis exercendi, qui Dei misericordiam & gloriam, Ecclesiæ ædificationem, animarumque spirituale subsidium apud peccatores commendaret. Itaque sicut Petro cæterisque Apostolis datum est, Fideles peccatorum laqueis irretitos, rite tamen ac recte dispositos, a culparum reatibus, Christi meritis ex Ecclesiæ Thesauro applicatis, absolvere, ita & a pœnis temporalibus ex eodem Thesauro, Christi Sanctorumque satisfactiones dispensando, ubi adsit Christifidelium necessitas, vel utilitas = *Totus iste Thesaurus* (inquit D. Thomas in *quodlib.* 2. *quæst.* 8. *art.* 16. *in corp.*) meritorum Christi & Sanctorum *est in dispensatione ejus, qui præest generali Ecclesiæ; unde Petro Dominus Claves Regni Cœlorum commisit Matth.* 16. *Quando ergo utilitas vel necessitas ipsius Ecclesiæ hoc exposcit, potest ille, qui præest Ecclesiæ, de ista infinitate Thesauri communicare alicui, qui per charitatem sit membrum Ecclesiæ, de prædicto Thesauro, inquantum sibi visum fuerit opportunum, vel usque ad totalem remissionem pœnarum, vel usque ad aliquam certam quantitatem; ita scilicet, quod passio Christi & aliorum Sanctorum ei imputetur, ac si ipse passus esset, quantum sufficeret ad remissionem sui peccati: sicut contingit, cum unus pro alio satisfacit* = Quod vero culpæ in Sacramento, pœnæ temporales extra illud remittantur, in utriusque reatus naturam refunditur; culpæ siquidem nequeunt expiari nisi per infusionem gratiæ sanctificantis, Sacramentorum dumtaxat virtute communicandam: pœnæ vero temporales, quæ deletis culparum maculis debent exolvi, non exposcunt pro remissione gratiam sanctificantem de novo infundendam, sed eandem jam in anima receptam supponunt. Itaque cum Ecclesiæ Prælati, in ipsius Ecclesiæ regimine, Petro cæterisque Apostolis succedant, dicendum est, penes eosdem dari. Potestatem dispensandi Ecclesiæ Thesaurum per Indulgentiarum concessiones.

Respondent Heterodoxi, in allatis Sacræ Scripturæ authoritatibus fieri sermonem duntaxat de Potestate Clavium D. Petro aliisque Apostolis collata, in ordine ad re-

remittenda peccata, quod idem est ac culparum reatum eorum authoritate posse relaxari: non vero de potestate remittendi debitum pœnæ temporalis; ac per consequens ex Sacra Scriptura non erui fundamentum, ad probandum, Ecclesiæ Prælatos gaudere potestate concedendi Indulgentias ex Ecclesiæ Thesauro.

Verum hæc responsio corruit. Ea enim potestas, de qua ibi fit mentio, talis est, qualem agnoscit Ecclesia, ad quam pertinet Scripturas interpretari, & de vero earum sensu judicare. Ecclesia vero, laudatas Sacræ Scripturæ sententias ita intelligit, ut per illam, quodlibet obstaculi genus, Regni Cœlorum ingressum aut impediens, aut retardans, auferendi virtus collata sit. Alias nutaret quod Christus, se Petro cæterisque Apostolis collaturum promiserat: neque communi Ecclesiæ bono fuisset sufficienter provisum. Porro nedum vinculis peccatorum obstrictos, quin etiam ab eis solutos, habentes reatum pœnæ temporalis ab æternæ Beatitudinis assecutione præpediri compertum est. Quemadmodum enim, dicitur *Apocalyps.* 21. = *Nihil coinquinatum* (maculis videlicet culparum) *intrabit in Regnum Cœlorum* = ita nondum exoluto debito pœnæ temporalis (quod non raro superest luendum post justificationem) idem Cœlorum Regnum possideri non potest, ut habetur *Lucæ* 12. v. 59. = *Dico tibi, non exies inde, donec etiam novissimum minutum reddas* = Igitur nedum Petro cæterisque Apostolis commissa est potestas remittendi peccata quantum ad culpam, sed etiam quantum ad pœnam temporalem, Indulgentias largiendo ex Ecclesiæ Thesauro. Rem illustrat luculenter Cajetanus in *Tract.* 16. *de Indulg. quæst.* 6. his verbis = *Quoad impedimenta personalia, quæ scilicet ex peccatis nostris actualibus sunt, ut culpa, & pœna pro actualibus debita, per Petrum aperire Regnum Cœlorum statuit, & propterea sicut ad potestatem Clavium Petri spectat tollere personalem culpam per Sacramenta Pœnitentiæ, dicente Domino: Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, ita ad Clavium Petri potestatem spectat, tollere personalem pœnam, quæ scilicet pro actuali culpa est debita; utraque enim impedit ingressum hominis ad Regnum Cœlorum. Alioquin Claves non sufficienter aperirent, dum non sufficerent ad tollendum utrunque genus personalis impedimenti ad Regni Cœlorum ingressum; & periclitaretur illa universalis a Domino data auctoritas: Quodcunque solveris super terram; nam si pœna exigitur actuali peccato debita, jam non ad quodcunque solvendum extenditur Clavium subjectus actus per dicta verba. Clavium igitur Petri actus cum sit aperire Regnum Cœlorum Christi membris, tollendo personalia culpæ & pœnæ impedimenta, consequens est, ut, quia Indulgentiæ auctoritate Ecclesiastica datæ, servatis servandis, tollunt pœnam pro peccatis debitam, ad potestatem Clavium pertineant.*

Prob. 2.° Ex Summorum Pontificum Diplomatibus & Decretis eadem Indulgentiarum Potestas, & 1.° ex Extravaganti *Unigenit. de Pœnit. & Remissionib.* in qua, Clemens VI., definita existentia Thesauri Ecclesiæ, subdit = *Quem quidem Thesaurum, non in sudario repositum, non in agro absconditum, sed per Beatum Petrum Cœli Clavigerum, ejusque Successores suos in terris Vicarios commisit Fidelibus salubriter dispensandum: & propriis & rationabilibus causis, nunc pro totali, nunc pro partiali remissione pœnæ temporalis pro peccatis debitæ, tam generaliter quam specialiter, prout cum Deo expedire cognoscerent, vere pœnitentibus, & confessis, misericorditer applicandum.* 2.° ex Constitutione Martini V. qui in ea, quæ incipit *Inter Cunctas* emanata octavo Cal. Martii anno MCCCCXVIII. Archiepiscopis, Episcopis atque hæreticæ pravitatis Inquisitoribus præscribit formam, de Wicleffica & Hussitica hæresi suspectum, interrogandi, his verbis = *Utrum credat, quod Papa omnibus Christianis vere contritis & confessis, ex causa pia & justa possit concedere Indulgentias in remissionem peccatorum, maxime pia loca visitantibus, & ipsis manus suas porrigentibus adjutrices: & utrum credat, quod singuli Episcopi suis subditis secundum limitationem Sacrorum Canonum hujusmodi Indulgentias concedere possint* = 3.° ex Constitutione Pii IV. cujus initium est *In Sacrosancta* edita Idibus Novembris anno MDLXIV., qua inter cætera pro Catholicæ fidei professione, a cun-

ctis

ctis promotis, atque inposterum promovendis ad aliquam liberalium Artium facultatem, emittenda, habetur = *Ego N. Indulgentiarum potestatem a Christo in Ecclesia relictam esse, illarumque usum Christiano Populo maxime salutarem esse, affirmo* = Ergo ex Summorum Pontificum Diplomatibus & Decretis constat, dari penes Ecclesiæ Prælatos Potestatem dispensandi Ecclesiæ Thesaurum per Indulgentiarum concessiones.

Prob. 3.º Ex praxi & perpetuo Ecclesiæ usu, ex quo scilicet Ecclesia suis ab incunabulis ad hanc usque ætatem dederit Christifidelibus Indulgentias, non omissis monumentis ex quatuor prioribus sæculis depromtis, quæ Novatoribus puriora videntur: iisque laconice perstrictis, quæ fusiori calamo in *Dissertatione Proœmiali* §. 3. *& sequent.* prosecuti fuimus. De incæstuoso Corinthio, qui lacrymis atque pœnitentiæ laboribus nefandum scelus eluerat, hæc loquitur D. Paulus in *Epist. 2. ad Corinth. cap.* 10. = *Sufficit illi, qui ejusmodi est objurgatio hæc, quæ fit a pluribus: ita ut e contrario magis donetis, & consolemini, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur, qui ejusmodi est* = quibus verbis jubet Apostolus, ut pœnitentiæ onera, quæ ab incæstuoso viro in interitum carnis damnato, adhuc erant explenda, relaxentur. Ea autem pœnitentiæ exemtio aliud non est, quam Indulgentiæ ab Ecclesiæ Prælato facta concessio; quam proinde Christum ratam habuisse, testatur Apostolus laudatus subdens = *Cui autem aliquid donastis, & ego; nam & ego quod donavi, si quid donavi propter vos, in persona Christi* = Aliud Indulgentiarum exemplum præstitit S. Joannes Evangelista erga prædonem quendam adolescentem in plurima flagitia prolapsum, atque ad meliorem frugem deinde revocatum, ei dimisso pœnitentiæ residuo, quod ad pœnæ reatum expungendum debebat exolvere. Prædictis exemplis instructi Catholicæ Ecclesiæ Episcopi, ingruentibus Gentilium persecutionibus contra Evangelicæ Legis sectatores, iis, qui Idolis sacrificium obtulerant, ad luctuosas satisfactiones subeundas obligatis, pœnitentiæ partem relaxarunt; ut præter Tertullianum *lib. de Martyribus*, Dionysium Alexandrinum, Ireneum Episcopum Lugdunensem, locupletissimus testis est Cyprianus in *Lib. 3. Epistol.* 11. *ad Martyr.* Quod profecto minime fecissent, nisi in se ipsis potestatem agnovissent, ex Ecclesiæ Thesauro per Indulgentiarum largitiones remittendi debitum pœnæ temporalis, cujus intuitu luctuosæ pœnitentiæ labores injungebantur.

Dices. Illæ condonationes ad Martyrum preces & libellos datæ, non fuerunt veræ Indulgentiæ, quia nusquam apud Tertullianum aliosque Patres laudatos fit mentio hujus Thesauri Ecclesiæ, ad cujus cumulum Sanctorum merita putaverint pertinere; adeoque nihil evincitur ad propositæ Conclusionis intentum.

Resp. nec pro delendis peccatis quantum ad culpæ reatum per Pœnitentiæ Sacramentum meminisse Patres expresse & formaliter Thesauri Ecclesiæ ex Christi meritis constituti; & tamen nemo dixerit, per hujusmodi Sacramentum non fieri veram culparum remissionem propter merita Christi; quia ab eisdem Patribus traditum, Divinæque Scripturæ oraculo comprobatum accepimus, peccata minime deleri, nisi per Theandricum Christi Cruorem, Deo tanquam pretium nostræ redemtionis oblatum. Itaque cum ex Tertulliano cæterisque Patribus prælaudatis constet, propter Martyrum passiones pacem Lapsis fuisse datam, necnon pœnitentiæ canonicæ relaxationem, recte colligimus, condonationes illas veras fuisse Indulgentias. Maxime quia, hanc ea ætate a Patribus consuetudinem observatam didicimus, ut nequaquam fieret Libellorum Martyrum executio, proindeque pœnitentialis satisfactionis obeundæ relaxatio, donec Confessores, pro Christi nomine in carceribus mancipati, Martyrii cursum feliciter consummassent: adeoque post cumulatum superabundantibus satisfactionibus Ecclesiæ Thesaurum. Quamobrem D. Cyprianus in *Epist.* 10.ª *ad Clerum suum* data, quorundam Presbyterorum factum suggillat, qui contra hanc Ecclesiæ praxim intempestive Lapsis reconciliationis beneficium impertiri non dubitassent = *Contemta*, inquit, *Domini lege & observatione, quam Martyres & Confessores tenendam mandarunt, ante extinctum persecutionis metum, ante ipsum pæne Martyrum excessum, communicent cum Lapsis, & of-*

& offerant, & Eucharistiam tradant = Hinc immerito sibi suadent Hæretici, voces *Thesauri Ecclesiæ*, *meritorum Christi & Sanctorum* in Indulgentiarum dispensationibus adhibitas innovationem esse doctrinæ = *Ne etiam nos* (inquit D. Augustinus *contr. Cresconium c. 13.*) *verbi controversia torqueat, cum res ipsa intelligitur, minus laborandum, quid eam hominibus vocare placuerit* = cum minime novum sit in Ecclesia, novas adhibere voces, ad antiquam fidem apertius declarandam.

Eandem praxim illustrant piæ miserationis officia ob pœnitentium fervorem ab Episcopis impensa post sæculum tertium, eliminatis jam Gentilium contra Christianos persecutionibus, ut habetur ex Conciliis Eliberitano, Ancyrano, Nycæno, Laodiceno, Aurelianensi, Epaonensi, & Trullano.

His accensendæ sunt subsecutis temporibus pœnitentiarum canonicarum redemptiones, ex Episcoporum consensu certis quibusdam piis operibus, puta, Psalmorum recitationibus, jejuniis, corporis flagellationibus addictæ, de quibus fit mentio in Conciliis Cloveshoviensi, Triburiensi, ac Rhemensi, necnon apud D. *Petr. Damian. Lib. 5. Epist. 8.*, & *Epist. ad Alexandr.* II.

Post sæculum undecimum uberiores fuisse pœnitentiarum canonicarum relaxationes tum a Summis Pontificibus iis datas, qui sacras contra Saracenos expeditiones aggrederentur, tum ab Episcopis, visitantibus Ecclesias in earum Dedicationibus, adeo certum est, ut nec ipsi Heterodoxi in dubium revocare contendant.

Probationibus hactenus propositis aliam adjicimus ex quadam congruentia; supposita nanque existentia Thesauri meritorum Christi & Sanctorum, congruum est, penes Ecclesiæ Prælatos potestatem ad illum dispensandum reperiri; quia quum Reipublicæ bona in communi thesauro congesta servantur, distribui oportet per eos, qui in ea sublimem obtinent principatum, ut Civium indigentiis atque necessitatibus opportune subveniatur = *Ea, quæ sunt communia multitudinis alicujus* (inquit D. Thomas in 4. *dist.* 20. *artic.* 3. *quæstiunc.* 1.ª) *distribuuntur singulis de multitudine, secundum arbitrium ejus, qui multitudini præest* = Ecclesia autem Christi Regnum dicitur, Divinaque ordinatione, non humano ingenio adinstar Reipublicæ persistit. Data igitur ex parte Fidelium indigentia, qui aut nequeunt, vel nonnisi difficiliter solvere, quod Deo debent propter reatum pœnæ temporalis, qui superest post justificationem, penes Ecclesiæ Prælatos est facultas ad dispensandum Thesaurum Ecclesiæ; ideoque quemadmodum quis pœnarum temporalium condonationem obtineret apud Deum, si alius pro eo satisfacere niteretur, ita idem obtinet, per Ecclesiæ potestatem Christi Sanctorumque superabundantibus satisfactionibus ex prædicto Thesauro misericorditer applicatis. Quam moralem congruentiam non contemnendam vocat Suarius *to.* 4. *in* 3. *part. D. Th. sect.* 5. *n.* 2. ita eam exponens = *Quilibet Rex, qui Regna vel Provincias longinquas per Proreges gubernat, eis concedit facultatem aliquam distribuendi aliqua bona vel favores, aut privilegia aliqua concedendi subditis. Cum Ergo Christus Vicario suo non dederit bona temporalia, quæ possit distribuere, decuit maxime, ut daret saltem facultatem elargiendi aliqua spiritualia, quibus Christianum Populum sibi benevolum redderet* = Datur ergo penes Ecclesiæ Prælatos potestas dispensandi Ecclesiæ Thesaurum per Indulgentiarum concessiones.

Quæres. An easdem Indulgentias concedere possint Episcopi, quas Summi Pontifices?

Respondemus negative: Summi enim Pontifices plenarias possunt indulgere, seu eas, quæ totam pœnam temporalem peccatis debitam relaxent; Episcopi vero aliquam duntaxat partem, seu illam, quæ juxta *Can.* LXII. *Concil. Lateranen.* IV. est unius anni in Dedicationibus Ecclesiarum, & quadraginta dierum pro aliis Festivitatibus & causis = *Decernimus, ut cum dedicatur Basilica* (sunt verba Canonis laudati) *non extendatur Indulgentia ultra unum annum, sive ab uno sive a pluribus Episcopis dedicetur; ac deinde in Anniversario Dedicationis tempore quadraginta dies de injunctis pœnitentiis indulta remissio non excedat. Ad hunc quoque dierum numerum Indulgentiarum literas præcipimus moderari, quæ pro quibuslibet causis aliquoties conceduntur* = Aliter tamen res se habebat antiquitus: id omne poterant Episcopi remit-

mittere, quod erat a pœnitentibus persolvendum; sed cum postea ea abuterentur potestate in Fidelium atque Ecclesiasticæ disciplinæ detrimentum (ut habetur in Canone laudato = *Quia per indiscretas & superfluas Indulgentias, quas quidam Ecclesiarum Prælati facere non verentur, & Claves Ecclesiæ contemnuntur, & pœnitentialis satisfactio enervatur*) idcirco Concilii Lateranensis Patres hoc ediderunt Decretum.

Solvuntur Heterodoxorum argumenta, quibus Catholicam sententiam concutere nituntur.

Objiciunt 1.° Nulla est potestas solvendi, cui non correspondeat potestas ligandi, juxta illud *Joann.* 20. = *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt* = & *Matth.* 18. = *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cælo, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in Cælo* = Nulla autem in Summo Pontifice aut Episcopis est potestas ligandi Fideles ad pœnas in foro Dei. Nec ergo datur facultas absolvendi ab eisdem ex Thesauro Ecclesiæ.

Resp. 1.° solvendi potestatem utique potestati ligandi correspondere, non tamen ita, ut nequeat ista latius se extendere: quod declaratur exemplo. Nequit Ecclesia votorum onere Fideles prægravare; & tamen citra dubium est, posse eorum obligationes justis causis occurrentibus relaxare. Sic ergo, etsi nequeant Summi Pontifices & Episcopi, ad pœnas in foro Dei subeundas Christifideles adstringere, possunt tamen ab illis absolutionem etiam in foro Dei impertiri: & hoc est Indulgentias ex Ecclesiæ Thesauro dispensare. Quamobrem hæc Lutheri propositio a Leone X. Constitutione incipiente *Exurge Domine* sub numero 26. fuit proscripta = *Verbum Christi ad Petrum: Quodcunque solveris super terram &c. Extenditur ad ligata ab ipso Petro.*

Resp. 2.° eandem latitudinem in utraque potestate servari, non quidem positive, sed privative, quatenus possunt Summus Pontifex & Episcopi quodammodo ad pœnas in foro Dei debitas ligare, eas videlicet retinendo quantum ad usum hujus potestatis, vel Indulgentias non concedentes, vel concessas revocantes; sicut exponunt Theologi, potestatem retinendi peccata in eo consistere, quod possint Sacerdotes absolutionis beneficium, culparum reatibus mancipatis, denegare.

Resp. 3.° cum Passerino in *Tr. de Indulg. quæst.* 3. *n.* 39. Pœnas in foro Dei peccatoribus debitas sic ex lege Divinæ justitiæ deberi, ut tamen subsint Summi Pontificis & Episcoporum jurisdictioni quantum ad illarum determinationem; cum enim peccator per plura virtutum exercitia Divinæ queat satisfacere Justitiæ, ad Summum Pontificem & Episcopos spectat, vel per se, vel per suos ministros determinare, quod hæc satisfactio per hæc aut illa opera peragatur: ideoque eorum est ligare, ad hanc vel illam satisfactionem obligando: ac per consequens etiam culpas solvere, peccatoribus concedendo, ut per alios satisfaciant, seu ut aliorum eis prosit satisfactio, cum eorum munus sit, opera determinare, per quæ satisfactio exhibeatur.

Objiciunt 2.° Summus Pontifex & Episcopi nequeunt solvere ex Ecclesiæ Thesauro pœnas gehennæ pro peccatis lethalibus debitas extra Sacramentum Pœnitentiæ. Ergo nec temporales, quæ luuntur in Purgatorio, cum tam istæ, quam illæ sint extra Ecclesiasticam jurisdictionem.

Resp. Inferni pœnas peccatis lethalibus deberi ob reatum pœnæ æternæ, qui talem cum culpa connexionem importat, ut nec per Divinam virtutem fieri queat, eam aboleri, quin prædictus reatus relaxetur, juxta communem Thomistarum doctrinam. Porro cum culpæ lethales remitti non possint nisi per novæ Legis Sacramenta, vel per ordinem ad illa, & potissime actualia, nisi per Sacramentum Pœnitentiæ vel in re, vel in voto, perspicue datur intelligi, quare nec Summus Pontifex, aut Episcopi potestatem obtineant ad pœnas Inferni remittendas extra Sacramentuum. Cæterum eandem non dicit connexionem cum culpa pœna temporalis; ab illa enim potest hæc realiter separari, eaque deleta, in homine justificato persistere: cumque media Clavium potestate possint Ecclesiæ Prælati quodcunque impedimentum retardans Cœlorum ingressum auferre, recte colligitur, eos posse extra Sacramentum debitum pœnæ temporalis relaxare.

Obj-

Objiciunt 3.° Nequit inferior absolvere ab eo, ad quod superior obligavit. Si vero Summus Pontifex & Episcopi Thesaurum Ecclesiæ per Indulgentiarum largitiones aperirent, ac dispensarent, jam verum esset, inferiores ab eo absolvere, ad quod superior ligavit. Eo vel maxime, quod cum Deus sit Judex supremus, ejusque voluntas efficacissima sit, ac immutabilis, ut dicitur *Malach.* 3.° = *Ego Dominus & non mutor* = nequit pœnam pro culpis statutam condonare, alias Divinæ voluntatis propositum mutaretur. Ergo Summus Pontifex & Episcopi nequeunt Ecclesiæ Thesaurum per Indulgentiarum concessiones dispensare.

Resp. inferiorem non posse tollere propria authoritate pœnam a superiore taxatam secundum rectum justitiæ ordinem, bene vero dependenter ab eo, in id consentiente. Non ergo dicimus utcunque ab Ecclesiæ Prælatis Indulgentias concedi, sed per potestatem eis ad bonum Christianæ Reipublicæ regimen divinitus communicatam; Deus enim, qui non vult mortem peccatoris, sed ut magis convertatur & vivat, in illum decrevit culpa deleta temporalibus pœnis animadvertere, nisi aut propriis sumtibus, aut alia via illæsa Divinæ Justitiæ jura serventur. Quamobrem *Jonæ* 3. *v.* 4. subversionem Civitatis legimus Ninivitis in pœnam peccatorum indictam = *Adhuc quadraginta dies & Ninive subvertetur* = & tamen minime constat, id executioni fuisse mandatum; in quo aliisque similibus eventibus, licet exterius appareat Divinæ sententiæ mutatio, Decretum tamen absolutum Divinæ Voluntatis perseveravit irretractatum; ut notavit S. Gregorius 16. *Moral. cap.* 18. his verbis = *Cum exterius mutari videtur sententia, interius consilium non mutatur, quia de unaquaque re intus constituitur, quidquid foris mutabiliter agitur* = Idem tradit Author *Homil.* 5. *ad Popul. Antiochen.* sub nomine S. Joannis Chrysostomi his verbis = *Elegit Deus prophetiam potius suam cadere, quam Civitatem corruere: imo vero neque Prophetia cecidit; si enim hominibus quidem in eadem malitia permanentibus, non in opus sententia prodiisset, posset quis forte dicta criminari: si vero mutatis ipsis, & a malitia desistentibus, etiam Deus ab ira destitit, quis amplius prophetiam carpere poterit, & dictorum mendacium condemnare? Etenim legem, quam ab initio Deus cunctis hominibus posuit, per Prophetam loquens, hanc & tunc conservavit. Quæ lex autem? Exitium loquar, inquit, ad gentem & Regnum, ut eradicem & suffodiam, & perdam: & erit, si pœnitentiam egerint malitiæ, & ego iræ, quam locutus fueram facere illis, obliviscar* = Itaque, quando per Clavium potestatem pœna temporalis expungitur, hoc fit citra Divinæ Voluntatis mutationem, ob involutam tacitam conditionem plectendi crimen perpetratum, nisi Divina Justitia, vel propriis reorum, vel alienis satisfactionibus ex Ecclesiæ Thesauro applicatis, præveniatur. Hanc solutionem habes ex Suario *tom.* 4. *in* 3. *parte D. Thom. disp.* 49. *sect.* 5. *n.* 2., qui optime animadvertit, eandem difficultatem fieri posse, de suffragiorum ac satisfactionum effectibus in ordine ad pœnas Purgatorii. = *Hæc difficultas*, inquit, *objici etiam potest contra omnem effectum suffragiorum: imo & contra omnes satisfactiones justorum. Dicendum est ergo in hac lege Divina Purgatorii pœnam taxante, non intervenisse efficacem & absolutam Dei Voluntatem statuentem, ut omnis qui semel contraheret reatum talis pœnæ, illam in specie omnino sustineret, sed adjunctam esse conditionem, nisi pro suis peccatis satisfaceret, vel aliis modis a Deo statutis veniam consequeretur, ex quibus unus est per Indulgentias.*

Objiciunt 4.° Clavium potestas soli competit Christo, qui suæ passionis virtute sanctificavit Sacramenta, quibus perfecta obtinetur peccatorum remissio, & quantum ad culpam, & quantum ad pœnam; quapropter de eo *Apocalyps.* 3. dicitur = *Hæc dicit Sanctus, & verus, qui habet Clavem David, qui aperit & nemo claudit, claudit, & nemo aperit* = Et D. Cyprianus *Lib. de Lapsis docet*, potestatem dandi veniam peccatorum & Indulgentiam ei tantummodo convenire, qui peccata nostra portavit = *Nemo se fallat, nemo se decipiat, solus Dominus misereri potest. Veniam peccatis, quæ in illum commissa sunt, solus potest ille largiri, qui peccata nostra portavit, qui pro nobis doluit, quem Deus tradidit pro peccatis*

tis nostris : Homo Deo esse non potest major, nec remittere aut donare indulgentia sua servus potest, quod in Dominum delicto graviore commissum est = Non potest ergo Clavium potestas aliis a Christo convenire, qua valeant uti Ecclesiæ Thesauro pro largiendis Indulgentiis.

Resp. triplicem dari Clavium potestatem: Authoritatis, Excellentiæ, & Ministerii. Prima Deo competit gratiæ sanctificantis Authori, qua mediante, & peccata delentur, & Cœli aditus aperitur. Secunda elucet in Christo ratione unionis hypostaticæ, ejusque virtus in eo sita est, quod per suæ passionis meritum tanquam agens principale in genere moris, mediaque humanitate ut instrumento præstet influxum in peccatorum remissionem. Tertia demum in Ecclesiæ Ministris reperitur = *Dicendum* (inquit *D. Thomas in suppl. 3. part. quæst. 17. art. 1. in Corp.*) *quod in corporalibus Clavis dicitur instrumentum, quo ostium aperitur. Regni autem ostium per peccatum clauditur, & quantum ad maculam, & quantum ad reatum pœnæ; & ideo potestas, qua tale obstaculum removetur, dicitur Clavis. Hæc autem potestas est Divina in Trinitate per Authoritatem; & ideo dicitur a quibusdam, quod habet Clavem Authoritatis: sed in Christo Domino fuit hæc potestas ad removendum prædictum obstaculum per meritum passionis, quæ etiam dicitur, januam aperire; & ideo dicitur secundum quosdam habere Claves excellentiæ; & quia ex latere Christi dormientis in Cruce Sacramenta fluxerunt, ex quibus Ecclesia fabricatur, ideo in Sacramentis Ecclesiæ efficacia passionis manet, & propter hoc etiam Ministeris Ecclesiæ, qui sunt Dispensatores Sacramentorum, potestas aliqua ad prædictum obstaculum removendum, est collata, non propria, sed virtute Divina, & passionis Christi; & hæc potestas metaphysice est Clavis Ministerii* = Ex quibus habes, textum relatum ex Apocalypsi alludere ad potestatem Excellentiæ in solo Christo repertam, de qua loquitur pariter D. Cyprianus in authoritate laudata; cum qua optime stat, ad Ecclesiæ Prælatos spectare Clavem ministerii, eaque intra Sacramentum pœnitentiæ posse absolvere a culpa, & extra illud pœnas temporales Deo solvendas relaxare, ut cumulatissime testatur ipsemet D. Cyprianus, asserens, posse Episcopos ex Ecclesiæ potestate Lapsos venia & Indulgentia donare, ut fuse dictum est in *Dissertat. Proœmial.* §. 3. Quare autem Sacerdotibus, quibus etiam convenit absolvere intra Sacramentum a peccatis, non conveniat extra Sacramentum indulgentias concedere dicemus; infra *Artic. 6.*

Obiiciunt 5.° Nulla datur necessitas hujus potestatis in Ecclesia Dei; concesso siquidem, quod inita reconciliatione hominis cum Deo per gratiam & charitatem, non raro debitum pœnæ temporalis superesset, citra Indulgentiarum subsidium, aut Sacramentis salubriter institutis, aut incruento Altaris Sacrificio, vel Sanctorum precibus posset illud sufficienter expiari. Ergo dicendum non est, Christum concessisse Ecclesiæ Prælatis potestatem dandi Indulgentias.

Resp. duplex dari genus necessitatis, primum, eorum, sine quibus finis intentus absolute & simpliciter haberi non potest; secundum, eorum, quibus etiam non adhibitis, potest finis intentus obtineri, non tamen convenientius. = *Dicendum* (ait Divus Thomas 3. p. quæst. 1. art. 2. in corpore) *quod ad finem aliquem dicitur aliquid esse necessarium dupliciter. Uno modo sine quo aliquid esse non potest: sicut cibus est necessarius ad conservationem humanæ vitæ. Alio modo, per quod melius & convenientius pervenitur ad finem; sicut Equus necessarius est ad iter.* = Porro quanquam potestas largiendi Indulgentias non sit absolute & simpliciter necessaria ad remittendum debitum pœnæ temporalis, ut recte concludit Adversariorum Argumentum, secus vero secundo modo; facilius enim atque congruentius aperitur via ad Regnum Cœlorum media bonorum operum agendorum executione, ad Indulgentias comparandas injuncta; ideoque earum usus a Tridentino *Sess. 24. Decr. de Indulg.*, dicitur = *Populo Dei maxime salutaris.*

AR-

ARTICULUS II.

An Potestas dispensandi Ecclesiæ Thesaurum per Indulgentiarum concessiones sit Potestas Ordinis vel jurisdictionis.

CONVENIUNT omnes Doctores Catholici in admittenda potestate dispensandi Ecclesiæ Thesaurum contra Heterodoxos, hoc Fidei dogma acerrime impugnantes; maxime tamen discrepant inter se in exponendo, cujusmodi sit ea potestas, an scilicet ad Ordinem, seu potius ad jurisdictionem pertineat.

Durandus in 4.° *dist.20.quæst.3.& 5.* asserit, eam esse duntaxat curam, seu providentiam pastoralem, non vero potestatem jurisdictionis; ut in Prælato Religionis bona dispensare, vel eorum indigentibus eleemosynæ subsidium impendere, & infirmos a languoribus curare, non quidem jurisdictioni, sed muneri pastorali correspondet.

Alii apud Suarium *tom.4. in 3. p. D.Th. disp.49. sect. 3. n. 1.* putant, ita Indulgentiarum potestatem cum ordine Sacerdotali connecti, ut Ecclesiæ Prælati dicti Ordinis Charactere non insigniti nequeant Indulgentias concedere.

Conclusio 1.ª Potestas dispensandi Thesaurum meritorum Christi per Indulgentiarum concessiones est potestas jurisdictionis.

Prob. ex Cap. *Quod autem de Pœnit: & Remissionib.*, ubi Alexander III. requisitus: Num Indulgentiæ ab Episcopis concessæ prodessent personis a jurisdictione concedentis exemptis, ita respondit = *Quod autem consuluisti, utrum remissiones, quæ fiunt in Dedicationibus Ecclesiarum, aut conferentibus ad ædificationem pontium, aliis prosint, quam iis, qui remittentibus subsunt, hoc volumus tuam fraternitatem tenere, quod cum a non suo Judice ligari nullus valeat, vel absolvi, remissiones prædictas, prodesse illis tantummodo arbitramur, quibus ut prosint, proprii Judices specialiter indulserunt:* = Potestas ergo concedendi Indulgentias est potestas jurisdictionis; alias possent non subditi Episcopi concedentis Indulgentias, earundem concessionum fructum percipere.

Obiicies 1.° Indulgentiarum concessio est opus misericordiæ, quo ex Ecclesiæ Thesauro peccatoribus spiritualiter indigentibus misericorditer subvenitur; ideoque in earum Literis Apostolicis hæc verba adhibentur = *Misericorditer elargimur* . = Quod profecto ad providentiam pastoralem potius spectat, quam ad jurisdictionem. Non ergo Potestas dispensandi Thesaurum meritorum Christi per Indulgentiarum concessiones est potestas jurisdictionis.

Resp. per Indulgentiarum virtutem spirituale auxilium præberi Christifidelibus obnoxiis debito pœnæ temporalis, quia solvitur ex Ecclesiæ Thesauro, quod Deo debetur; sed ita solvitur, ut ab eadem pœna absolutionis beneficium impendatur, sicut dicemus fusius *cap. 6. Artic. 1.°* Hoc autem puræ providentiæ aut curæ pastorali convenire non potest, sed potestati jurisdictionis duntaxat. Quod vero in Literis Apostolicis ea verba adhibeantur = *Misericorditer elargimur* = declaratur, Indulgentiarum concessiones esse actus misericordiæ, qui nequeunt nisi subditos Prælati concedentis afficere; formula enim integra hæc est = *Indulgentiam, & remissionem misericorditer concedimus* = ubi = *Per remissionem* = absolutio, seu actus jurisdictionis exprimitur.

Obiicies 2.° Jurisdictionis potestas, cui absolutio correspondet, potest etiam in invitum exerceri, unde quia absolutio a censuris actum jurisdictionis importat, etiam nolens, a vinculo earundem absolvitur; cæterum minime potest quis nolens absolutionem a debito pœnæ temporalis obtinere. Quanquam enim vellet Summus Pontifex, aliquem Fidelem Indulgentiam lucrari, si iste renueret operibus a concedente injunctis vacare, tali beneficio non gauderet. Ergo Indulgentias concedere, non spectat ad potestatem jurisdictionis.

Resp. duplicem esse jurisdictionis potestatem, unam coactivam, voluntariam alteram. Prima potest etiam exerceri in invitum; ideoque mirum non est, etiam nolentem ab excommunicatione vel aliis censuris absolvi posse. Aliter de secunda dicendum est, cujus actus est favor, vel gratia, seu

ſeu privilegium, propter conditionem ex parte ſubjecti requiſitam, in quo hæc indiſpenſabiliter debet locum habere = *Si ſe voluntarie Clavium poteſtati ſubjiciat* = proindeque ſicut invitus non valet fructum abſolutionis, quæ datur intra Sacramentum, obtinere, ita nec illius, quæ extra Sacramentum per Indulgentiarum largitionem impenditur = *Proprium eſſe* (inquit Suarius loco cit. *nu.* 8.) *borum effectuum internorum, qui ad perfectam animæ purgationem coram Deo ſpectant, ut non poſſint invitis concedi; ſic enim abſolutio a culpa, licet ſit actus juriſdictionis, non poteſt invito tribui: idemque eſt de abſolutione a pœna; unde etiam in Purgatorio, ubi dubium non eſt, quin punitio illa ſit actus juriſdictionis, effectum ſuum non poteſt habere in invitum* = Quod adeo verum eſt, ut ſi quandoque a Confeſſario quis obligaretur ad comparandam ſibi Indulgentiam, ea obligatio minime ex poteſtate Indulgentiarum oriretur, ſed ex alia, qua gaudent Sacerdotes in foro Sacramentali ad ligandum & ſolvendum, longe ab illa diverſa, quæ abſolute & ſimpliciter eſt voluntaria, licet aliquid de coactiva participet: quatenus ligare etiam poteſt ac punire, ut in Articulo antecedenti tradidimus in reſponſione 2.ª ad Heterodoxorum primum Argumentum.

Objicies 3.° Hoc eſt poteſtatis juriſdictionis indicium, ut nequeat reo pœna relaxari, non præmiſſa cauſæ cognitione. In indulgentiarum vero conceſſionibus opus non eſt eorum Judicium præmittere, qui fructum Indulgentiarum ſunt percepturi; ac per conſequens poteſtas diſpenſandi Eccleliæ Theſaurum non ſpectat ad juriſdictionem.

Reſp. In exercitio poteſtatis juriſdictionis, juxta qualitatem abſolutionis, cauſæ cognitionem eſſe præmittendam; quamobrem ſi ſit particularis, etiam de particulari cognitionem prærequiri neceſſe eſt; ubi vero generalis, ut in largitionibus Indulgentiarum contingit, prævie ad eas oportet haberi generalem cauſæ cognitionem. Cæterum, hanc Prælatis Eccleſiæ non deeſſe, compertum eſt. Ea ſiquidem eſt humanæ fragilitatis conditio, ut inita cum Deo reconciliatione per gratiam & charitatem, quanquam non ſemper, frequenter tamen Fideles pœnæ temporali luendæ ſuccumbant, adeoque propriis ſatisfactionibus, vel alienis ex Eccleſiæ Theſauro depromtis ad ejus expiationem indigeant.

Objicies 4.° Summus Pontifex poteſt Indulgentias concedere etiam Animabus in Purgatorio degentibus, & tamen ſuper Defunctos nequit poteſtate juriſdictionis gaudere. Poſſe ergo Summum Pontificem Indulgentias concedere, non eſt actus correſpondens poteſtati juriſdictionis.

Reſp. Summum Pontificem in Indulgentiis hujuſmodi non exercere juriſdictionem ſuper Defunctos. Quomodo autem ſtet præhabita Concluſio, eo non obſtante, dicemus infra *cap.* 13. *art.* 3.

Concluſio 2.ª Poteſtas diſpenſandi Eccleſiæ Theſaurum meritorum Chriſti & Sanctorum per Indulgentias non ſupponit neceſſario in diſpenſantibus poteſtatem Ordinis Sacerdotalis.

Prob. 1.° Diaconi aliique non Sacerdotes jure ordinario & delegato poſſunt facere Indulgentias. = *Poteſtas concedendi Indulgentias* (inquit D.Thom. in *Supplem.* 3. *part. quæſt.* 26. *art.* 2. *in corp.*) *ſequitur juriſdictionem: & quia Diaconi, & alii non Sacerdotes poſſunt habere juriſdictionem, vel commiſſam ſicut Legati, vel ordinariam ſicut Electi, ideo poſſunt Indulgentias etiam non Sacerdotes concedere, quamvis non poſſint abſolvere in foro pœnitentiali, quod eſt Ordinis*, = & in 4.° *diſt.* 20. *artic.* 3. *qu.* 2. *ad* 1.^m = *Clavis juriſdictionis eſt quid Sacramentale, & effectus ejus arbitrio hominis ſubjacet, & hujus clavis effectus eſt remiſſio, quæ eſt per Indulgentias, cum non pertineat ad diſpenſationem bonorum communium Eccleſiæ; & ideo etiam Legati non Sacerdotes Indulgentias concedere poſſunt* = Poteſtas ergo diſpenſandi Indulgentias non ſupponit neceſſario in diſpenſantibus poteſtatem Ordinis Sacerdotalis; alias Diaconi aliique non Sacerdotes eas non poſſent concedere.

Prob. 2.° ratione, quam affert Suarius. Poteſtas Ordinis Sacerdotalis per ſe & de ſui natura ad Sacramentum aliquod perficiendum duntaxat exigitur. Porro pœnæ temporalis remiſſio, quæ Indulgentiarum virtute comparatur, actus Sacramentalis non eſt, ſed abſolutio, ſolutionem involvens ex Eccleſiæ Theſauro, extra Sacramentum;

Aa ideo-

ideoque esto remissio dictæ pœnæ, consequens ad culparum remissionem in Sacramento Pœnitentiæ, præsupponat in Ministro potestatem relaxandi culpas, ac proinde Ordinem Sacerdotalem; remissio tamen pœnæ, de qua agimus, quæ nullo modo circa culpas versatur, dictum Ordinem, in habentibus potestatem concedendi Indulgentias, non requirit. Ergo potestas dispensandi Ecclesiæ Thesaurum per Indulgentias, non supponit in Summo Pontifice & Episcopis necessario Ordinem Sacerdotalem.

Dices. Indulgentiæ remittunt pœnitentias a Sacerdotibus in Sacramento Pœnitentiæ injunctas, ut obtineatur pœnæ temporalis remissio. Ergo ad illos Prælatos duntaxat spectat Indulgentias concedere, qui Pœnitentiæ Sacramentum valent administrare; ac per consequens potestas concedendi Indulgentias connectitur cum Ordine Sacerdotali.

Resp. per Indulgentias remitti pœnitentias Sacramentales, non quidem directe & immediate, sed indirecte, quatenus, Indulgentiis comparatis, cessat obligatio solvendi pœnam temporalem, propter quam pœnitentiæ erant injunctæ, sicuti dicemus fusius *cap.5.art.3.* Quamobrem ex hoc non infertur, potestatem concedendi Indulgentias habere connexionem in actu cum Ordine Sacerdotali, aut Indulgentias debere prodire a potestate injungente pœnitentias in foro Sacramentali.

Consulto diximus: *Non infertur, potestatem dandi Indulgentias habere connexionem in actu cum Ordine Sacerdotali*, quia, ut bene advertit Passerinus *quæst.5. nu.46.* cum illa spectet aliquo modo ad forum Pœnitentiale, Prælatisque Ecclesiæ communicetur ad liberandum Fideles a debito pœnæ temporalis, negari non potest, esse veluti corollarium quoddam consequens ad potestatem Ordinis Sacerdotalis; ideoque uno eodemque contextu, ac sub eadem verborum forma, utranque Petro cæterisque Apostolis communicatam agnoscimus *Jo:* 20. Hinc potestas dandi Indulgentias per se supponit Ordinis Sacerdotalis institutionem ad remittenda peccata, atque in proprio subjecto, quod est Summus Pontifex, ad minus legitimam ad Summum Sacerdotium electionem, ac in cæteris subjectis ad minus electionem ad Episcopatum confirmatam, quanquam Sacerdotium non exigat actu collatum.

Ex his colliges 1.° Episcopum canonice electum, etiam non consecratum, dummodo tamen confirmatum, posse Indulgentias concedere; etenim media confirmatione potestatem jurisdictionis assequitur, gradumque Episcopalem: cum Spirituale coniugium inter ipsum atque Ecclesiam sibi commissam, electione inchoatum, per confirmationem perficiatur, & compleatur; quia sicut Episcopus confirmatus, nondum consecratus, potest alios actus explere, qui ad jurisdictionem Episcopalem spectant: puta judicare delinquentes, excommunicatione corrigere contumaces, juramentum a subditis exigere, atque in beneficiis instituere, ita & Indulgentias concedere.

Episcopi tamen Germaniæ ante Sedis Apostolicæ confirmationem possunt Indulgentias elargiri; quia, ut habetur *Cap. Nihil de Electíon. & Elect. potestat.* administrationem Ecclesiarum obtinent in Spiritualibus & temporalibus, statim post electionem concorditer factam, ibi = *Interim valde remoti, videlicet ultra Italiam constituti, si electi fuerint in concordia, dispensative propter necessitates Ecclesiarum & utilitates, in Spiritualibus & temporalibus administrent* = Quanquam vero Abbas Panormitanus in citato *Cap. num.* 4. putet, hoc privilegium hodie non habere locum, ex eo quod Sedes Apostolica potestatem providendi de Dignitatibus sibi reservaverit, ac consequenter jus eligendi ab electoribus abstulerit, ut *Cap. Eo tempore eodem lib. 6.* Nihilominus dicendum est, id posse nunc fieri ab Episcopis prælaudatis, cum jus eligendi Episcopos fuerit Capitulis Germaniæ præservatum in Concordatis, ut in Constitutione Nicolai V. incipiente *Ad Sacram Petri Sedem* edita anno MCCCCXLVII. Calendis Aprilis quæ habetur in Bullar. Romano *Tomo* 1. *pag.mihi* 305. quibus profecto non obstant reservationes non clausæ in corpore Juris. Idem ex facto respondisse Geminianum *in Conf.36. casus talis est per totum*, observat Fagnanus in dicto *Cap. Nihil num.* 18. & 19. Et ita servatur in praxi. Nec mirum est Abbatem Panormitanum ita sentiisse; obiit enim anno MCCCCXLV. teste Bellarmino in *Lib. de Script. Ecclesiast.* adeoque biennio antequam dicta Concordata prodirent.

Colliges 2.° Poteſtatem concedendi Indulgentias ex officio Epiſcopis competentem poſſe aliis delegari : quod a fortiori dicendum eſt de hujuſmodi poteſtate reſidente in Summo Pontifice; ſiquidem poteſtas, quæ jure ordinario alicui competit, poteſt per delegationem aliis communicari, niſi detur prohibitio in oppoſitum ; rectus enim officii uſus poſtulat, ut Ordinarius vices ſuas alteri poſſit delegare, ut habetur *Cap. inter cætera de Officio Ordinarii. Cap. cum Epiſcopus eod. titulo, & Cap. Omnis utriuſque ſexus de Pœnit. & Remiſſionib.* Nullibi autem in ſacris canonibus inhibetur delegatio poteſtatis concedendi Indulgentias.

Hic tamen adverte, Delegatum ab Epiſcopo debere eſſe Clericum, quia Laicus inhabilis eſt ad hujuſmodi munera obeunda, etiam ex delegatione, ut volunt Suarius *diſput. 55. ſect. 6. num. 5.* Reginaldus, Bonacinna & Lavorius; quanvis ad id non oporteat, Clericum eſſe in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutum. Non tamen neceſſe eſt, a Summo Pontifice ad concedendas Indulgentias delegatum eſſe Clericum, quia Laicus ea caret habilitate, ut notant Authores prælaudati, de jure canonico, non tamen de jure Divino; unde ſicut Summus Pontifex poteſt Laico de plenitudine poteſtatis Clericorum cauſas cognoſcendas committere, ita & Indulgentiarum conceſſionem.

Colliges 3.° Epiſcopum poſſe exercere poteſtatem largiendi Indulgentias, etiamſi in ſtatu peccati lethalis exiſteret; peccatum enim hujuſmodi hominem exuit gratia ſanctificante, cæteriſque ſupernaturalibus habitibus, cum illa eſſentialem connexionem habentibus, non tamen poteſtate juriſdictionis, ut declaratum eſt in Concilio Conſtanienſi contra Wicleffitas & Huſſitas. Etenim ſicut ſtatus peccati lethalis non impedit æque a bonis, ac malis Miniſtris per Sacramenta gratiam ſanctificantem conferri, ita non adimit exercitium poteſtatis juriſdictionis = *Dicendum* (inquit D. Thomas in *4. diſt. 20. art. 4. quæſt. 4.*) = *quod largiri Indulgentias pertinet ad juriſdictionem. Sed per peccatum homo non amittit juriſdictionem, & ideo Indulgentiæ æque valent, ſi fiant ab eo, qui eſt in peccato mortali, ſicut ſi fierent ab eo, qui eſt ſanctiſſimus : cùm non remittant pœnam ex vi ſuorum meritorum, ſed ex vi meritorum reconditorum in Eccleſiæ Theſauris.*

Quod ſi dixeris : majus eſſe Indulgentias dare, quam recipere, adeoque ſicut in ſtatu peccati lethalis nequeunt illæ acquiri, ita nec concedi : Reſpondebimus, majus quidem eſſe quantum ad poteſtatem, ſecus quantum ad utilitatem.

Quæres 1.° An Epiſcopus aliqua cenſura irretitus poſſit Indulgentias concedere?

Reſpondemus, Epiſcopum Excommunicatum non toleratum non poſſe; eſt enim ab Eccleſia præciſus: proindeque omnis ejus actus ad juriſdictionem ſpectans nullitatis vitio laboraret. Ita Suarius *in 3.ª p. to. 4.° diſp. 55. ſect. 3. nu. 18.* Paſſerinus *qu. 85. num. 623.* aliique. Idem ſenties de Suſpenſo per Suſpenſionem abſolute & ſimpliciter latam; privatur enim omni uſu Ordinis & juriſdictionis, alteriuſve Eccleſiaſtici Miniſterii, ut docent PP. Salmanticenſes Morales in *Tr. 12. de cenſur. cap. 5. puncto 3. num. 23.* Aliter dicendum eſſe arbitramur de Interdicto cum laudatis Patribus in *c. 6. puncto 3. nu. 29.* quia Interdictum non privat exercitio juriſdictionis tam interioris, quam exterioris, tam fori contentioſi, quam conſcientiæ; effectus enim dictæ cenſuræ, de quibus fit mentio in *cap. Alma mater de ſententia excommunicationis in 6.° cap. Quod in te de Pœnit. & Remiſſionib. cap. Reſponſo de ſent. Excom. in 6.°* ſunt tantum tres. Primus, privatio Divinorum Officiorum tam activa quam paſſiva. Secundus, privatio aliquorum Sacramentorum. Tertius, privatio ſepulturæ Eccleſiaſticæ. Privatio autem exercitii juriſdictionis tam interioris, quam exterioris, tam fori contentioſi, quam conſcientiæ ad nullum ex tribus enumeratis reducitur : ac proinde poteſt Epiſcopus Interdictus Indulgentias concedere, ſicut conferre beneficia, abſolvere a peccatis & excommunicare, & Excommunicationis vinculum relaxare, aliaque munera explere, quæ pertinent ad juriſdictionis Epiſcopalis poteſtatem.

Quæres 2.° An Epiſcopus Excommunicatus non toleratus, vel Suſpenſus poſſit alteri ſaltem Epiſcopo committere, ut ſuæ Diœceſeos ſubditis Indulgentias largiatur?

Reſpondent Paludanus & Corduba, talem Epiſcopum non poſſe proprie id delegare, ſed poſſe permittere, ut alius Epi-

ſcopus id præſtet. Aliud enim eſſe, putant, delegare poteſtatem, aliud permittere & licentiam impertiri, ut proprii ſubditi de alterius conceſſione fruantur. Primum, quia juriſdictionis exercitium importat, dicunt, Epiſcopo Excommunicato non tolerato vel Suſpenſo convenire non poſſe: ſecus vero ſecundum, cum tantum ſit, ſubditos alteri ſubiicere. Quod videtur dubium Azorio, & incertum, quanquam aliquam præſeferre probabilitatem fateatur.

Nos vero putamus, hunc dicendi modum eſſe intrinſeca probabilitate deſtitutum, atque incohærenter Paludanum & Cordubam procedere; quia ſi verum eſt, ut dicitur, hanc permiſſionem in eo conſiſtere, ut ſubditi Epiſcopi non tolerati vel ſuſpenſi ſubiiciantur alteri in ordine ad Indulgentias obtinendas, cum id ſine juriſdictione fieri nequeat, ſi ob dictæ poteſtatis defectum nequit talis Epiſcopus alteri Indulgentiarum poteſtatem delegare: nec pariter poterit facere, ut alias non ſubditi alterius Epiſcopi, tales ex vi dictæ permiſſionis evadant, ac poſſint de conceſſione Indulgentiarum illius gaudere.

Quæres 2.° An Concilii Lateranenſis Decretum, de quo ſupra meminimus, adimat Epiſcopis poteſtatem in ordine ad uberiores remiſſiones & Indulgentias, quam ſint ibi determinatæ: an vero eas duntaxat reprobet, tanquam illicitas, adeo ut ſi Epiſcopi hanc Concilii legem non obſervarent, conceſſiones in ſuo robore & valore ſubſiſterent?

Reſpondemus cum Suario *diſp. 55. Sect. 3. n. 11.* ablatam ab Epiſcopis fuiſſe prælaudato Decreto poteſtatem concedendi ampliores Indulgentias, quam ibi ſint ſtatutæ; quod eſt commune Theologorum placitum; ea enim verba = *Non extendatur* = *Non excedant* = clauſulis irritantibus æquivalent, adeoque poteſtatis limitationem indicant. Et habetur pariter ex Decretali Bonifacii VIII. *cap. Indulgentiæ de Pœnit. & Remiſſ.* = *Indulgentiæ quæ ab uno, vel pluribus Epiſcopis in Eccleſiarum Dedicationibus, vel aliis quibuſcunque caſibus conceduntur, vires non obtinent, ſi ſtatutum exceſſerint generalis Concilii.*

Hinc quanquam verum ſit id, quod dicunt quidam Pontificii Juris Interpretes & Gloſſa ſuper dicto Concilii Canone oppoſitum ſuſtinentes, deeſſe ſcilicet clauſulam his verbis expreſſam = *Quod ſi ſecus factum fuerit, irritum ſit & inane* = tamen, dictæ clauſulæ, quarum meminimus, idem important æquivalenter.

Quæres 3.° An ſi Epiſcopus duorum annorum Indulgentiam in Baſilicæ Dedicatione deſponderet, ſaltem quantum ad unum annum valida eſſet conceſſio?

Reſpondemus affirmative cum communiori Doctorum ſententia; eſt enim Indulgentiæ largitio quædam liberalitas, & donatio, quæ valet uſque ad legitimum modum *ex Reg. juris in 6.* = *Utile per inutile non vitiatur* = *L. Sancimus C. de donationib. cap. Si quis de Servo 12. q. 2. Archidiaconus c. 9. quæſt. 12.*, adeoque eum alias poſſit Epiſcopus partialem unius anni Indulgentiam in Baſilicarum Dedicatione concedere, de ejus valore dubitandum non eſt; quanquam Prælatus concedens, in tota conceſſione, limites ſuæ facultatis excederet.

Dices cum Gabriele in 4. *diſt. 45. qu. 3. artic. 2. pag.* 8. & Geminiano in *cap. ult. de Pœnit. & Remiſſ. in 6.* contrariam ſententiam propugnantibus. 1.° Prælatus amittit privilegium, quo abutitur, Privilegio autem abutitur, qui limites tributæ ſibi facultatis prætergreditur. 2.° Poteſtas concedendi Indulgentias in Epiſcopis, de qua loquitur Concilium Lateranenſe IV., eſt conditionata, videlicet, quod conceſſio ſtatutam non ſuperet quantitatem, ut *Cap. Noſtro de Pœnit. & Remiſſion.* = *Ita tamen ut ſtatutum Concilii generalis non excedat* = adeoque conditione non impletâ corruit actus, atque conceſſio nullitatis vitio laborat. 3.° tandem. Irrita eſt ſententia latâ ſine juriſdictione. Cum ergo hæc reperiri non valeat in conceſſione duorum annorum Indulgentiæ facta ab Epiſcopo, tota conceſſio erit invalida; nequit enim una eademque ſententia, partim eſſe valida, & partim invalida. Quod exemplo Judicis declaratur, qui potens damnare ad ſolvendum decem aureos duntaxat, ſi obligaret ad ſolutionem viginti, ſententia hæc lata nullum robur præſeferret: ut volunt Gloſſa, Bartholus aliique Doctores in *L. ult. ff. de Juriſd. Omn. Judic.* Ergo ſi Epiſcopus duorum annorum Indulgentiam concederet in Baſilicæ Dedicatione, neque quo-

ad

ad unum annum valida esset concessio.

Resp. locum hic non habere id, quod 1.° objicitur, quia potestas concedendi Indulgentias non competit Episcopis ex privilegio, sed ex jure ordinario; adeoque in casu proposito nequaquam amittitur. Addimus, verum non esse, abutentem privilegio illud actualiter amittere, sed solum id promereri, quia privilegiatus concessa sibi abuteretur facultate. *Cap. ubi dist.* 74. *cap. Privileg.* XI. *qu.* 3. *cap. licet de Regularibus*. Ad 2.^m satis constare, Concilium Lateranense non conferre Episcopis eam potestatem, sed antiquam limitare atque restringere: ac per consequens falsum esse, potestatem Episcoporum Indulgentias concedendi esse conditionatam. Neque textus ille ex *Cap. Nostro* probat oppositum, cum declaret duntaxat, similem Archiepiscoporum potestatem esse pariter restrictam, sicut expresse de Episcoporum potestate statuerat Concilium Lateranense IV. Ad 3.^m, non repugnare eandem sententiam ex parte validam esse, & ex parte nullam, sive hoc (ut hic notat Suarius) sit speciale in hoc foro, quod solemnitatem non servat fori contentiosi; vel quia, tunc verum est, unam eandemque sententiam esse non posse partim validam, partim invalidam, quando sententia non est divisibilis, aut quando tota causa, hoc ipso quod est circa majorem quantitatem, extra jurisdictionem judicantis constituitur.

Quæres 4.° An prædictum Concilii Lateranensis Statutum publicam & in foro exteriori duntaxat, vel etiam secretam & in foro Pœnitentiali concessionem complectatur?

Natalis Alexander in *Tom.* 5. *tract. de Indulg. cap.* 3. *Reg.* 4. tantum publicas Episcoporum concessiones comprehendere, putat, Concilium Lateranense, non vero secretas pro foro Pœnitentiali = *Sacris namque Canonibus*, inquit, *& summorum Pontificum Decretis modus præscriptus non est Episcopalibus Indulgentiis, nisi quæ publice ac solemni ritu in foro externo conceduntur, non autem iis, quæ in foro interno dispensantur* = Idem sentiunt Sylvester verbo *Indulgentia*, Innocentius citatus a Fagnano in *Cap. cum ex eo de Pœnit. & Remiss. n.* 17.

Nos vero respondemus, Decretum Concilii Lateranensis utranque concessionem comprehendere. Ita Suarius *D. sp.* 55. *sect.* 3. *num.* 15. Passerinus *quæst.* 85. *num.* 618. aliique: Concilium enim utitur ibi particulis negativis = *Non extendatur* = *Non excedat* = quas certum est, juxta Scholasticorum principia, esse malignantis naturæ: adeoque quamlibet Indulgentiam irritam reddere, excedentem limites statutos, sive publice sive secreto factam. Deinde ut bene differit Suarius *vel est sensus illorum Auctorum, Episcopos in foro Pœnitentiali, idest audiendo confessiones & Sacramentaliter judicando, posse largiores concedere Indulgentias. Et hic etiam sensus non magis probabilis est, quia Episcopi in illo foro non se gerunt proprie ut Episcopi, sed ut Sacerdotes habentes jurisdictionem illi foro proportionatam, ex vi cujus nulla potest Indulgentia concedi, ut infra dicam. Si vero simul uti velint jurisdictione Episcopali ad concedendas Indulgentias, jam formaliter non remittunt in foro Pœnitentiali, sed in proprio foro Indulgentiarum, quod dictum est: quod autem simul cum altero concomitanter, & secrete exerceatur, per accidens est, nec mutat naturam talis actionis, nec excludit illam a limitatione juris.* Ergo Concilii Lateranensis IV. Decretum tam publicam quam secretam Indulgentiarum concessionem complectitur.

Dices. Prædictum Decretum editum fuit propter abusus, qui in concessionibus Indulgentiarum in foro externo irrepserant. Ergo non prohibet earundem largitiones in foro Pœnitentiali faciendas.

Resp. causam hujusmodi prohibitionis fuisse, ne per largiores Indulgentias satisfactio pœnitentialis enervaretur = *Quia per indiscretas, & superfluas Indulgentias, quas quidam Ecclesiarum Prælati facere non verentur, & Claves Ecclesiæ contemnuntur, & pœnitentialis satisfactio enervatur* = Quod certe militat tam in concessionibus publicis fori exterioris, quam in secretis & fori Pœnitentialis.

Quæres 5.° An plures Episcopi extranei possint singuli valide quadragenam Indulgentiarum concedere eidem Ecclesiæ sitæ in alia Diœcesi, ejus tamen Episcopo approbante?

Paludanus in 4. *dist.* 20. *quæst.* 5. *n.* 43. id

id fieri posse arbitratur; quia Episcopus extraneus potest quadraginta dies Indulgentiarum dare Ecclesiæ alterius Diœcesis de licentia proprii Episcopi: adeoque pluribus extraneis Episcopis ita inter se convenientibus, dubium non erit de valore hujusmodi quadragenarum. Hac fortassis ductus ratione Bayl in *Summ. Concilior. tom. 2. in additionib.*, relatis Actis Concilii Vaurensis celebrati anno MCCCLXVIII. cunctas Indulgentiarum quadragenas a singulis Episcopis concessas iis, qui dicto Concilio interfuerunt, & cunctis Fidelibus, qui de suis facultatibus manus porrigerent adjutrices ad Ecclesiæ Vaurensis ædificium vel ornatum, validas extitisse putat.

Nos vero respondemus negative cum Suario *disp. 55. sect. 3. num. 6.* Passerino *quæst. cit. n. 619.* Nullus enim Episcopus per se ipsum uni Ecclesiæ potest concedere nisi quadraginta dies, excepto Dedicationis die ejusdem. Vel itaque Episcopi extranei Ecclesiæ sitæ in aliena Diœcesi Indulgentias desponderent Authoritate ordinaria, vel delegata. Primum admitti non potest; nullus quippe Episcopus extra suam Diœcesim potest ordinariæ jurisdictionis exercitio gaudere. Si secundum dicatur, sustineri nequit cunctas hujusmodi quadragenas subsistere, quia cum Episcopus delegans non possit unius quadragenæ limites excedere, nec pariter delegati id poterunt præstare. Ergo plures Episcopi extranei non possunt singuli valide quadragenam Indulgentiarum concedere eidem Ecclesiæ sitæ in alia Diœcesi, etiam ejus Episcopo approbante.

Quæres 6.° An, facta concessione ab Episcopo quadraginta dierum Indulgentiarum pro Ecclesiæ visitatione vel allo opere pio, possit valide ejus successor ob eandem causam aliam quadragenam adjicere?

Respondemus non posse, quia cum prima, ejusdem causæ intuitu supponatur concessa, secunda valorem & efficaciam non obtineret = *Hoc vetasse videtur Innocentius* III. (inquit Gavantus in *Thesaur. Sacror. Rit.*) *in Concilio Lateranensi relatus in Cap. Romana eodem titulo in 6.°, & ibidem Bonifacius* VIII. *in Cap. ult. ut recte advertit Sylvester. in Verbo Indulgentia quæsito 5. §. 6. his verbis: Si Episcopus dedit quadraginta dies Indulgentiæ, & successor ejus totidem, non valet utraque secundum Geminianum in Cap. fin. de pœnit. & Remiss. lib. 6. ex mente Joannis Andreæ Specul., quia per talem multiplicationem veniri posset contra Concilium in cap. eum ex eo supra allegato* = Accedit, quod, cum jussu Clementis IX. Sacræ Congregationis Indulgentiarum & Sacrarum Reliquiarum examini commissum fuisset statutum Archiepiscopi Terraconensis, in Provinciali Synodo editum, quo, Prædecessorum Archiepiscoporum constitutionibus confirmatis, quibus quadraginta Indulgentiarum dies certa pia opera explentibus concedebantur, alias quadragenas in singulis casibus antiquis concessionibus addiderat: eadem Sacra Congregatio sub die 20. Novembris ann. MDCLXVIII. censuit = *Moderandum esse Archiepiscopi statutum, delendum & corrigendum* = Ergo facta concessione ab Episcopo quadraginta dierum Indulgentiarum pro Ecclesiæ visitatione, vel alio opere pio, non potest valide ejus successor pro eadem Ecclesia aliam quadragenam adjicere.

ARTICULUS III.

An Concilium Generale gaudeat potestate concedendi Indulgentias.

DUBIUM de potestate Concilii generalis pro concedendis Indulgentiis propositum, corollarium videtur Controversiæ illius, quæ solet a Theologis excitari = *An Concilium generale ex se, independenter a Summo Pontifice, gaudeat potestate jurisdictionis: imo sit supra Papam?* = Verum non ex eo duximus id examini committere, sed ex concessione Indulgentiæ plenariæ facta a Concilio Basileensi *sess. 24.* celebrata die Sabbati, 4. Maii anno MCCCCXXXVI. semel in vita, & semel in mortis articulo, cunctis Christifidelibus utriusque sexus, qui ad sanctum opus unionis Græcorum tantum contribuerent, quantum quilibet hebdomadæ unius decursu pro sua, familiæque refectione expenderet: aliis præterea injunctis pietatis operibus; ut videre est in Bulla Indulgentiarum & remissionum omnium peccatorum in favorem subsidii procurandi pro reductione Græcorum in Italiam,

ſiam, quam dabimus in calce hujus Articuli, eo modo quo Summi Pontifices eam conſueverunt vel Romam euntibus tempore Jubilæi, vel Cruceſignatis ad Terræ Sanctæ receperationem confluentibus deſpondere. Cui conceſſioni reſtitiſſe Eugenium IV. per Cardinales S.Crucis,& S.Petri ad Vincula nuncupatos,ad Synodum miſſos: ac Baſileenſibus obtuliſſe, ſi convenire vellent cum eo de loco Concilii,daturum ipſum pro conductu Græcorum ſexaginta aureorum millia, quantam ſummam Indulgentiæ ab illis promulgatæ nunquam conficerent, teſtantur Acta Patriciana

Andreas Duallius, licet Doctor, ac Profeſſor Sorbonicus, in præfatione Libri *de Auctorit. Pap. & Concil.*, Synodum Baſileenſem criminatur, quod plenarias Indulgentias concedendi authoritatem ſibi arrogaverit; quarum largitionem, exiſtimat, uni competere Romano Pontifici = *Et quod*, inquit, *novam erroris circumſtantiam arguit, quæſtuoſæ fuerunt illæ Indulgentiæ, contra Lateranenſe, Lugdunenſe & Viennenſe Concilia; ſiquidem iis dumtaxat conceſſæ fuerunt, qui, quantum ſingulis ſeptimanis ſuſtentandæ familiæ impenderent, pro Orientalium ſubſidiis contribuerent* = Cui ſententiæ ſubſcribit Henricus Spondanus in *Annalib. Eccleſ.* ad annum MCCCCXXXVI.

E contra Natalis Alexander *Tom.8. hiſtor. Eccleſiaſt. diſſert. 8. art. 3. num. 53. & ſequentib.* prædictam Synodi Baſileenſis conceſſionem legitimam arbitratur, quia Indulgentias multo magis Eccleſia, quam Summus Pontifex poteſt concedere; cum Claves Regni Cœlorum & poteſtas ligandi atque ſolvendi D. Petro datæ non ſint duntaxat ut ſingulari, ac privatæ perſonæ, ſed ut repræſentanti Eccleſiam Univerſalem; quod ex pluribus D. Auguſtini authoritatibus nititur demonſtrare, ac potiſſimum ex *Lib. de doctr. Chriſtian. cap.8.* ubi S.Doctor inquit = *Chriſtus Claves dedit Eccleſiæ ſuæ, ut quæ ſolveret in terris, ſoluta eſſent in Cœlo; & quæ ligaret in terra, ligata eſſent in Cœlo* = *lib. de Agone Chriſti cap. 31.* = *Nec eos audiamus, qui negant Eccleſiam Dei omnia peccata poſſe dimittere: itaque miſeri, dum in Petro Petram non intelligunt, & nolunt credere datas Eccleſiæ Claves Regni Cœlorum, ipſi eas de manibus amiſerunt* = tandem *Enarrat. in Pſalm.* 108. = *Quædam dicuntur, quæ ad Apoſtolum Petrum pertinere videntur, nec tamen habent illuſtrem intellectum, niſi cum referuntur ad Eccleſiam, cujus ille agnoſcitur in figura geſtaſſe perſonam, propter Primatum, quem in diſcipulis habuit, ſicuti eſt: Tibi dabo Claves Regni Cœlorum* = Idem confirmat Natalis ex D. Fulgentio *Lib. de fide ad Petrum cap. 3. lib. 1.*, Beda in *cap. 19. S. Joannis*, Ambroſio Autperto *lib. 4. 5. & 7. in Apocalypſ.* Dungalo Diacono *lib. contra Claudium Taurinenſem*, Paſchaſio Radberto *lib. 8. in Matth.* = Addit inſuper, Scholaſticos, poſt Magiſtrum ſententiarum & S. Thomam, poteſtatem ſolvendi & ligandi Claves Eccleſiæ ſemper appellare, non vero Claves S. Petri, quia immediatius Eccleſiæ traditæ ſunt, quam D. Petro, illique fuiſſe commiſſas, ut gerenti perſonam Eccleſiæ; unde ligandi ſolvendique poteſtatem in Eccleſia tanquam in proximo ſubjecto reſidere (ut loquuntur Theologi Pariſienſes) in D. Petro ejuſque Succeſſoribus tanquam in ſubjecto remoto. Tandem, ut ab objecto Duallii crimine Indulgentias Baſileenſium vindicet, ſubdit = *Non quæſtuoſæ Indulgentiæ dici poſſunt, & venales, nec in Eccleſia novæ ſunt, & inuſitatæ, quæ eleemoſynam erogantibus, & ſubſidia conferentibus in uſus pios, cujuſmodi ſunt Eccleſiarum vel Noſocomiorum ædificationes aut inſtaurationes, captivorum liberationes, ſumtus ad bellum ſacrum contra Turcas aut Hæreticos, & alia hujuſmodi conceduntur; ut docent antiqua de canonicæ pœnitentiæ redemtionibus monimenta, & Diplomata Pontificum, ac Decreta Conciliorum de ſacris Expeditionibus. Cum igitur de tollendo Schiſmate, de unione Eccleſiæ Orientalis cum Occidentali procuranda ageretur, nec ad Concilium generale in Occidente celebrandum propriis ſumtibus venire, ac redire Orientales poſſent, Urbiſque Conſtantinopolitanæ munitioni ac ſecuritati, abſente Græcorum Imperatore providendum eſſet, ut ipſe Concilio præſentiam exhiberet ſuam, ad unionis negotium conficiendum: Eccleſia concedere potuit Indulgentias iis, qui eleemoſynas conferrent ad tam pios uſus, abſque ulla ſpecie aut ſuſ-*

suspicione nundinationis, *quæstus*, *ac venalitatis*. = His tamen non obstantibus

Conclusio sit. Concilium generale, accedente Summi Pontificis authoritate potest Indulgentias concedere; secus vero eo invito, vel tempore Schismatis, aut Sede vacante congregatum.

Prob. 1.ª pars. Concilium generale, accedente Summi Pontificis authoritate, eundem includit, qui potestate divinitus accepta potest Ecclesiastici Thesauri dona per se ipsum dispensare, aliisque dispensanda committere. Ergo Concilium generale, accedente Summi Pontificis authoritate, id potest præstare.

Prob. altera pars 1.° ex Constitutione *Unigenit. de Pænit. & Remissionib.* ubi definitur, Christum Ecclesiæ Thesaurum suis meritis comparasse, ejusque dispensationem D. Petro Cœli Clavigero ejusque Successoribus commisisse = *Thesaurum*, inquit Clemens VI. ibi *militanti Ecclesiæ acquisivit Christus*, *volens suis thesaurizare filiis pius Pater . . . . . . quem quidem Thesaurum non in Sudario repositum*, *non in agro absconditum*, *sed per Beatum Petrum Cœli Clavigerum*, *ejusque Successores suos in terris Vicarios commisit Fidelibus salubriter dispensandum: & propriis & rationabilibus causis*, *nunc pro totali*, *nunc pro partiali remissione pœnæ temporalis pro peccatis debitæ*, *tam generaliter*, *quam specialiter*, *prout cum Deo expedire cognoscerent*, *misericorditer applicandum* = Rursus Martinus V. Constitutione incipiente *Inter Cunctas* præcipit de Hussitica hæresi suspectum interrogari. = *An credat, quod Papa omnibus Christianis . . . . . possit concedere Indulgentias. . . . Et utrum credat quod singuli Episcopi suis subditis secundum limitationem sacrorum Canonum hujusmodi Indulgentias concedere possint* = Ergo ad Summum Pontificem & ad Episcopos duntaxat, non vero ad Concilium generale, circumscripta Summi Pontificis authoritate, spectat Indulgentias concedere.

Prob. 2.° Nequit alicui convenire potestas dispensandi Indulgentias, cui non convenit potestas Clavium. Hæc autem collata non est toti Ecclesiæ, seu ejus membris conjunctim acceptis. Tum quia D. Petro, & in ejus persona Romano Pontifici a Christo dicitur *Matth. 16.* = *Dico, tibi tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*: = & Apostolis, Episcoporum personas repræsentantibus, *Matth. 18.* = *Quæcunque alligaveritis super terram erunt ligata & in Cœlo & quæcunque solveritis super terram erunt soluta & in Cœlo.* Tum quia esto potestas Clavium Regni Cœlorum, seu ligandi atque solvendi Petro prout repræsentanti Ecclesiam universalem fuerit collata, tamen noluit Christus eam exerceri in ordine ad Sacramenta a toto Fidelium Cœtu, sed a personis ad ea munera obeunda specialiter deputatis. Ergo quanquam Christus, Thesaurum suorum meritorum divitiis constitutum, Ecclesiæ tradiderit, noluit tamen a Concilio, sed duntaxat ab Ecclesiæ Prælatis ad Fidelium utilitatem dispensari.

Hinc colliges 1.° Concilium Provinciale non gaudere potestate concedendi Indulgentias, quia, esto Episcopi in eo congregati possint singuli id præstare pro suis subditis, non tamen per modum unius corporis moralis.

Colliges 2.° Authoritates D. Augustini aliorumque Patrum & Theologorum a Natali supra congestas, quibus dicitur: = *Claves Regni Cœlorum Ecclesiæ fuisse collatas*, *seu Petro ut repræsentanti Ecclesiam* = nostram non evertere, imo potius firmare Conclusionem. In triplici enim sensu juxta Joannem de Turrecremata in *summa de Potest. Pap. Lib. 2. cap. 72.* id potest intelligi. Primo. Quod Clavium ministerium singulis Ecclesiæ membris conveniat: qui profecto falsus est, & erroneus, atque ab Ecclesia inter Waldensium errores eliminatus, qui volebant, singulos Fideles probatæ vitæ Claves obtinere, sive posse peccatores a culpis absolvere. Secundo. Quod universali Ecclesiæ in omnibus membris conjunctim sive simul acceptis Claves datæ sint: eo modo, quo dicitur de Principatu politico potestatem regiminis penes communitatem reperiri: & hic sensus est alienus a mente Patrum & Theologorum, tum quia nulla potestas valet alicui Universitati competere, ad quam magna pars illius est inhabilis. Porro cum Ecclesia (ut inquit Beda *in gloss. super Luc.* & Hugo de Sancto Victore *lib. de Sacramentis p. 2.*) duos ordines complectatur, Laicos & Clericos quasi duo latera corporis unius,

unius, major pars nempe Laicorum incapax est jurisdictionis Ecclesiasticæ. Tum quia, cum Ecclesiæ regimen Monarchicum sit institutum, quod tam a Philosopho 8. *Ethicor.*, quam a Theologis nobilius atque excellentius reputatur, nequit potestatis plenitudo penes totam Fidelium communitatem residere. Tertio. Quod universali Ecclesiæ datæ sint Claves, non tamen omnibus ejus membris, sed aliquibus duntaxat principalioribus: ita ut plenitudo potestatis jurisdictionis in capite ejus visibili reperiatur; qui quidem verus & catholicus est. Cæterum ex eo non sequitur, Concilium generale ex se potestatem concedendi Indulgentias aut Sede vacante aut tempore Schismatis congregatum obtinere, sed duntaxat Capiti Ecclesiæ visibili unitum, ejusque authoritate suffultum.

Colliges 3.° Indulgentias a Patribus Basileensibus concessas, stipem dantibus pro reductione Græcorum in Italiam, nullius valoris extitisse: idque clarius elucet, si illius concessionis intentatæ modum observes, ex libello Apologetico Eugenii IV. Cardinalium consilio ad Reges & Principes misso, recitato a Raynaldo ad ann.MCCCCXXXVI. sub numero 12.° ibi.= *Dum hæc sic aguntur, & fiunt, & dum expectant Legati ut ad singula in cedula eorum contenta suo ordine Patres illi respondeant, nullo primo dato responso, sed spreta oblatione omnino S.D.N. quam fecerat per medium Legatorum de dandis Indulgentiis plenariis in forma Ecclesiæ consueta, ut in cedula continentur, decreverunt in publica Congregatione Concilium, & sessionem demum tenere, in qua authoritate, qua funguntur, quæ in hac parte est nulla, Indulgentias plenarias publicarent. In qua conclusione de publicandis magna arte, ne dicamus circumventione, vel potius deceptione usi sunt quidam, quoniam in generali Congregatione, antequam Legatus concluderet, & compositum & præordinatum erat, petitum fuit ab eo: si erat Legatus & præsidens Apostolicus, & si sciebat se esse revocatum: & qua authoritate intendebat concludere super Indulgentiis dandis. Quibus omnibus Legatus respondit, antequam concluderet, notorium esse per bonæ memoriæ Dominum Martinum Papam V., eum primum missum fuisse ad partes Germaniæ Legatum, & ad celebrandam in Basilea Concilium, deinde quoad hæc omnia confirmatum fuisse per Dominum nostrum Eugenium Papam IV. nec sciebat, quod a præsidentia, aut legatione esset revocatus; & quod in facto indulgentiarum intendebat concludere tanquam Præsidens Apostolicus; de qua responsione rogati fuerunt Notarii Concilii, qui aderant, ita ut, quum Legatus conclusit, intelligerent cuncti, eum Apostolica authoritate conclusisse, illo modo plenarias Indulgentias esse dandas, in qua re (salva tamen tanti Patris reverentia) nullam habebat potestatem; nam per relationem Legatorum constabat ei de contraria voluntate S. D. N., & in actu illo, nomine præsidentiæ nihil poterat, cum haberet Collegas paris potestatis, nec esset præsidens in solidum, & nomine etiam legationis non poterat, quia non veniebat hoc ex tali potestate sibi concessa*. Tradunt insuper Acta Patriciana editum id Decretum a factiosis adversantibus Sedis Apostolicæ Legatis, ac decem tantum Episcopos, ac tredecim Abbates dictæ sessioni interfuisse; quod quidem in ea re, non Synodum Oecumenicam sed Fraticellorum conciliabulum referebat, quod universitate potestatis, vel multitudinis caruisse, quivis facile colliget.

Objicies 1.° contra secundam Conclusionis partem. Concilium generale independenter a Summi Pontificis authoritate, quibusdam circumstantiis occurrentibus, facultatem obtinet supra totam Ecclesiam in ordine ad regimen animarum,ac disciplinam;ut suadet decretum sessionis 4. Concilii Constantiensis= *Primo declarat,quod ipsa Synodus in Spiritu Sancto congregata legitime, generale Concilium faciens, Ecclesiam militantem repræsentans, potestatem a Christo immediate habet,cui quilibet cujusque status, dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti Schismatis, & reformationem generalem Ecclesiæ Dei in capite & in membris* = & confirmat decretum sessionis 5.= *Item declarat, quod quicunque cujuscunque conditionis, status, dignitatis, etiamsi Papalis, qui mandatis, aut præceptis hujus Sacræ Synodi, & cujuscunque alterius Concilii generalis legi-*

legitime congregati super præmissis, seu ad ea spectantibus factis, vel faciendis, obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condignæ pænitentiæ subjiciatur, & debite puniatur, etiam ad alia juris subsidia, si opus fuerit, recurrendo = Dici autem nequit cœtum Fidelium tam suprema authoritate decoratum, Indulgentias concedendi potestate destitui; ac per consequens dicendum est, posse Concilium independenter a Summi Pontificis authoritate Indulgentias facere.

Resp. 1.° cum Emmanuele a Schelestrate in *tract. de sens. & authorit. Decretor. Constantiensis session. dissert.* 1. *cap.* 1. in pluribus antiquissimis codicibus circa tempus dicti Concilii Constantiensis exaratis, ea verba Decreti sessionis quartæ & quintæ minime reperiri, sed addita atque assuta fuisse Basileensium arte, & industria. Cum enim, post electionem Felicis V. suffecti in locum Eugenii IV. animadvertissent dicti Patres, suam authoritatem contemni, atque in toto Orbe catholico diminui, ut factum, ubique reprobatum, justa occurrente causa, jurisque præsidio gestum demonstrarent, curarunt, ut Concilii Constantiensis Decreta denuo a duobus Cardinalibus, totidemque Episcopis, & Sacræ Theologiæ Doctoribus, nec non Archidiacono Zagabriensi specialiter deputatis compilarentur, illis verbis adjectis = *Potestatem a Christo immediate habet, cui quilibet cujusque status, dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem &c.* = Hinc factum est, ut exemplaria subinde prælo commissa prodierint, eam clausulam habentia de Concilii superioritate supra Papam. Unde minime probari potest tanta in Concilio authoritas, ut possit citra Romani Pontificis consensum Indulgentias Fidelibus despondere.

Resp. 2.° ex Cardinali Joanne a Turrecremata in *summa de Potest. Pap. cap.* 99. Decretum illud quartæ sessionis, non sub ea forma in Argumento nobis objecta, emanasse, sed sub ista = *Hæc Sancta Synodus Constantiensis generale Concilium faciens pro extirpatione præsentis Schismatis, & unione ac reformatione Ecclesiæ in Capite, & in membris fienda, declarat, quod ipsa in Spiritu Sancto congregata generale Concilium faciens, & Ecclesiam Catholicam militantem repræsentans, potestatem a Christo habet immediate, cui quilibet &c.* = adeoque Decretum laudatum non loqui generaliter de quocunque Concilio, sed de illo specialiter, pro cujus tempore non erat unus Pastor totius Ecclesiæ indubitatus: idemque pariter de alio quintæ sessionis decreto dicendum esse non ambigimus. Cæterum neque in casu Schismatis evincitur, Concilium potestatem Clavium obtinere.

Resp. 3.° eo tempore, quo duæ sessiones quarta & quinta agebantur, non fuisse reputatum pro Oecumenico Concilium Constantiense, cum ea Decreta a Patribus duntaxat, qui Joanni XXIII. obsequebantur, emanaverint, eademque Cardinales & Episcopi Gregorio & Benedicto adhærentes minime approbaverint. Rem narrat luculenter Cardinalis Turrecremata laudatus, testis omni exceptione major, qui eidem interfuit Concilio = *Secundo non militant* (inquit cap. cit.) *quæ inducantur de Concilio Constantiensi; quoniam, dato, quod tale decretum, sicut dicitur, per Adversarios ibi fuisset factum, non habet necessitatem: quoniam hoc, quod Adversarii præsupponunt, videlicet quod fuerit ab universali Concilio legitime congregato, & repræsentante Universalem Ecclesiam militantem, est valde dubium apud multos: imo plurimorum judicio, scilicet eorum, qui fuerunt de obedientia Gregorii, & Benedicti falsum; quoniam sicut apertissime patet ex gestis illius Congregationis, Decreta illa, si ita sint appellanda, facta sunt solum a Patribus aliquibus Obedientiæ Joannis XXIII. Pro quo notandum, quod Congregatio illa Constantiæ celebrata tria tempora habuit. Primum fuit, in quo sola obedientia Joannis Balthasar Constantiæ convenerat. Secundum tempus fuit, in quo Angelus Corarius, vocatus in obedientia sua Gregorius XII. juri suo cedens, præfatæ Congregationi sub certis modis & formis se conjunxit. Tertium tempus est, in quo Reges & Principes ac Prælati obedientes Petro de Luna, Benedicto XIII. vocato in obedientia sua, per per suos Oratores, nova facta convocatione Concilii, se unierunt præfatæ Congregationi, ad pacem dandam Universali Ecclesiæ: & fuimus nos tunc præsen-*

sentes in minoribus constituti; pro quo solo tempore, convenientibus omnibus simul tribus obedientiis, fuit certum dicere, quod universalis Ecclesia repræsentative congregata esset Constantiæ. Nullus autem dubitat, quin asserere, quod sola obedientia Joannis faceret Concilium, universalem Ecclesiam repræsentans, esset temerarium, & scandalosum aliis duabus Obedientiis. Et deinde *ea, quæ inducuntur de Decretis Concilii Constantiensis, non militant; quoniam auctoritati illius aliæ duæ obedientiæ, scilicet Gregorii & Benedicti apertissima contradictione in plena Congregatione se opposuerunt: & eorum contradictio fuit acceptata. Contradixit, ac reclamavit in primis Gregorius, ita in sua obedientia vocatus, qui verum se Romanum Pontificem asserens, & scribens, mittens, post præfatam declarationem factam ab illis de obedientia Joannis, Oratores suos ad Constantiam, committit eis Dominis, scilicet Cardinali Sancti Sixti, Joanni electo Patriarchæ Constantinopolitano, Archiepiscopo Treverensi, Comiti Palatino, Carolo de Malatesta, auctoritatem, Congregationem ipsam Constantiensem; inquantum per SerenitatemRegiam, & non per Balthassar, se nuncupari facientem, Joann. XXIII. vocatam, vice sua convocandi, & auctorizandi in Gener. Concil., remota tamen omnimode inde prædicti Balthassar præsidentia & præsentia ab eisdem &c. Verba sunt formalia Bullæ datæ auctoritatis præfatis Oratoribus, quæ inserta est in gestis præfati Concilii. Quod autem hæc verba, & gesta Domini Gregorii præfato Decreto contradicant, manifestum est. Contradixit præterea eidem Decreto obedientia Dominorum Regum, Prælatorum, & Principum, & Communitatum, qui Petro de Luna, Benedicto XIII. vocato tanquam vero Summo Pontifici universalis Ecclesiæ adhærebant* = Adde, decreta quartæ & quintæ sessionis dicti Concilii a Martino V., in eodem Concilio electo Summo Pontifice, non fuisse approbata. Cum enim quatuor ex Prothonotariis Apostolicis, omnium, quæ in prælaudato Concilio gesta fuerant, confirmationem expeterent, declaravit (ut habetur ex *Sess. 45.*) se omnia & singula determinata, conclusa, & directa in materiis fidei per Concilium Constantiense conciliariter tenere velle, ipsaque sic conciliariter facta approbare, & ratificare, & non aliter, nec alio modo.

Obicies 2.° Concilium generale, Sede vacante, aut tempore Schismatis, congregatum est repræsentative tota Ecclesia Catholica, cui profecto, ut loquitur Clemens VI. in *Extravag. Unigenitus de Pœnitentiis, & Remission.* = *Ipse*, nempe Christus, *Thesaurum militanti Ecclesiæ acquisivit, volens suis thesaurizare filiis pius Pater* = Cum ergo Ecclesiæ concedenda sit Potestas Thesaurum illum dispensandi, id generali Concilio non est denegandum.

Resp. Concilium generale tempore Schismatis congregatum esse repræsentative totam Ecclesiam, non quantum ad potestatem jurisdictionis, (cum illam repræsentet sine Capite, a quo fons Ecclesiasticæ jurisdictionis promanat) sed quantum ad potestatem judicii: quatenus duobus ac pluribus de Papatu contendentibus, potest cognoscere, atque discernere, cui jus canonicæ electionis assistat: dubiosque, si expedire judicaverit, deponere, aliumque rite & canonice electum constituere super Ecclesiæ candelabrum. Et hoc eidem ex Christi institutione concessum fuisse, evidentissima ratione deprehendi potest; ne videlicet Christus, Ecclesiam Sponsam suam penitus deseruisse, videatur = *Ecclesia enim* (inquit Bellarminus loquens de Concilio in hoc casu congregato) *sine dubio habet authoritatem providendi sibi de Capite, quamvis non possit sine Capite statuere de multis, de quibus potest cum Capite, ut recte docet Cajetanus in Opusculo de Potestate Papæ cap. 15. & 16.; & multo ante Presbyteri Romanæ Ecclesiæ in Epistola ad Cyprianum, quæ est septima lib. 3. in Operibus Cypriani* = Neque ex eo, quod Christus Thesaurum meritorum suorum Ecclesiæ comparaverit, infertur, toti Fidelium cœtui facultatem contulisse illum dispensandi, sed id tantum Ecclesiæ Prælatis ad hoc specialiter deputatis fuisse concessum.

Decretum Concilii Basileensis, quo conceduntur Indulgentiæ semel in vita, & semel in morte conferentibus subsidium pro reductione Græcorum in Italiam.

Sacrosancta generalis Synodus Basileensis in Spiritu Sancto legitime congregata, universalem Ecclesiam repræsentans, universis Christifidelibus salutem, & Omnipotentis Dei Benedictionem. Vox illa jucunditatis & lætitiæ ad Populum Israeliticum olim de Coelo lapsa, eadem nunc per os hujus sanctæ Synodi in auribus Populi Christiani insonans clamat: Consolamini consolamini popule meus, dicit Dominus Deus vester. Loquimini ad cor Hierusalem, & advocate eam, quoniam completa est malitia ejus, & dimissa est iniquitas illius. Merito lætari & consolari te debes plebs Christiana, cum his novissimis diebus, tanta lætitiæ causa offertur, quantam vix unquam experta es. Uno enim eodemque tempore plenariam omnium peccatorum veniam consequeris, & fratres tuos, quorum innumerabilis est multitudo, quingentis ferme annis a tuo consortio segregatos, tibi proxime reuniri speras. O quanta erit ista jubilatio! O quam suave cordibus Christianorum orietur gaudium, cum primum homines Deo, & ipsi inter se fraterna charitate conciliabuntur! Quas igitur Christo nostro pro hac duplici lætitia, qua nulla major desiderari potest, gratias agemus? Quis Domini misericordias ad plenum enarrabit, qui populum Christianum variis undique calamitatibus hoc tempore afflictum, tanta gaudii novitate consolatur? Ecce popule Dei, adest tibi annus Jubilæus, annus remissionis omnium peccatorum, annus generalis unionis Ecclesiæ. Proinde loquimini omnibus Christifidelibus, qui in sancta habitant Hierusalem peregrinante in terris ad cor eos consolando, & advocate eos ad hanc duplicem lætitiam, quoniam malitia tam diuturni Schismatis, quod innumerabilia Ecclesiæ Sanctæ Dei mala intulit, auxiliante Domino (ut confidimus) cito complebitur, & finem accipiet. Iniquitas quoque peccatorum, quæ hujus Schismatis, & iræ Dei causa fuit, Divina Clementia remittitur. Consurge igitur, consurge, induere fortitudine tua Sion, induere vestimentis gloriæ tuæ Hierusalem Civitas Sancta. Quam fortis & gloriosa eris tunc mater Ecclesia, cum omnes, qui Christum colunt, ab Occidente in Orientem eodem fidei & charitatis vinculo unitos conspicies? Ingemuisti hactenus nimio dolore afflicta, cum a sævissimis Turcis & Saracenis, aliisque Christiani nominis inimicis, innumeras patereris injurias, iacturas, persecutiones & opprobria, & nemo te consolari poterat. Cum passim videres filios tuos omnis sexus, ætatis,& dignitatis in servitutem trahi, & (quod servitute deterius est) plurimos ab uberibus tuis abstractos, ad impium Mahumeti cultum perduci. Harum autem calamitatum quid aliud, quam hoc diuturnum ac pestiferum Schisma causa extitit? Sed Divino munere appropinquat jam tempus, ut omni penitus extincto dissidio, unitas sancta fiat, quæ cum impleta fuerit, atque hi magni populi Occidentales & Orientales fraternum foedus simul inierint, nemo tunc fortitudini tuæ resistere poterit. Tunc abjectis lugubribus, consurges Regina Ecclesia in vestitu deaurato, circumdata varietate: & qui te olim persequentes conculcabant, procident coram te, & venient ad te, qui detrahebant tibi, & adorabunt vestigia pedum tuorum. O vos omnes, qui Christiano nomine censemini, expergiscimini jam talia audientes, plaudite manibus, & jubilate Christo salutari nostro: ecce enim nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis: ecce jam Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, visitat nos in abundantia gratiæ & felicitatis. Assurgite, & occurrite illi in humilitate spiritus, in orationibus, atque eleemosynarum largitate, ut qui pro peccatis nostris juste iratus, tandiu hoc Schisma durare passus est, & multis persecutionum flagellis, ab his qui intus, & ab his qui foris sunt, vos cædi permisit, nunc purgatis, & emendatis indulgens, sanctam inter vos unionem inspiret, unitisque non solum perdita restauret, sed & vobis vestros subjiciat inimicos. Audistis pridem solemnes Ambasiatores Serenissimi Imperatoris Græcorum & Patriarchæ Constantinopolitani, ab hac Sancta Synodo accersitos, Basileam advenisse, & tandem Deo propitio, conclusisse nobiscum modum hujus sanctæ unionis

nis perficiendæ, assensu Sanctissimi Domini Eugenii Papæ accedente, ut videlicet ad locum Synodi Universalis, tam nostri, quam sui Archiepiscopi & Episcopi, ipseque Imperator & Patriarcha Constantinopolitanus, aliique Orientalis Ecclesiæ Patriarchæ accedant. Ut autem tantum opus certius firmaretur, tres nostros Oratores postea Constantinopolim destinavimus, ut ab ipsis Imperatore & Patriarcha ratificationem eorum, quæ hic sui concluserant Ambasiatores, obtinerent. Quæ omnia ipsi Imperator & Patriarcha juxta nostri Decreti capitula, ratificarunt, & approbarunt, ac literas Latino Græcoque sermone scriptas, & eorum manibus subscriptas, bullisque aurea & plumbea munitas, per unum ex tribus nostris Oratoribus, ad nos nuper reversum, transmiserunt. Et cum ad ipsam Synodum propriis expensis, tam procul de partibus Orientalibus, Græci proficisci nequeant, opus fuit, ut expensas in veniendo standoque, & redeundo necessarias, & quasdam alias pro tuitione Civitatis Constantinopolitanæ, ne Imperatore absente, a Turcis forsitan expugnari posset, polliceremur. Et quanquam hujusmodi impensæ nonnullis graves viderentur, nos tamen animadvertentes, quantus Dei honor & profectus Ecclesiæ, quanta exaltatio fidei orthodoxæ, quantum incrementum nominis Christiani, quot millium animarum salus, quantaque utilitas, & innumerabilia bona populo Christiano hinc forent proventura, non solum ipsas impensas, sed & personas proprias fore exponendas, dignum esse judicavimus; spem ponentes in Domino, cujus negotium agitur, & in charitate, ac devotione Fidelium, qui dum talia intellexerint, subsidiis, & auxiliis opportunis non deerunt. Si Christus Deus noster sanguinem suum toto pretiosiorem Mundo pro nostra redemtione effudit: si ejus vestigia secuti Apostoli atque alii Sancti viri, pro salute proximorum & incremento fidei corpora sua libenter morti objecerunt: quid nos facere oportet, a quibus nonnisi caduca hujus Mundi substantia efflagitatur? Si Reges & Principes pro recuperandis expugnandisque Civitatibus & Oppidis multo ampliorem summam exponere soliti sunt: si denique pro augendis facultatibus & vanitatibus sæculi se & sua multis periculis homines subjiciunt, & ut exemplo utamur Salvatoris, quærens aliquis pretiosam Margaritam, cum invenerit ipsam, vendit omnia bona sua & emit illam: nonne Ecclesia Dei & universus populus Christianus facere hanc impensam poterit & debebit, ex qua nihil terrenum, nihil caducum, sed omnia, quæ supra memoravimus, bona succedent? Si una duntaxat anima Christo carior est, quam totum mundi aurum, nos ubi millia millium salvanda sunt, avari aut negligentes videbimur? Consuevit aliquando Ecclesia ad liberandum de manibus Infidelium Terram Sanctam, seu pro debellandis Hæreticis indicere generale Passagium, convocareque Reges & Principes & alios bellatores ut armis ita peragerent; nec non & pro aliis justis causis ab omnibus Christianis subsidium postulare, ad quæ, ut promptiores efficerent donis spiritualibus plenarie remissionis peccatorum invitavit. Profecto si veterum revolvantur historiæ, nulla unquam affuit causa justior, quam ista est, nec pro qua Christicolæ omnes se, & sua libentius exponere deberent. Hic enim non solum ad recuperandam terram intenditur, sed etiam millia millium animarum, pro quibus mediocre subsidium petitur, unde impensæ Græcis promissæ, sine quibus tam sanctum opus perfici nequit, inveniri possint. Quis igitur pro tanto universæ Ecclesiæ bono, proque tanto animæ suæ merito portiunculam rerum suarum, quas dono Dei obtinet denegare audebit. O felicem & pretiosam eleemosynam, quæ Regnum Cœlorum promerebitur, & quæ Sanctam fidei catholicæ utilitatem dabit. O beatum illum hominem, quem Dominus ad tam sanctum opus inspiraverit. Hunc quidem (sicut scriptum est) in die mala liberabit Dominus. Licet autem ex debito Christianæ professionis quisque ad hoc sanctum negotium pro viribus contribuere, ac subvenire obnoxius sit, nihilominus, ut eo libentius omnes faciant, quo se hic & in futuro sæculo per amplius remunerandos fore intellexerint; decrevit hæc Sancta Synodus universam Ecclesiam repræsentans Sponsam Christi, affluenter aperire spirituales Thesauros, quos ipse Salvator ascendens in Cœlum sibi reliquit. Omnibus igitur Christifidelibus utriusque sexus, qui ad sanctum opus hoc tantum contribuerint, quantum quisque una integra hebdomada pro

suæ

suæ personæ ac familiæ, si eam habuerit, refectione, exponit, vel si de propriis viveret, exponeret: Religiosis, pro quibus quoque suus conventus aut superior, vel juxta prædictam rationem erogaverit, omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti & ore confessi fuerint, Authoritate omnipotentis Dei & de ejus misericordia confisi illam plenariam remissionem impertitur semel in vita, & semel in mortis articulo, quam Ecclesia concedere solet omnibus euntibus Romam tempore S. Jubilæi, vel Cruce signatis ad recuperationem Terræ Sanctæ tempore Passagii generalis, & in retributione justorum salutis æternæ pollicetur augmentum. Ita tamen, quod per annum integrum (si vixerit) singulis sextis feriis, impedimento cessante, aut si dictis feriis sextis ex præcepto Ecclesiæ, regulari observantia, injuncta pœnitentia, voto, vel alias jejunare teneantur, una alia die singularum septimanarum ejusdem anni, qua ad jejunandum non sint adstricti, jejunent, aut ad judicium sui Confessoris in alia pietatis opera commutent. Ac etiam eadem die, qua jejunabunt, vel (ut præmittitur) jejunare deberent, si sint Clerici septem Psalmos vel Missam: si Laici, septem Pater noster, & septies Ave Maria, dicere sint adstricti, vel alia pietatis opera judicio sui Confessoris agant. Quod si conventus tales sint, qui nihil in communi possideant, vel aliæ personæ victum vera mendicitate quærentes, seu alias contribuere non valentes, ne hujus spiritualis muneris sint expertes, si ultra jejunium (ut prædicitur) observandum singulis diebus unius anni, prædictos Psalmos & Missas, si Clerici: si Laici, prædictas orationes, cessante legitimo impedimento, eo modo quo supra exprimitur, supplendo, dixerint, vel alia pietatis opera sui Confessoris judicio (ut præmittitur) exercuerint, ac pro felici hujus negotii consummatione Deum suppliciter exoraverint, eandem plenariam remissionem consequantur. Erogantibus autem ad idem opus, quantum una die pro se suæ quæ familiæ expensis expenderent, vel si de propriis viverent exponerent, septem annos & totidem quadragenas de injunctis sibi pœnitentiis elargitur. Et ut hi omnes ad hujusmodi Indulgentiæ gratiam aptiores existant, omnibus Sacerdotibus Sæcularibus & Regularibus, alias discretis, quos in Confessores pro hujusmodi consequenda Indulgentia elegerint, indulget, ut confessionibus eorum auditis, a quacunque excommunicationis, suspensionis & interdicti sententia, a jure vel constitutione, seu etiam non nominatim sed generaliter ab homine lata, & a quibuscunque aliis, propter quæ etiam Sedes Apostolica merito esset consulenda, imposita satisfactione & restitutione iis, quorum interest, facienda, salutarem injungant pœnitentiam, & debitæ absolutionis, in foro pœnitentiali dumtaxat, in forma Ecclesiæ, beneficium impendant. Quam satisfactionem ac restitutionem, si infra terminum a Confessore statutum facere neglexerint, hujusmodi Indulgentia in nullo suffragetur. At cum Clericis super irregularitate occulta, alias quam ex bigamiæ, vel homicidii volontaria causa contracta, dispensent. Super votis verò peregrinationis seu abstinentiæ aut aliis similibus, quæ ipsi Fideles emiserint, etiam si ultramarina, aut alia loca, seu Limina Sanctorum Petri & Pauli, ac Jacobi Apostolorum visitare voverint, seu alias non impletis, dispensandi eisdem Confessoribus etiam facultatem concedit: ita tamen, quod ipsi cum quibus taliter dispensari contigerit, expensas, quas ad Loca hujusmodi, vel pro aliis votis implendis, juxta ipsorum Confessorum taxationem, fecissent, ad hanc causam contribuant. Et ut nulla cuiquam peccati rubigo remaneat, vult & indulget hæc Sancta Synodus, ut quicunque ex usurario vel non debito quæstu, seu qualitercunque illicite aut indebite aliquid percepisset, seu bona ablata aut quævis incerta possideat, si non extent, vel ignorentur personæ, quibus facienda esset restitutio, aut res quascunque tenentes, cujuscunque status, aut regionis existant, in quorum detensione conscientiæ eorum gravantur, vel quæ de jure ad pias causas per Ecclesiam deberent exponi hujusmodi res & bona, seu valorem, nec non & qui arma vel alia prohibita Infidelibus seu Hæreticis portaverint, lucrum, quod inde perceperunt, ad hoc opus juxta suam, & sui Confessoris conscientiam & æstimationem, tradere teneatur. Jubet insuper eadem Sancta Synodus, ut habita hujus Decreti notitia, omnes Diœcesani in Cathedralibus, Collegiatis, & parochialibus,

libus, in quibus eis visum fuerit, ac etiam Generales Ordinum mendicantium in conventualibus Ecclesiis eis subjectis, mox disponant; quatenus verbum Dei per Prædicatores idoneos ad populum annuncietur, prædictas Indulgentias publicando, & fideliter exhortando ad subsidium in tam piissima causa impendendum, quibus Prædicatoribus & Prædicationem audientibus, ac etiam omnibus aliis, qui circa prædictam æstimationem, subsidium aliquod vel auxilium in hac re dederint, centum dies de injunctis pœnitentiis,singulis vicibus in forma Ecclesiæ relaxat. Ne autem in colligendis, ac conservandis pecuniis fraus aliqua committatur, ordinat Sancta Synodus, quod in qualibet Cathedrali in Civitatibus, in oppidis vero & aliis locis in principali Ecclesia unus cippus, truncus vel capsa ponatur, ubi tanquam in gazophilacio Domini, quilibet pecunias erogandas, ac incerta, & ablata seu illicite quæsita reponere possit & debeat: cujus sint tres claves, quarum unam teneat Episcopus, vel cui voluerit ipse committere pro quolibet trunco in omnibus locis Civitatis & Diœcesis, Capitulum aliam in Cathedrali, Prælatus seu rector in principali, tertiam timoratus aliquis vir, quem Civitas, oppidum seu locus deputare voluerit, qui diebus per eos statuendis, talem ipsum truncum vel capsam coram Notario, vel duabus fide dignis aperiant personis, & pecunias ad fidas manus deponant, eas sine fraude, diminutione vel contractione illi vel illis assignaturi, quas hæc Sancta Synodus ad hoc deputaverit. Quod si in campestribus locis vel alibi periculum seu detrimentum in conservatione pecuniarum, per modum superius expressum, verisimiliter timeretur, Diœcesani vel ad colligendum hujusmodi pecunias ab hoc Concilio deputandi (prout magis expediens visum fuerit) utiliter provideant. Quicunque autem etiamsi Pontificali aut Papali præfulgeat dignitate, fraudem, furtum sive rapinam circa prædictas pecunias, seu impedimentum ex proposito & malitiose in hoc sanctissimo opere fecerit, ultra indignationem Omnipotentis Dei & reatum supremi sacrilegii,sententiam Excommunicationis incurrat, a qua,nisi prius plenaria facta restitutione, & impedimento sublato, absolvi non possit. Vult autem hæc Sancta Synodus, quod elapso biennio a die præsentis Decreti, prædictæ Indulgentiæ ac facultates nemini concedi valeant, præterquam in mortis articulo, quoad illos qui infra biennium (ut supra dictum est) contribuerint. Quodquæ personis illis, quæ sub spe hujus gratiæ & Indulgentiæ aliquid commiserint,in nullo hujusmodi gratia & specialis concessio suffragetur. Et quia difficile foret præsentes Literas singulis exhibere, decernit hæc Sancta Synodus, ut earum transumto, manu publica, authoritate Archiepiscopi in tota Provincia, & Ordinarii in sua Diœcesi, proprio sigillo munito, tanquam Literis originalibus plena fides in omnibus adhibeatur. Datum in Sessione publica hujus Sanctæ Synodi solemniter celebrata in majori Ecclesia Basileensi decimo octavo Calendas Maii, anno a Nativitate Domini millesimo quadringentesimo trigesimo sexto.

ARTICULUS IV.

An Capitulum vel ejus Vicarius Sede vacante possit Indulgentias concedere.

Mirum non est dubium hoc sub disjunctione proponi, quia licet spectato jure communi, non teneatur Capitulum Sede vacante Vicarium constituere, sed possit per se ipsum jurisdictionem ad se devolutam exercere. *Argum. Cap. Si Episcopus de supplenda negligentia Prælatorum in 6.°* de jure tamen novo debet Vicarium idoneum infra octo dies a morte Episcopi deputare, vel jam existentem confirmare; alias ea deputatio ad Metropolitanum devolvitur = *Capitulum Sede vacante* (decernit Tridentinum *seß. 24. cap. 16. de Reformatione*) = *Officialem, vel Vicarium infra octo dies post mortem Episcopi constituere, vel existentem confirmare omnino teneatur, qui saltem in jure Canonico sit Doctor, vel Licentiatus, vel alias quantum fieri potest idoneus. Si secus factum fuerit ad Metropolitanum deputatio hujusmodi devolvatur.*

Potestatem dandi Indulgentias habere Capitulum propugnant Bologninus *de Indulgent. num.* 40. Sylvius verbo *Capitulum*

*lum num.*10. Maranta in *Medulla Decreti*. Sed hæc sententia nobis non arridet, unde

Conclusio sit. Capitulum vel ejus Vicarius, Sede vacante, non potest Indulgentias concedere. Ita Palaus in *Tr.* 24. *punct.* 6. *nu.* 2. Granado, Henriquez, Calderinus in *Cap. Nostro de Pœnit. & Remissionib.* Suarius *in* 3. *par. tom.* 4. *disp.* 55. *sect.* 4. *n.*5. Bonacinna apud Passerinum *quæst.* 86. *num.*631.

Prob. Capitulum Sede vacante, vel ejus Vicarius succedit Episcopo in jurisdictione necessaria ad Ecclesiæ regimen, non autem in voluntaria; est enim necessarius, & non voluntarius administrator, ut habetur ex *Glosia in Clement.* 1. *in* verbo *Capituli de Hæretic.*: & a fortiori in iis quæ sapiunt gratiam juxta *Glosi. in Cap.* 1.° *Verbo Præsentatos de Institut. lib.* 6. Porro concedere Indulgentias, non pertinet ad jurisdictionem Episcopo necessariam ad gubernium Ecclesiæ, sed sapit gratiam. Non ergo Sede vacante, Capitulo vel ejus Vicario convenit posse Indulgentias Christifidelibus elargiri.

Objicies. Non fuisset specialiter provisum bono particularium Diœcesum, si, Sede vacante per obitum Episcopi, non posset fieri Thesauri Ecclesiæ per Indulgentiarum concessiones dispensatio; oporteret enim illarum Diœcesum Fideles Indulgentias percepturos vel Romam, vel ad alias Diœceses migrare. Ergo Sede vacante, Capitulo vel ejus Vicario competit Indulgentias concedere.

Resp. non probari, quod bono particularium Diœcesum non fuisset provisum, supposita veritate nostræ Conclusionis. Tum quia dictum tempus breve est, ac proinde tanta non urgeret necessitas, ut eo durante, deberet spirituale illud beneficium conferri, quod fortasse viventibus Episcopis concederetur. Tum quia aliæ vigerent hujusmodi concessiones, vel Summorum Pontificum, vel Episcoporum, qui objerunt.

ARTICULUS V.

An Prælati Episcopo inferiores gaudeant potestate concedendi Indulgentias.

PRÆLATI Episcopo inferiores intelliguntur 1.° Abbates, ut constat *ex Cap. Decernimus de Judiciis* ibi = *sed Episcopi Abbates Archiepiscopi, & alii Ecclesiarum Prælati, sive Seculares, qui Clericos & Laicos habent subjectos, in quos jurisdictionem quasi Episcopalem exercent: sive Regulares, qui Monachorum regimini præficiuntur,* = & etiam ex ratione, quia authoritas ad illud munus obeundum eis competit ratione officii & dignitatis, & consuetudinis immemorabilis, habent enim pastorale munus Sedis Apostolicæ authoritate institutum. Ubi autem hoc reperitur, jurisdictionem in subditos dari, compertum est, uti docent Panormitanus *Cap. Cum Ecclesiar. de Officio. Ordinarii*. Bartholus L. *Ambitiosæ num.* 34. 55. *de Decret. ab Ordinario faciend.*

Alii pariter 2.° intelligi possunt, ut Generales, Provinciales, Priores, Præpositi, Guardiani, aliique Superiores Regulares quocunque alio titulo decorati, uti de Superioribus Ordinum Mendicantium, habetur ex *Glosi. in Cap. Nullus*, verbo *Prælatura* & alia *Glosi. in Clem.*1. in verbo *Prælatum eod. tit.* in quibus dicitur, quod Guardiani Fratrum Minorum, & Priores Ordinum Mendicantium dicuntur obtinere prælaturam, & dignitatem. Imo Prædicti Superiores tam Mendicantium Ordinum, quam non Mendicantium, quoad potestatem jurisdictionis, quam obtinent supra subditos, juxta tradita per Tamburinum *Tract. de Jure Abbat. disp. seq. c.* 8. *num.* 3. veniunt nomine Abbatum, & colligitur *ex Cap. Cum olim de præbendis & dignitatib.* ubi Gregorius IX. Priori Conventus Ordinis Prædicatorum delegat causam ibi contentam. Delegatus autem Summi Pontificis debet esse in Ecclesiastica dignitate constitutus *Cap. statutum de Rescript. in* 6.° Quanquam aliter dicendum sit quoad ea, quæ spectant ad potestatem Ordinis & dignitatis Episcopalis ab Abbatibus partici-

pa-

patam, siquidem neque Mitra neque Baculo Pastorali, aliisque Pontificalibus Infulis uti valent: ac per consequens nec Ordines conferre, vel alia munera obire, quæ sine hujusmodi insigniis nequeunt exerceri. Insuper neque in Synodis aut Conciliis gaudent voto consultivo, aut in functionibus tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus adhibentur, sicut Abbates.

Cæterum, cum Abbates aliique Superiores Regulares gaudeant jurisdictione supra personas sibi subjectas, revocatur in dubium: an ea possit ad concessionem Indulgentiarum se extendere?

Michael Medina *Disp. 6. cap. 29.* affirmat, Abbates, Generales ac Provinciales Ordinum Regularium gaudere potestate dandi Indulgentias suis subditis; quem dicendi modum amplectitur Rodericus in *Quæstionib. Regularib. & Canonicis to. 2. qu. 86. artic. 1.°*, idque exponit his verbis = *Dico, quod loquendo de Prælatis Religionum habentibus jurisdictionem Episcopalem, quales sunt Generales & Provinciales, eos habere authoritatem ordinariam jure Divino concessam, ad largiendas Indulgentias; licet enim Corduba teneat partem negativam, partem tamen affirmativam tenet Michael de Medina, & ut probabilissimam amplectitur, a qua sententia, cum sit pia, nolo recedere; eo præsertim, quod in Religionum tutelam ac patrocinium excogitata sit* = Nec obstare suæ assertioni, contendit Rodericus, consuetudinis defectum; subdit enim = *Consuetudinem usum tollere, non tamen jus utendi: adeoque si isti Prælati Episcopo inferiores Indulgentias attentarent, procul dubio in suo robore subsisterent.*

Conclusio. Prælati Episcopo inferiores non possunt de jure communi Indulgentias suis subditis concedere. Ita D. Th. *in 4. dist. 20. art. 4. qu. 1.*[a] D Bonaventura *ead. dist. art. 1. qu. 3.*[a] Suarius *to. 4. in 3. part. D. Thom. Disput. 55. sect. 4. nu. 1.°* Passerin. *qu. 86. num. 630.*

Prob. 1.° ex Capite *Accedentibus de excesib. Prælator.*, in quo Innocentius III. nonnullos Abbates reprehendit, qui hujusmodi potestatem Episcopis propriam sibi arrogare non dubitaverant. Ergo eis non convenit suis subditis Indulgentias elargiri.

Dices cum Roderico = Ibi *reprehenduntur Abbates, dantes Indulgentias, non quidem exemti Regulares, sed Abbates subditi Episcopis: cognoscentes insuper de causis matrimonialibus, & beneficiariis; & si erant Abbates exemti (quod ego non admitto) erant quidam Præfecti locales, non habentes jurisdictionem quasi Episcopalem: reprehenduntur, quia concedebant Indulgentias non solum suis subditis, sed etiam Sæcularibus, & Religiosis sub aliorum jurisdictione militantibus* = His addit Medina, eos duntaxat Abbates reprehendi, qui non servabant legem a Concilio Lateranensi IV. statutam.

Respondemus, in supralaudato Capite prohiberi, Indulgentias fieri per Abbates, ut Episcopali consuleretur dignitati. Quæ ratio militat pro quibuslibet Prælatis, sive sæcularibus Episcopo subjectis, sive Regularibus ab Episcopali jurisdictione exemtis: quamobrem prohiberi ibi, non immerito contendimus, Indulgentias factas juxta limites Concilii Lateranensis; alias redargui non deberent Abbates ab Innocentio Pontifice, eo quod suis finibus non contenti, ad ea, quæ erant propria dignitatis Episcopalis, manus extenderent = *Accedentibus* (inquit Innocentius ubi supra) *ad nos, de diversis Mundi partibus, Episcoporum querelis, intelleximus graves & grandes quorundam Abbatum excessus, qui suis finibus non contenti, manus ad ea, quæ sunt Episcopalis dignitatis, extendunt: de causis matrimonialibus cognoscendo: injungendo publicas pœnitentias: concedendo etiam Indulgentiarum literas: & similia præsumendo; unde contingit interdum, quod vilescit Episcopalis authoritas apud multos. Volentes igitur in his, & Episcoporum dignitati, & Abbatum providere saluti, præsenti decreto firmiter prohibemus, ne quis Abbatum ad talia se præsumat extendere, si proprium voluerit periculum evitare; nisi forsan quisquam eorum speciali concessione, vel alia legitima causa super hujusmodi valeat se tueri.*

Prob. 2.° Illis competit de jure ordinario potestas concedendi Indulgentias, ad quos tanquam ad Ecclesiarum Pastores pertinet gubernium Ecclesiarum, inito, inter eosdem & Ecclesias, spirituali conjugio.

 Por-

Porro Prælati Episcopo inferiores non sunt Sponsi Ecclesiarum, nec earundem regimen obtinent, sed duntaxat particularium Congregationum, vel potius familiarum. Non possunt ergo Indulgentias concedere. Quam rationem expendit D. Thomas in 4. *dist.* 20. *art.* 4. *qu.* 1.ª his verbis = *Solus ille, qui præficitur Ecclesiæ, potest Indulgentias elargiri. Sed cum Ecclesia sit Congregatio Fidelium. Congregatio autem hominum sit duplex, scilicet OEconomica, ut illi qui sunt de una familia: & Politica, sicut illi, qui sunt de uno Populo. Ecclesia similatur Congregationi Politicæ, quia ipse Populus Ecclesia dicitur, sed Conventus diversi, vel Parochiæ in una Diœcesi similantur Congregationi in diversis familiis, vel in diversis officiis; & ideo solus Episcopus proprie Prælatus Ecclesiæ dicitur ... & ideo solus ipse habet plenam potestatem in dispensatione Sacramentorum, & jurisdictionem in foro causarum, quasi persona publica; alii autem secundum quod eis committitur. Sed Sacerdotes, qui plebibus præficiuntur, non sunt simpliciter Prælati, sed quasi Coadiutores, unde in Consecratione Sacerdotum Episcopus dicit: Quanto fragiliores sumus, tanto magis his auxiliis indigemus; & propter hoc non omnia Sacramenta dispensant; unde Sacerdotes Parochiales, vel Abbates, aut alii hujusmodi Prælati non possunt hujusmodi Indulgentias dare* = Item docet D. Bonaventura *in* 4. *dist.* 20. *par.* 2.ª *art.* 1. *qu.* 3. concluditque = *Concedendum igitur est, quod Indulgentias facere, non tantum non conceditur Laicis, sed etiam nec Sacerdotibus, nec Prælatis inferioribus, ut Abbatibus, vel Prioribus* = Ergo Prælati Episcopo inferiores non possunt de jure communi suis subditis Indulgentias concedere.

Infertur ex dictis, Vicarios Generales Episcoporum non gaudere jure ordinario potestate concedendi Indulgentias: idque communiter a Doctoribus recipitur, quia etsi Vicarii Generales prædicti potestatem non delegatam, sed ordinariam obtineant a jure, ac ratione officii, nec diversam ab ea, quam habent Episcopi, cum quibus unum idemque tribunal constituunt, non tamen habent jurisdictionem Episcopis collatam, ratione eximiæ dignitatis Pastoralis supra Fideles, non quidem necessariam aut contentiosam, sed mere voluntariam.

Objicies 1.° contra Conclusionem. Prælati Episcopo inferiores gaudent jurisdictione quasi Episcopali: ideoque possunt suos subditos excommunicatione, aut suspensione ad meliorem frugem revocare, atque ubi expedierit, eosdem hujusmodi vinculis irretitos absolvere. Si ergo tanta pollent jurisdictione, nequit assignari ratio, quare debeant Indulgentias faciendi potestate destitui.

Resp. ex quo hujusmodi Prælati possint absolvere a censuris, eisque subditos contumaces percellere, non inferri, posse eisdem Indulgentias elargiri = *Minus est* (ait D.Thomas in 4. *dist.* 20. *art.* 3. *in arg. sed contra*) = *excommunicare, quam Indulgentias dare.*

Objicies 2.° Prælati Regulares cujuslibet Congregationis possunt bona opera subditorum extraneis communicare, seu alias personas ad participationem fructuum spiritualium eorundem admittere, ut docet D. Thomas in 4. *dist.* 20. *art.* 4. *quest.* 1.ª = *Ille, qui Congregationi præest*, inquit, *potest opera illa communicare, applicando intentionem illorum, qui sunt de Congregatione sua* = & habetur ex Yvone Carnotensi, Anselmo aliisque Patribus, qui hujusmodi suffragia benefactoribus applicarunt, ut quorum temporalia, juxta doctrinam Apostoli 2. *ad Corinth.* 8., metebant, eisdem spiritualibus operibus retribuerent. Quæ specialiter prodesse iis, quibus applicantur, habetur ex Concilio Constantiensi reprobante hanc Wicleffi propositionem = *Speciales orationes applicatæ uni personæ per Prælatos vel Religiosos, non plus prosunt eidem, quam generales cæteris paribus* = Has autem applicare, est quoddam genus Indulgentiarum impertiri; vel saltem a pari probare videtur, potestatem in iisdem Prælatis Indulgentias concedendi.

Resp. Prælatos Regulares ad participationem bonorum spiritualium suorum subditorum exteras personas posse recipere, citra dispensationem Thesauri meritorum Christi & Sanctorum, authoritate communi naturali, quam quilibet obtinet in bona vel sua, vel eorum, qui sibi commissi sunt; etenim sicut Religiosi in particulari possunt cui-

cuilibet proprias orationes, atque satisfactiones applicare, ita Prælati Regulares illas possunt exteris personis communicare, etiam subditis specialiter non applicantibus. Hoc autem est suffragia pro aliis offerre, non vero Indulgentias concedere = *Dicendum est* (inquit Suarius *Disp.55.sect.5. num.2.*) *quidquid in hoc genere Prælati Religiosorum aut possint, aut faciant, solum esse suffragiorum oblationes, seu donationes, non vero esse Indulgentiarum concessiones .... nam hæc duo diversa esse, manifestum est; nam quælibet persona privata potest offerre suffragium pro alio ex suis operibus: Indulgentiam autem concedere non potest, etiam per modum suffragii, ut ex supradictis constat, & ex communi sensu Ecclesiæ. Alias posset unusquisque sua auctoritate Indulgentiam aliquam pro Defunctis concedere; quod est absurdum, & erroneum* =.

Ad majorem hujus rei explicationem nota cum laudato Doctore, quædam suffragia esse oblata per modum impetrationis, aut meriti de congruo: alia per modum satisfactionis & solutionis. Ea, quæ primi generis sunt, manifestissime ab Indulgentiis differunt, siquidem pœnas temporales in foro Dei debitas pro culpis immediate non remittunt, ut præstant Indulgentiæ. Secundi generis, aliqualem important cum Indulgentiis convenientiam, quatenus utrisque pœnæ temporalis solvendæ compensatio exhibetur, in pluribus tamen distinguuntur. Primo, quia Prælatus Regularis in iis nullo modo utitur Clavium potestate, neque ullam tribuit absolutionem, aut relaxationem, ut fit in Indulgentiarum concessionibus, sed simplicem solutionem duntaxat; quod est conforme ordinariæ legi obliganti hominem ad debitam satisfactionum, pro debito pœnæ ex peccato relictæ, vel per se vel per alium exhibendam. Indulgentiæ a lege ordinaria exorbitant, & quandam in jure Divino dispensationem includunt: ideoque nullum ad eas faciendas humanum jus est sufficiens, sed necesse fuit relinqui a Christo potestatem ad eas concedendas. Secundo, quia in Indulgentiis Christi merita Sanctorumque satisfactiones per potestatem super Ecclesiæ Thesaurum donantur; in communicationibus vero suffragiorum, etiam per modum solutionis, fit dispensatio duntaxat de spiritualibus bonis particularis congregationis, ex authoritate communi & naturali in sua bona, aut sibi commissa, non vero per potestatem Clavium merita Christi & Sanctorum ex Ecclesiæ Thesauro dispensantur. Tertio, quod hujusmodi bona spiritualia non debent esse jam facta, sed præsentia, vel in futurum facienda: per Indulgentias vero, non futuræ, sed præstitæ Christi Sanctorumque satisfactiones applicantur.

Objicies 3.° Non videtur conveniens, degentes sub jurisdictione Abbatum habentium territorium separatum, & quasi Diœcesim, deterioris esse conditionis quam sint illi, qui Episcopis subduntur. Porro si Indulgentias concedendi potestas in Abbatibus minime reperiretur, eorum subditi deterioris essent conditionis iis, qui manent sub Episcoporum jurisdictione; ac per consequens dicta potestas Abbatibus non est deneganda.

Resp. degentes sub jurisdictione Abbatum habentium jurisdictionem quasi Episcopalem, non esse deterioris conditionis, quam sint subditi Episcopalis jurisdictionis; in iis enim subjecti Episcopis reputantur, quia esto non sint de Diœcesi, sunt tamen in Diœcesi, in qua constitutæ sunt tales Ecclesiæ Abbatiales, sicuti dicemus inferius *cap.7. artic.4.* de Regularibus, qui licet ex privilegio Sedis Apostolicæ Episcopis subjecti non sint, in ordine tamen ad Indulgentias ab illis concessas, tales possunt esse, easque lucrari.

Ex his inferes id, quod de Prælatis Episcopo inferioribus asseruimus, dicendum esse de Parochis. Tum quia non præsunt nisi uni familiæ, & sunt quasi Prælatorum coadiutores. Tum quia minus est excommunicare, quam Indulgentias facere. Cum itaque Parochis datum non sit excommunicationis vinculo suos parochianos innodare, nec proinde eis convenire potest de jure communi Indulgentias concedere.

Quæres 1.° An ex consuetudine præscripta Prælati Episcopo inferiores possint Indulgentias elargiri?

Prælatum Episcopo inferiorem ex consuetudine & praxi ea potestate gaudere putat Barbosa de *Off. & Potest. Episc. allegat.* 88. *num.* 18., ac citat pro hac sententia Henriquez in summa *lib.7. de Indulg.*

dulg. cap. 21. §. 4. Augustinus de Ancona *Tract. de Ecclesiæ potest. quæst.* 29. *art.* 8. Panvinus *de potest. cap. Sede vacante in* 4. *quæst. principal. in princ.* Gambara *dict. tit. quid possit Legatus circa Indulgent. num.* 2.

Nos vero respondemus, ex consuetudine vel praxi præcise considerata non posse Prælatos Episcopo inferiores concedere Indulgentias, quod sentiunt Corduba *tr.* 15. *de Indulg. quæst.* 12. Suarius *dict. sect.* 4. *n.* 3. quia potestas concedendi Indulgentias ob sui excellentiam Dei forum attingens, ob temporalem pœnam peccatis debitam quam remittit, Summo Pontifici atque Episcopis concessa est a Christo. Ex consuetudine autem acquiri non potest id, quod obtinetur de jure Divino. Ergo ex consuetudine præcise considerata Prælati Episcopo inferiores non possunt Indulgentias concedere.

Objicies 1.° In Cap. *Accedentibus de Excessibus Prælatorum*, post statutum, quod Abbatibus non conveniat potestas dandi Indulgentias, subditur = *Nisi forte ex concessione, vel alia legitima causa possint se tueri* = ubi Glossa dicit: *Nisi per consuetudinem*; & profecto prima pars, nempe *Ex concessione*, immediatam potestatem a Summo Pontifice collatam designat. Secunda: *Vel alia justa causa*, aliud significare non potest, quam consuetudinem legitime præscriptam. Constat ergo posse ex consuetudine Prælatos Episcopo inferiores gaudere potestate concedendi Indulgentias.

Resp. 1.° cum aliquibus Doctoribus apud Cordubam, textum *ex Cap. Accedentibus* prælaudatum nihil dicere de consuetudine; sed id Glossam addidisse secundum suam opinionem.

Resp. 2.° quod etiamsi per illa verba textus intelligeretur consuetudo secundum Glossam, ex eo tamen nihil inferri potest contra nostram sententiam. Duplex enim munus, præter Indulgentiarum largitionem, declaratur ibi Abbatibus non convenire; scilicet in causis matrimonialibus proferre sententiam: & pœnitentias publicas indicere; deinde subditur: *Nisi ex concessione, vel alia legitima causa &c.* ita ut hæc verba ad tria insinuata capita referantur; quod ut verum sit, non exigitur quemlibet ex illis actibus singillatim acceptum posse ex concessione, vel alia causa hujusmodi Prælatis competere, sed solum unum aut alterum ex consuetudine, vel etiam concessione, alium ex concessione duntaxat: ideoque citra violentam textus interpretationem salvatur, ex consuetudine oriri posse facultatem indicendi pœnitentias publicas, atque judicandi in causis matrimonialibus, non tamen posse concedere Indulgentias.

Objicies 2.° Per consuetudinem potest jurisdictio comparari a non habentibus, *L. Viros C. de divers. offic. libr.* 12. *Cap. Cum contingat de Foro compet.*, & recte ostendunt Petrus de Marcha *in Concord. Sacerdotii, & Imperii libr.* 3. *capit.* 9. Thomas Bene *de Immunit. Ecclesiastic.* dummodo subjecti incapacitas non obstet. Cum ergo dare Indulgentias, sit actus potestatis jurisdictionis, concurrente consuetudine cum suis requisitis, poterit ea potestas Prælatis Episcopo inferioribus convenire.

Resp. per consuetudinem acquiri jurisdictionem, ex jure humano, non vero ex jure Divino provenientem: & de hac loquuntur textus, & Doctores citati, sicut consuetudo potest prævalere contra legem humanam; jurisdictio autem dandi Indulgentias oritur a jure Divino, contra quod consuetudo sicut nequit prævalere, ita nec jurisdictionem hujusmodi communicare.

Dices. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales in Ecclesiis, eisdem in Titulum assignatis, possunt Indulgentias concedere: & de facto centum dies impertiuntur Fidelibus, in Ecclesiasticis functionibus, quibus assistunt occasione solemnium Festivitatum, lecto diplomate a Cæremoniarum Magistro, vel alio ad hoc munus obeundum specialiter deputato: hoc autem eis ex Summi Pontificis commissione minime competit; nullibi enim reperire est, aut in Sacris Canonibus, aut Constitutionibus Apostolicis privilegium hujusmodi: adeoque in consuetudinem refunditur, quæ valet hanc potestatem communicare.

Resp. duplici modo percipi posse consuetudinem ad potestatem dispensandi Indulgentias concurrere. 1.° tanquam principium, seu causam per se & originem talis potestatis. 2.° tanquam merum indicium, seu signum ejusdem, aliquando a Summis Pontificibus concessæ. Porro quanquam

quam nequeat a consuetudine prodire Indulgentiarum potestas, potest tamen consuetudo esse concessæ potestatis indicium; ut observat Suarius loco citato = *Probat efficaciter*, inquit, *ratio facta, consuetudinem ipsam non posse esse propriam ac per se originem talis jurisdictionis. Nihilominus tamen præscripta consuetudo, est indicium jurisdictionis aliquando concessæ a Summo Pontifice, quia non est verosimile in re tam gravi, propria auctoritate fuisse usurpatam, & tanto tempore tacentibus, & consentientibus Prælatis continuatam: atque in hoc sensu sequitur Corduba, & juxta illa possunt intelligi illa ultima verba C. Accedentibus, si ad concessionem Indulgentiarum referantur* = Hinc colliges potestatem Cardinalium concedendi Indulgentias in Ecclesiis, quarum Titulis gaudent, non oriri ex consuetudine, sed hanc esse concessæ potestatis indicium. Quod vero de hoc, neque ex Sacris Canonibus, aut Constitutionibus Apostolicis constet, nihil refert; cum acquiescentia, & tolerantia Summorum Pontificum, qui certe non ignorant publicas hujusmodi concessiones a Cardinalibus fieri consuetas, non leve ad id potestatis communicatæ sit argumentum.

Non dubitamus tamen admittere, ex Sedis Apostolicæ privilegio, nonnullis Prælatis Episcopo inferioribus prædictam facultatem convenire: & de facto eo privilegio gaudet Abbas Montis Virginis, ut habetur ex Brevi Urbani IV. incipiente *Ecclesia Romana* edito secundo Idus Septembris MCCLXIV., relato in libro inscripto: *Monte Vergine Sagro* Abbatis Amati Mastrulli, editionis Neapolitanæ *pag. mihi* 317. ibi = *Nos itaque ob devotionem B. Mariæ Virginis gloriosæ, in cujus honore dictum Monasterium est fundatum, vestris supplicationibus inclinati, usum Mitræ, Baculi, Anuli, Sandalium, Chirothecarum, Tunicæ, Dalmaticæ: Benedictione solemni ad populum, Ordinatione Minorum, Indulgentia quadraginta dierum: benedicere etiam calices, & omnia alia ornamenta Ecclesiastica: & cognoscere de Matrimonio inter Vassallos, in quibus habetis spiritualia, tibi fili Abbas & Successoribus tuis, sit in perpetuum, quos potius signitos intendere cupimus, dummodo ti bi, & eisdem Successoribus tuis, sit more, ac modo debito munus benedictionis impensum, & te, ac eos constet existere Sacerdotes, authoritate præsentium concedimus ex gratia speciali* = Quod privilegium extendi putat Tamburinus in *Tract.* de jure Abbatum *Tom.* 2. *disput.* 9. *quæst.* 2. *n.* 1. ad cæteros Abbates aliarum Congregationum, quæ ejus privilegiorum communicatione fruuntur.

Idem privilegium Indulgentiarum dedisse Bonifacium IX. Priori Sancti Frigdiani Civitatis Lucensis, Cananicorum Regularium, octavo Idus Aprilis MCCCCI., Pontificatus sui anno duodecimo, colligitur ex Constitutione incipiente *Sacræ Religionis* relata in *Lib. Privileg.* dictæ Congregationis pag. 274. = *Nos quoque* (inquit Bonifacius Pontifex) *cupientes reddere Domino Populum acceptabilem, & bonorum operum sectatorem, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, Priori præfatæ Ecclesiæ pro tempore existenti, dum Missam & alia Divina Officia in Pontificalibus celebrabit, in fine dictarum Missarum & officiorum, universis & singulis Christifidelibus prædictis adstantibus, relaxari quadraginta dies de injunctis eis pœnitentiis, de Apostolicæ plenitudine potestatis, facultatem plenariam tenore præsentium elargimur, tibique potestatem, populo prædicto adstante, concedimus, nunciare faciendi*.

Non dissimilem facultatem, Abbatibus Canonicorum Lateranensium concessisse S. Pium V. decimosexto Cal. Februarii anno MDLXVI. habetur ex *Libro privilegior. dictæ Congregation.* eaque potestate usum fuisse anno MDCXIV. coram duodecim Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, die 2. Julii in festo Visitationis B. M. V. Dominum Joannem Chrysostomum Neapolitanum, in Templo Pacis ejusdem Monasterii de Urbe Abbatem, testatur Gabriel Pennot in sua *Tripart. hist. lib.* 3. *cap.* 35. *num.* 4.

Ampliorem facultatem, quam fecerint Urbanus IV., Bonifacius IX. & S. Pius V. Abbatibus prælaudatis, concessit Cappellano Majori Regis Lusitaniæ Leo X. datis Literis ad Regem Cal. Maii anno MDV. ut interdum posset concedere ducentos Indulgentiarum dies = *Denique Cappellanus*

nus Major (sunt verba dicti privilegii) *vel ejus locum tenens, quotiescunque & ubicunque in Missarum Solemniis, per prædicationis ministerium, in tua & dictæ Reginæ præsentia, per eundem Cappellanum Majorem, vel alium, publice proponi contigerit verbum Dei, illud proponens, omnibus vere pœnitentibus & confessis, ibidem præsentibus, ducentos dies de injunctis eis pœnitentiis in Domino relaxare libere, & licite possit* = Quod confirmavit Clemens VII. Idibus Januarii MDXXIII. & Paulus V. die 17. Februarii, idem privilegium communicavit Cappellano Majori Regis Catholici.

Arbitrantur plurimi Doctores, ex Apostolicæ Sedis concessione Prælatos Regulares suis subditis posse Indulgentias elargiri. Afferunt ad hujus sententiæ probationem, quod habetur *in Compend. Privilegior. Mendicant.* Verbo *Indulgentiæ Plenariæ quoad Fratres* §. *ibi* = *Leo* X. *concessit omnibus Provincialibus Fratrum Minorum de Observantia, quod, facta visitatione ordinaria in Conventibus suæ Provinciæ, facultatem habeant concedendi Indulgentiam Plenariam omnibus Fratribus cujuslibet Conventus visitatis: & idem intelligitur de Monialibus Sanctæ Claræ, & de Tertiariis in Congregatione viventibus* = Circa quam concessionem advertunt, quod quanquam prædictum privilegium indultum fuerit Ministris Provincialibus vivæ vocis Oraculo, in praxi tamen & consuetudine positum esse, ut eo pariter Minister Generalis ejusque Commissarius utantur; quoniam concessum inferioribus, non videtur Superioribus denegatum: maxime quum utrobique eadem ratio militat. Tradunt insuper Rodericus *Tom.* 2 *qu.* 86. *art.* 2. & Peyrinus *in Prælat. Regulari qu.* 3. *cap.* 6. *n.* 16. Gregorium XIII. idem privilegium dedisse, etiam vivæ vocis Oraculo Visitatoribus Societatis Jesu, ut habetur ex *Compend. Privilegior. dictæ Societat. Verbo Visitatores*. Passerinus tamen *qu.* 88. *num.* 650. asserit, privilegium illud in dicto Compendio Romæ impresso minime reperiri, subdens, ibi minime esse hunc titulum *Visitatores*, quanquam sub titulo *Indulgentia* §. 10. prædictum Leonis X. privilegium ex Supplemento Minorum concessum referatur; addaturque: *Idem posse Visitatores peracta Visitatione*. Tandem Peyrinus privilegium refert a Clemente VIII. emanatum pro Generali Minimorum, ut quolibet triennio possit Fratribus & Sororibus Tertiariis, Fundatoribus, Conservatoribus & Procuratoribus dicti Ordinis Indulgentiam Plenariam impertiri, dando facultatem prædictis personis eligendi Confessarium, qui eas absolvat a casibus Episcopalibus, & censuris Ecclesiasticis: idque esse vivæ vocis Oraculo factum Laurentio, tituli Sanctorum quatuor Coronatorum, Presbytero Cardinali, Ordinis Minimorum Protectori, testatur ipse Peyrinus in *Constit.* 9. Clementis VIII.

Cæterum, an ex vi dictorum privilegiorum Provinciales Ordinis Minorum de Obsevvantia, necnon Visitatores Societatis Jesu, cæterique hujusmodi superiores aliorum Ordinum Regularium, habentium communicationem in illis privilegiis & facultatibus, possint modo ita se gerere in ordinariis Visitationibus cum suis Religiosis visitatis, seu prædictis privilegiis uti, dubio remanet obnoxium; cui affirmative respondet Peyrinus, tum loco citato, tum in *Constit. Leonis* X. §. 2. quia hujusmodi facultates non videntur revocatæ per Constitutionem Pauli V. incipientem *Romanus Pontifex*, qua abrogantur duntaxat Indulgentiæ personis Regularibus concessæ. Facultates autem supradictæ Indulgentiæ non sunt: & ex diversis non fit illatio *Cap. Ad audientium, de Decimis*.

Nos tamen respondemus negative, quia licet hujusmodi facultates Indulgentiæ dici nequeant, ac per consequens in ea generali Pauli V. revocatione non comprehendantur, ut vult Peyrinus, tamen omnes facultates, privilegia, indulta, vivæ vocis Oraculo concessa, abrogata sunt a Gregorio XV. & Urbano VIII. juxta dicenda *cap.* 12. *Art.* 4. Ergo ex vi dictorum privilegiorum, Provinciales Ordinis Minorum de Observantia, necnon Visitatores Societatis Jesu, aliique Provinciales aliorum Ordinum Regularium habentium communicationem in illis, non possunt modo ita se gerere in ordinariis Visitationibus cum suis Religiosis visitatis, & prædictis privilegiis uti.

Consulto dubium de prædictis privilegiis proposuimus, quia si aliqui Ordines Regu-

Regulares Literas Apostolicas ad id faciendum habuerint, aut post revocationes memoratas obtinuerint alia vivæ vocis Oracula, citra controversiam admitti debet, eorundem Superiores illis tuto uti posse, cum non reperiatur Constitutio Apostolica post Urbanum VIII. emanata ea privilegia revocans.

ARTICULUS VI.

An simplices Sacerdotes ad excipiendas Confessiones approbati habeant potestatem concedendi Indulgentias in foro Sacramentali.

AFFIRMATIVE respondet Bartholomæus Fumus in *Summa aurea*, quæ *Armilla* dicitur, ita suam exponens sententiam verbo *Indulgentia num* 2. = *Quilibet Sacerdos Confessor*, inquit, *secundum Innocentium in Cap. Quod autem. Zabarell. in Clement. Religiosi, Panormitanus in Cap. Sicut dignum col.* 10. *& alios, in foro conscientiæ potest dare Indulgentiam sibi confitentibus; ideo bonum est, ut Sacerdos in impositione dispenset cum confitente circa residuum pœnæ, si major esset imponenda, ut ibi dicit Panormitanus. Nec obstat Caput Accedentibus, cum similibus capitibus, quibus prohibetur dare Indulgentias; quia aliud est dare Indulgentias per Literas, aliud in Foro conscientiæ in absolutione pœnitentis per Sacerdotem, cui non est restricta potestas in Indulgentiis in foro pœnitentiali; licet sit restricta in foro exteriori per Bullas, vel publice concedere Indulgentias, ut Prælati faciunt; ut dicit Innocentius ibi supra. Potest igitur hoc modo Sacerdos indulgere dies & annos, prout vult, dummodo juste & discrete facias: & hoc potest Sacerdos facere vi Clavium*. Idem docuit Maldonatus, eo ductus fundamento, quod, qui Sacramentales Confessiones excipiunt, melius internas pœnitentium dispositiones expendunt, ad quas Concilia, inquit, Indulgentias exposcunt, quam Episcopus & alii, qui externam tantum jurisdictionem plerunque exercent.

Conclusio. Simplices Sacerdotes ad excipiendas Confessiones approbati non habent potestatem concedendi Indulgentias in foro Sacramentali. Ita sentiunt communiter Canonistæ & Theologi.

Prob. 1.° Cunctæ Indulgentiarum concessiones fieri debent ex Thesauro meritorum Christi & Sanctorum; adeo ut ejusmodi spiritualia beneficia intelligi nequeant citra dicti Thesauri dispensationem. Id autem non convenit nisi iis, quibus commissum est Ecclesiæ regimen. Ergo cum Sacerdotibus commissum non sit hujusmodi munus, non poterit eis dispensatio meritorum Christi & Sanctorum in foro Sacramentali per Indulgentias convenire. Accedit 1.° Ecclesiæ praxis; Sacerdotes enim, dum absolutionem a peccatis impendunt, a pœnis temporalibus per dispensationem meritorum Christi & Sanctorum nequaquam absolvunt. 2.° Si tali potestate pollerent in foro Sacramentali Sacerdotes, taxationem vel limitationem habuissent in earum dispensatione, uti provide sancivit Concilium Lateranense IV. de Episcoporum Potestate. Nullibi autem constat ex Sacris Canonibus fuisse limitatas Indulgentias a simplicibus Sacerdotibus concedendas. Sacerdotibus itaque in foro Sacramentali non convenit facere Indulgentias.

Prob. 2.° Ex traditione, cum enim quidam ex Presbyteris D. Cypriani ætate, eam sibi potestatem arrogarent, ostendit S. Antistes *Epist.* XII. *ad Cler. Rom.* data, id Evangelio atque Episcoporum authoritati ac veteri disciplinæ adversari = *Audio*, inquit, *quosdam de Presbyteris, nec Evangelii memores, nec quod ad nos Martyres scripserunt cogitantes, nec Episcopo honorem Sacerdotii sui & Cathedræ reservantes, jam cum Lapsis communicare cœpisse, & offerre pro illis, & Eucharistiam dare, quando oporteat, ad hæc per ordinem pervenire* = Apertius Episcopis duntaxat potestatem relaxandi pœnitentiam canonicam adscribunt Concilia. Ancyrana Synodus *Can.* 5. = *Episcopum*, inquit, *hanc habere licentiam oportet* = & Concilium Nicænum 1. = *Postmodum licebit Episcopo de his aliquid humanius decernere* = Ergo non convenit simplicibus Sacerdotibus potestas concedendi Indulgentias in foro Sacramentali. Si tamen alicubi afferat Cyprianus, se non

solum

solum, sed una cum Clero Lapsis pacem conferre, hoc ad politiam refert, non ad Presbyterorum authoritatem. Hinc facile deprehendes allucinatum Bartholomæum Fumum, afferentem memoratos Authores ad suæ sententiæ patrocinium; illi enim volunt duntaxat, commissum esse Sacerdotibus ad Confessiones audiendas approbatis, ita satisfactiones Sacramentales pœnitentibus posse temperare, ut, quod superest secundum veterum Canonum disciplinam pro purgandis criminibus Divinæ Justitiæ exhibendum, vel per opera supererogationis, vel per flagella in hac vita divinitus inflicta, & patienter tolerata, posse relinquere persolvendum; & in eo sensu pœnitentibus indulgere: quatenus eos eximunt a Canonum pœnitentialium rigore, seu (ut verbis utar Innocentii) *provident tantum diversos modos liberandi a pœnitentiis*.

Objicies. Quilibet Sacerdos in foro interiori, pœnitenti satisfactionem injungens, eum ligat. Ergo potest a satisfactione eundem eximere, cum ejusdem sit solvere, cujus est ligare.

Resp. ex pœnitentia injuncta pœnitentibus in foro interiori minime colligi posse in Sacerdotibus potestatem dandi Indulgentias; non raro siquidem inferior ligat, quod solus superior potest solvere, quia scilicet circumstantia, quæ ad publicum bonum pertinet, in solutione reperitur, quæ tamen, ubi quis ligatus est, non occurrit.

ARTICULUS VII.

An Archiepiscopus in tota Provincia possit Indulgentias concedere?

CONCLUSIO. Archiepiscopus potest concedere Indulgentias pro sua Provincia, eo modo quo Episcopus pro sua Diœcesi.

Prob. *Ex Cap. Nostro de Pœnitent. & Remissionib.* ubi Honorius III. super hoc requisitus ita respondit. = *Nostro postulasti certificari responso, utrum per tuam Provinciam possis concedere remissionis literas generales. Nos igitur tuæ Fraternitati breviter respondemus, quod per Provinciam tuam libere potes hujusmodi concedere literas: ita tamen, quod statutum generalis Concilii non excedas* = Potest ergo Archiepiscopus in tota sua Provincia Indulgentias concedere.

Nec dicas cum Abbate Panormitano, quem sequitur Cironius, statutum hoc procedere, quando Archiepiscopus in Provincia munus Visitatoris exequitur, cum tunc duntaxat, sicut potest subditos Suffraganeorum Episcoporum corrigere, ita eisdem & Indulgentias donare. Honorius enim Pontifex absolute & generaliter juxta dubium sibi propositum loquitur, adeoque citra limitationem est intelligendus.

Hinc bene observat Castropalao *tr.* 24. *puncto* 5. *num.* 8. quod facta ab Episcopo, vel alio ex ejus authoritate concessione quadraginta dierum Indulgentiarum in propria Diœcesi, possit Archiepiscopus illius Provinciæ aliam Quadragenam superaddere; quia in hoc nec Archiepiscopus procederet ut Delegatus Episcopi, nec e converso, sed uterque, ea qua gaudet authoritate ordinaria, Ecclesiæ Thesaurum dispensaret.

Quod de Archiepiscopo supra statuimus de Indulgentiis pro tota sua Provincia, nequit ad ejus Coadiutorem extendi, juxta Responsum a Sacra Congregatione Concilii sub die 31. Januarii MDCXI. emanatum, relatum a Barbosa *Summ. Verb. Indulgentia*.

Objicies 1.° contra Conclusionem. Non omnes degentes in Provincia se habent tanquam subditi Archiepiscopi; subjectionem vero desiderari ex parte eorum, quibus Indulgentiæ conceduntur, habetur ex cap. *Quod autem de Pœnitentiis & Remissionib.* Quamobrem sicut ob subjectionis defectum nequit Archiepiscopus Judicis ordinarii munus obire respectu omnium, qui sunt de sua Provincia. *Cap. Pastoralis de Offic. Ordinar.* aut citra appellationis articulum, partibus etiam consentientibus aliquid cognoscere; exceptis duntaxat quibusdam casibus in jure expressis, ut loquitur Marcus Antonius in *praxi cap.*70.*nu.*6. ita nec Indulgentias cunctis in sua Provincia degentibus impertiri.

Resp. Indulgentiarum concessionem spectare ad jurisdictionem voluntariam, ac proinde omnes intra Provinciæ terminos existentes, quantum ad hunc actum, esse

ac

ac reputari subditos Archiepiscopi = *Subditi intelliguntur Archiepiscopi*, inquit Hostiensis, *non tantum ii, qui habitant in Diœcesi, sed in tota sua Provincia* = Quod vero ea munera, quæ in Argumento commemorata sunt, nequeat præstare Archiepiscopus, provenit ex eo, quod important jurisdictionem contentiosam.

Objicies 2.° Primas in toto Regno, & Patriarcha in sua Patriarchali Provincia nequeunt Ecclesiæ Thesaurum per Indulgentias dispensare. Nec ergo Archiepiscopi id poterunt; ne quod minori dignitate pollentibus conceditur, in sublimiori gradu constitutis denegandum sit.

Resp. Patriarchas & Primates non habere eandem authoritatem in suis Patriarchalibus Provinciis, ac Regnis, quam obtinent Archiepiscopi in Diœcesibus suorum Suffraganeorum (quanvis quatenus sunt Archiepiscopi in Archiepiscopalibus Provinciis eadem gaudeant) idque maxime verum est de facultate dandi Indulgentias; ea enim in jure non legitur attributa hujusmodi Prælatis pro suis Provinciis Patriarchalibus ac Regnis, sicut Archiepiscopis pro suis Archiepiscopalibus Provinciis noscitur communicata.

ARTICULUS VIII.

An Legatus Sedis Apostolicæ & Major Pœnitentiarius Summi Pontificis gaudeant facultate concedendi Indulgentias.

AD propositi dubii solutionem, de Legato Summi Pontificis, observandum primo est, quod Legatus a *legando*, imo & a *legendo* dictus est, quasi prius lectus & electus ea, quæ apud longinquas regiones a Principe seu a Republica, vel ab alio quovis agenda essent, publica seu illius, a quo mittitur, auctoritate ipse pertractet; occurrunt siquidem plura negotia, quæ nequeunt nisi per Legatos cum absentibus expediri, quia periculis foret obnoxium ea literarum fidei commendare, quæ magis congruum est explorare, præsentique colloquio definire. Hinc apud varias Nationes Legati officium invectum comperimus, ad publica sive pacis, sive belli negotia pertractanda: adeo ut ii, quibus munus legationis injungebatur, Legati cum additione talis Provinciæ dicerentur, ut Legatus Ciliciæ *in L. testium 3. versu ideoque ff. de testibus*. Legatus Galliæ *in L. 2. ff. de jure communi*. Legatus Numidiæ *in l. Nam 7. ff. de legat. præstand.*

Observandum 2.° est, etiam in Ecclesia Romana prioribus sæculis Legatorum authoritatem viguisse; quantunvis impii Heterodoxi putidis vocibus eorum nomen irridere contendant. Cum enim Romani Pontificis munus sit omnibus Ecclesiis pastorali sollicitudine consulere, juxta textum in *Cap. Cum instant de Censib.*, & ad Ecclesiarum negotia peragenda ejus authoritas desideraretur, recte fuit constitutum, ut ipse Pontifex, qui alias non poterat omnibus Ecclesiis personaliter interesse, selectissimos viros opere & sermone potentes ad easdem Ecclesias dirigeret, qui tanquam Pontificis Vicarii legationis officium exercerent, gravissimaque negotia ad spiritualem Christifidelium utilitatem expedirent; ut in Conciliis in Oriente celebratis Nicæno, Ephesino, Calcedonensi aliisque contigit. Vide de his legationibus Crespetium *in Summa verbo Legatus*, & Petrum de Marcha *lib. 5. Concord. Sacerdotii & Imperii*.

Observandum est 3.° Legatorum Sedis Apostolicæ tria esse genera. Alii sunt Legati Nati, quorum certæ dignitati, quam in Ecclesia obtinent, munus legationis est annexum, ac proinde cæteris aliis legationibus diuturnius. Natorum enim legatio quia beneficio adhæret, tandiu durat, quandiu Legati illud possident *Cap. Antiqua de Privilegiis*, cum aliorum legatio personis duntaxat adhæreat, ac post elapsum tempus illis præstitutum expiret: & tales sunt, Archiepiscopus Salisburgensis in Germania, Archiepiscopus Rhemensis in Gallia, Archiepiscopus Toletanus in Hispania. Alii sunt Legati a Latere, quos Laterales vocat Yvo Carnotensis *in Epist. 109.*, quia a Summi Pontificis Latere mittuntur, ut ait S. Leo Pontifex in *Epist. 14.* *ad Faustum* illis verbis = *Cum propter causam fidei, quam Eutyches perturbare tentavit, de Latere meo mitterem, qui defen-*

sioni veritatis assisteret = dicuntur enim circa latus Principis agere ii, qui in ejus comitatu sunt, sicut apud Possidium *in vita Sancti Augustini* de Judice Africæ ab Honorio Imperatore dato, ita legitur = *Propter quod perficiendum etiam de suo latere Tribunum & Notarium Marcellinum ad Africam judicem miserat* = & ideo Cardinales ad obeundum alicubi legationis officium destinati, Legati a Latere dicuntur *Cap. volentes* 8. *de off. Ordinarii Lib.6. Cap. Si Abbatem* 36. *de Electlon. eodem libro*, quia de corpore ipsius Pontificis, & ad latus ejus sunt *Cap. quisquis 6. qu.* 1. *Clement. Felicis de pœnis*; licet olim necessarium non esset, ut Legati a Latere præclara Cardinalatus dignitate fulgerent. Alii sunt Legati Nuntii, qui non sunt Cardinales, mittuntur tamen ad aliquam Provinciam, ut ibi munus legationis exerceant. Hinc non omnes Ecclesiæ Prælati, qui Pallii honore a Summo Pontifice decorantur, Legati creantur; quanquam enim Pallium plenitudinem Pontificalis dignitatis significet, non tamen eo decorati legationis Officium nanciscuntur, ut probat Cironius *lib.* 1.° *Observat. cap.* 7.° His observatis sit

Conclusio 1.ª Legati Nati intra suæ legationis terminos non possunt concedere Indulgentias.

Prob. Si facultate dandi Indulgentias Legati Nati gauderent, vel id eis ex officio, vel ex peculiari privilegio seu concessione Summi Pontificis conveniret. Primum dici non potest; quia in jure nihil reperitur, quod evincat, prædictos Prælatos intra terminos suarum legationum potestatem dandi Indulgentias obtinere. Insuper, quia competit ex officio Archiepiscopis in suis Provinciis, nec non Episcopis in suis Diœcesibus Indulgentias elargiri, ad evitandos hujusmodi concessionum excessus, constat, in jure utrisque Indulgentiarum terminum fuisse præfinitum *Cap. Cum ex eo de Pœnit.& Remisi.& cap. Nostro eod. titulo*. Nullus autem Indulgentiarum terminus præscriptus est in Jure Legatis Natis. Nec potest dici secundum, cum non expediantur in Curia Romana Literæ Apostolicæ, quibus Legatis Natis hujusmodi facultas conferatur. Ergo Legati Nati intra suæ legationis terminos non possunt Indulgentias concedere.

Conclusio 2.ª Legati sive a Latere, sive Nuntii Sedis Apostolicæ possunt Indulgentias concedere intra terminos suarum legationum. Ita communiter sentiunt Doctores.

Prob. ex praxi & consuetudine Ecclesiæ, qua edocemur non raro hujusmodi Prælatos, intra propriarum legationum terminos, Christifidelibus Indulgentias despondere. Consuetudo autem legitime præscripta, ut in præcedenti Articulo diximus ex Suario, est indicium jurisdictionis aliquando concessæ a Summo Pontifice; quia non est verosimile in re tam gravi id propria auctoritate fuisse usurpatum, & tanto tempore tacentibus, & consentientibus Summis Pontificibus continuatum. Ergo Legati, sive a Latere, sive Nuntii possunt intra suarum legationum terminos Indulgentias Christifidelibus concedere.

Cæterum, an id ex jure communi, an potius ex speciali, & ex concessione Summi Pontificis Legatis sive a Latere, sive Nuntiis conveniat, non una est Doctorum sententia. Navarrus *in Comment. de Indulg. & Jubilæo Notab.* 31. *num.* 3. hanc Legatorum potestatem censet esse ordinariam: ita tamen, ut unum annum Indulgentiarum in Basilicarum Dedicationibus, in aliis vero occasionibus quadraginta dierum terminum non excedant. Suarius tamen *disp.* 55. *num.* 3. hoc Navarri assertum vocat incertum, nulloque juris præsidio roboratum = *Navarus*, inquit, *dicto num.* 3. *significat eum* (nempe Legatum) *habere potestatem ordinariam, nam illum vocat ordinarium Judicem in hoc foro, æque ac Episcopum, & cum eadem limitatione. Sed id nullo jure probat, cum tamen certum videatur, Legatum Pontificis non comprehendi in citatis juribus nomine Episcopi, vel Archiepiscopi, sunt enim munera & jurisdictiones valde diversa: & ideo ex vi juris communis non videtur Legatus habere hanc potestatem: quia neque in toto tit. de officio Legati, neque in alio textu communis hæc potestas eis conceditur. Semper tamen habent illam ex commissione Pontificis. Non constat autem mihi, an juxta ritum, vel consuetudinem Romanæ Curiæ intelligatur concessa, eo ipso quod aliquis in Legatum destinatur, quanvis nihil aliud exprimatur, vel semper fiat spe-*

cia-

cialis concessio. Et simili modo incertum est, an eadem quantitas eis definita sit, quæ Episcopis, & Archiepiscopis, vel major concedatur ex vi muneris, aut arbitrio Pontificis: ac denique, an hæc potestas ita eis concedatur, ut possint eam aliis delegare, vel tantum per se exercere: & ex horum resolutione pendet, an hæc potestas in eis sit ut ordinaria, vel tantum delegata.

Nos vero cum Suario convenimus in eo quod ait: hujusmodi Legatos, de quibus ipsemet loquitur, habere potestatem concedendi Indulgentias intra suarum legationum terminos ex Summi Pontificis commissione; asserimusque præterea semper eis specialem fieri concessionem dictæ facultatis, ampliorem profecto, quam quæ Archiepiscopis & Episcopis in jure constituitur, ita ut Legati a Latere, Christifidelibus pœnitentibus & confessis,& sacra Communione refectis, qui in una anni festivitate quancunque Ecclesiam ab ipsis designatam visitaverint, ibique oraverint septem annos Indulgentiarum & totidem quadragenas possint concedere = *Utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus & confessis, ac Sacra Communione refectis* (sunt verba Literarum Apostolicarum, quæ juxta stylum Sedis Apostolicæ dantur Legatis a Latere) *qui quascunque Sæculares, & Regulares Ecclesias, in una anni festivitate, & una vice tantum visitaverint, nec non ibi pias preces Altissimo effuderint, septem annos & totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis: ita quod postea iterum, & pluries, prout tibi videbitur id concedere posiis, misericorditer in Domino relaxandi facultatem & auctoritatem concedimus* = Legati vero Nuntii Christifidelibus pia opera exercentibus centum aut plures dies Indulgentiarum citra annum: eisdemque pœnitentibus & confessis, & Sacra Communione refectis, qui in una vel duabus Ecclesiarum festivitatibus ejusdem anni easdem devote visitaverint, ibique oraverint, septem annos Indulgentiarum possint despondere, ut habetur ex verbis Literarum Apostolicarum, quæ juxta stilum Sedis Apostolicæ expediuntur pro Legatis Nuntiis, ibi, = *Omnibus utriusque sexus Christifidelibus ad pia & salutaria opera exercenda centum aut plures dies citra annum: nec non vere pœnitentibus & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui quascunque Sæculares, vel Regulares Ecclesias, vel Cappellas, in una, vel duabus anni festivitatibus duntaxat a primis Vesperis usque ad secundas Vesperas & occasum cujuscunque diei festi visitaverint, & pro unione Christianorum Principum, ac fidei Catholicæ propagatione preces Altissimo effuderint, quo die id egerint, septem annos & totidem quadragenas aut infra de injunctis pœnitentiis, seu quæ merito injungi deberent, misericorditer in Domino relaxandi: ita ut relaxatio hujusmodi semel tantum pro una Ecclesia, vel Cappella fiat, etsi pro duobus festis diebus concedatur ad triennium; pro uno vero festo concessa ad quinquennium tantummodo debeat perdurare, facultatem & auctoritatem concedimus.*

Conclusio 3.ª Major Pœnitentiarius Summi Pontificis potest Indulgentias concedere centum dierum. Ita Lavorius *par.* 2. *cap.* 11. *num.* 17. Suarius loco mox citato.

Prob. quia quanquam ex jure nequeat hæc potestas in Majori Pœnitentiario probari, consuetudo tamen legitime præscripta, sciente & tolerante Summo Pontifice servata, evincit, potestatem dandi Indulgentias in Majori Pœnitentiario ex Summi Pontificis concessione reperiri; unde Paludanus *dist.* 20. *qu.* 4. *artic.* 2. *Conclus.* 3. refert, se audivisse Summum Pœnitentiarium ita loquentem = *Auctoritate nostra ordinaria damus vobis centum dies Indulgentiæ*. Ergo Major Pœnitentiarius Summi Pontificis potest Indulgentias concedere centum dierum. Illud tamen adnotari velim, Majorem Pœnitentiarium posse centum Indulgentiæ dies potissimum quibusdam Hebdomadæ Majoris diebus Christifidelibus impertiri, qui se eidem submiserint pœnitentiali virga tangendos; ut habetur ex Constitutione Innocentii XII. incipiente *Romanus Pontifex*, edita tertio Nonas Septembris anno MDCLXXXXII., recitata a Tiburtio Navar *in Manuductione ad Praxim execution. Literar. Sacr. Pœnitentiar. part.* 4. ibi = *Omnibus Christifidelibus, qui ex veteri & laudabili instituto Pœnitentiarium Majorem, munere suo statutis diebus in Hebdomada majori so-*

solemni ritu fungentem, pie reverenterque adierint, seseque pœnitentiali virga tangendos submiserint, centum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxandi, perpetuam facultatem eidem Majori Pœnitentiario confirmamus, & quatenus opus sit de novo concedimus.

ARTICULUS IX.

An sit deturque Potestas concedendi Indulgentias independenter ab Ecclesiæ Thesauro.

Affirmative Dubio respondet Michael Medina *in Disputation. de Indulgent. disp.* 8. *cap.* 41. contra communem Theologorum sententiam post D. Thom. *in* 4. *sent. dist.* 20 *qu.* 1. *artic.* 3. *quæstiunc.* 1. = *Dico Pontificem*, inquit, *aliquando per modum potestatis tantum, idest nullo Ecclesiastici Thesauri adjutorio & auxilio, posse peccatorum temporales pœnas condonare* = & inferius = *Pontifex non modo reatus peccatorum condonat, sed tribuit aliquando peccatorum Indulgentiam ex sola potestate, cum æquæ rationes suggeruntur; cum vero ambigua est causa, partim ex potestate, partim ex Thesauri applicatione pœnas condonat. Quando exiles rationes ad condonationem invitant, solaque eandem misericordia efflagitare videtur, tantummodo Thesauri applicatione Divinæ Justitiæ satisfacit.*

Conclusio. Non datur potestas concedendi Indulgentias citra dispensationem Thesauri Ecclesiæ.

Prob. 1.° Ex Extravaganti *Unigenit. de Pœnit. & Remissionib.* in qua Clemens VI. post definitam veritatem Thesauri meritorum Christi & Sanctorum, subdit = *Quorum uni* (scilicet Apostolorum Principi) *sicut bono Dispensatori Claves Regni Cœlorum commisit* = Ubi ut vides, inter potestatem concedendi Indulgentias, & munus Dispensatoris Thesauri Ecclesiastici innuitur connexio: quatenus Summus Ecclesiæ Claviger intantum ea gaudet potestate, in quantum media dispensatione meritorum Christi & Sanctorum, potest dictum Thesaurum ad solvendas pœnas temporales Deo debitas Christifidelibus aperire. Idem eruitur ex Literis Decretalibus Leonis X. ad Cardinalem Cajetanum datis, ubi duplex duntaxat modus concessionis Indulgentiarum agnoscitur, nempe per modum absolutionis viventibus, & per modum suffragii Defunctis, ac uterque aperitioni dicti Thesauri innixus = *Romanum Pontificem* (sunt verba dictarum Literarum) *Petri Clavigeri Successorem & Jesu Christi in terris Vicarium, potestate Clavium, quarum est aperire Regnum Cœlorum . . . . . . tam pro vivis, quam pro defunctis Apostolica auctoritate Indulgentiam concedendo, Thesaurum meritorum Jesu Christi, & Sanctorum dispensare, & per modum absolutionis Indulgentiam ipsam conferre, vel per modum suffragii illam transferre consuevisse* = Ergo non datur potestas conecedendi Indulgentias citra dispensationem Thesauri Ecclesiæ, prout constat ex satisfactionibus Christi & Sanctorum.

Prob. 2.° Quælibet remissio pœnæ peccato debitæ, vel per propriam satisfactionem ejusmet, qui peccavit, fieri contingit, vel per alterius satisfactionem, qui pro alio fideijubet. Sic autem fieri necesse est, tum ne peccatum quodcunque maneat impunitum = Tum quia dicitur *Job.*9.*v.*28. = *Scio quod non parceres delinquenti* = quod ita exponit D.Gregorius *lib.*9.*Moral.c.*17. = *Delinquenti Dominus nequaquam peccato parcit, quia nullatenus sine vindicta laxatur* = Tum quia id ordo Divinæ Justitiæ postulat, ut injuria Deo per peccatum illata reparetur. Itaque si pœnæ remissio per propriam satisfactionem non habeatur, necesse est, ejusdem absolutionem etiam a Summo Pontifice concedendam fieri cum applicatione satisfactionis Christi. Quanquam enim Deus potuisset de plenitudine potestatis, non exacta ulla peccatoris, vel Christi satisfactione, homines a culpæ & pœnæ reatu liberare, ex vi tamen præsentis Decreti, quo eundem Christum humani generis Reparatorem constituit, ejusque satisfactiones in Ecclesiæ Thesauro recondi (cum aliud Nomen sub Cœlo datum non sit hominibus, in quo eos oporteat salvos fieri) non remittitur pœna temporalis Fidelium peccatis debita, nisi vel exhibitis eorundem satisfactionibus habentibus vir-

virtutem a Christo, vel non nisi loco illarum Christi satisfactio applicetur & subrogetur. Eo vel magis, quod alias satisfactiones Christi inutiles remanerent, si alia via beneficium absolutionis a pœna temporali Fidelibus posset impendi. Accedit, quod congruentius alteri causæ effectus minime tribuitur quam univocæ, ac remissionis pœnæ causa univoca magis non est, quam satisfactio Christi. Ergo ex Thesauro Ecclesiæ, prout continet merita & satisfactiones Christi, necessario fieri debent Indulgentiarum concessiones.

Objicies 1.° Eadem potestate Clavium Summus Pontifex a vinculo excommunicationis absolvit, ac a pœnæ temporalis debito. Si ergo primum præstare valet, quin Ecclesiæ Thesaurum adhibeat, poterit etiam secundum.

Resp. 1.° Censuram esse impedimentum proveniens ab extrinseco, cujus absolutio spectat ad forum Ecclesiæ: reatum vero pœnæ temporalis esse impedimentum ab intrinseco, ortum ducens ex peccato actuali, ejusque absolutionem ad forum internum pertinere per remotionem pœnæ peccatis debitæ. Ex quo sequitur, pro actu potestatis absolvendi a censuris non exigi Thesauri Ecclesiæ dispensationem, secus vero pro exercitio potestatis largiendi Indulgentias.

Resp. 2.° cum Suario, censurarum pœnam fuisse impositam ab Ecclesia, ideoque superiores Ecclesiasticos ad hujusmodi vincula auferenda Thesauri Ecclesiastici dispensatione non indigere. Cæterum ad subeundam pœnam temporalem non ligavit Ecclesia, sed Lex Divina: imo ipsemet peccator seipsum, supposita Divinæ Justitiæ lege; quamobrem nequit Ecclesia ad ejus remissionem concurrere, nisi aliunde servetur æqualitas, juxta modum a Deo præscriptum, nempe per applicationem satisfactionum Christi, ac per consequens dependenter ab Ecclesiæ Thesauro.

Objicies 2.° Quilibet Princeps in Locis sibi pleno jure subjectis potest subditorum debita pecuniaria condonare, vel solvendo ex publico Ærario, vel nulla adhuc præstita solutione. Potest ergo supremus Ecclesiæ Princeps, & Caput visibile, utroque modo se gerere in relaxandis pœnis temporalibus peccatorum.

Resp. 1.° Principem tunc debitum subditorum utroque modo posse condonare, quum valet debiti causam remittere. Porro cum Summus Pontifex nequeat culpam, unde pœnæ reatus originem trahit, relaxare independenter a Christi satisfactionibus, per consequens non potest citra dispensationem Thesauri Ecclesiæ pœnam temporalem per Indulgentias remittere.

Resp. 2.° dato, Principem Sæcularem posse simpliciter debitum pecuniarium ex quacunque causa contractum liberaliter relaxare, adhuc non impendendo nummos ex publico Ærario, minime tamen sequitur Summum Pontificem, idem, in ordine ad debitum pœnæ temporalis, posse præstare; quanquam enim sit Princeps supremus in foro Ecclesiasticæ jurisdictionis exterioris, tamen in iis quæ spectant ad forum Dei (ut sunt remissiones pœnarum temporalium) tum quantum ad se tum quantum ad alios, non habet liberam omnino potestatem, sed ad metam Juris Divini. Porro Jus Divinum exigit, ut peccati reus vel pœnam solvat, vel alienis satisfactionibus adjuvetur. Jus Divinum est, & recta ratio dictat, ut diximus in secunda probatione nostræ Conclusionis, ut injuria Deo per peccatum illata reparetur; idque fit, vel per pœnam inflictam, vel per Christi, vel aliorum satisfactiones.

C A-

CAPUT IV.

DE CAUSA AD INDULGENTIAS CONCEDENDAS NECESSARIA.

Causam pro dispensatione Thesauri Ecclesiæ indispensabiliter postulari, in confesso est apud omnes. Verum quia de ea non leves solent difficultates a Doctoribus excitari, ut iis omnibus occurramus, curabimus in hoc Capite inquirere. 1°. An detur necessitas causæ piæ pro valida Indulgentiarum concessione? 2.° An causa pia debeat esse proportionata? 3.° An publica seu universalis?

ARTICULUS I.

An ad validam Indulgentiarum concessionem necessaria sit pia causa.

Causæ piæ nomine nihil aliud hic intelligimus, quam id, quod vel ex se, vel ex relatione ad aliam causam Dei honorem promovet, Ecclesiæ bonum, atque Fidelium spiritualem utilitatem; quamobrem quodlibet opus moraliter bonum, pium dici potest, ad prædictos fines saltem virtualiter ordinatum.

Duplex autem in re præsenti potest causa Indulgentiarum reperiri: alia concessionis, quæ etiam finis operis dicitur: alia concedentis, seu operantis, nempe movens Prælatum ad Indulgentiarum largitionem.

Consulto non vocatur hic in controversiam necessitas causæ piæ ex parte concedentis pro valida Indulgentiarum largitione, sed solum ex parte concessionis; defectus enim illius causæ duntaxat Indulgentiarum validæ concessioni nequaquam obstaret. Hinc ut advertit Corduba *Lib. 5. de Indulg. qu.* 20. Si Summus Pontifex Indulgentiam desponderet dantibus eleemosynam ad bellum contra Infideles, seu ad reparationem alicujus Ecclesiæ, quanvis finis movens principaliter esset cupiditas eas eleemosynas in pravos usus convertendi, de illarum validitate dubium nequaquam subreperet.

Nec refert si dicas, opus injunctum pro acquirenda Indulgentia ex fine perverso impletum, minime prodesse, ut quis illius fructum sibi comparet (quod nos inferius propugnabimus *Cap.* 10. *Art.* 4.) Igitur malus finis seu causa ex parte concedentis obstare videtur, ne Prælatus valide suis subditis Indulgentias largiatur.

Non refert inquam; quia quemadmodum dispensatio in votis & juramentis in suo robore perseveraret, etiamsi malus finis Prælatum ad hujusmodi dispensationem induceret, ita valida dicenda esset Indulgentiarum concessio, non obstante quod causa movens Prælatum concedentem non posset a malitia depurari. Exemplum de lucrante indulgentias nihil penitus concludit, quia lex Prælati concedentis est, opus injunctum pietatem sapere, atque honestatem redolere, ut fructus Indulgentiarum percipiatur; quod profecto minime impletur (ut latius dicemus loco citato) ubi ex perverso fine opus injunctum executioni mandari contingeret.

Conclusio. Pia causa exigitur ad validam Indulgentiæ concessionem. Ita communiter omnes Theologi.

Prob. 1.° Prælati gaudentes potestate concedendi Indulgentias se habent non tanquam Domini, sed tanquam Dispensatores Thesauri meritorum Christi & Sanctorum, juxta illud *Epist.* 1. *ad Corinth.* 4 = *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & Dispensatores mysteriorum Dei* = *&* 1. *Petri* 4 = *Sicuti boni Dispensatores multiformis gratiæ Dei* = Illi autem, qui Dispensatorum gerunt officium, non possunt de rebus Domini sine causa disponere. Quamobrem quemadmodum ut valida sit distributio Ærarii publici, & rata habeatur, fieri non debet præter voluntatem, ac præscriptum Principis, ita, ut proprium sortiatur effectum, & valida sit Indulgentiarum concessio, fieri debet juxta voluntatem Christi & Dei. Christi autem voluntas est, quod non fiat illius dispensatio, nisi causa pia occurrente, alias vellet potius dissipationem, quam dispensationem.

Igi-

Igitur causa pia semper exigitur ad validam Indulgentiæ concessionem.

Prob. 2.° Potestas Ecclesiæ collata ad remittendas poenas temporales peccatis debitas, est in ejus ædificationem, non vero in eversionem = *Non habemus* (inquit Apostolus 1.ª *ad Corinth.* 4.) *potestatem in destructionem, sed in ædificationem* = Vergeret autem in Ecclesiæ eversionem, animarumque perniciem, si non occurrente pia & justa causa, fieret valide Indulgentiarum concessio; ab operibus siquidem, quibus Deo pro peccatis satisfacere possunt, Christifideles cessarent, maximeque proclives ad vitia redderentur spe Indulgentiarum illecti: nec poenas in Purgatorio subeundas formidarent. Dicendum itaque est, causam piam exigi ad validam Indulgentiæ concessionem.

Prob. 3.° Indulgentiarum Dispensatores debent munus illud Dei exemplo exercere, cujus sunt Ministri. Porro Deus peccata remittens, non omnino gratis poenas temporales condonat, ut locum habeat justitia, sed poenitentem satisfactioni obnoxium relinquit, quam profecto non sine causa remittit. Ergo citra injuriam justitiæ non possunt sine causa pia Dispensatores Indulgentiarum absolutionem a poenis temporalibus Fidelibus impertiri.

Prob. 4.° Ad dispensandum in votis, quæ ex voluntate voventis ortum habent, necessario requiritur pia causa. Idem ergo fateri necesse est de dispensatione Thesauri Ecclesiæ, ut Fideles absolvantur a lege justitiæ, qua judicio Dei constringuntur, vel pati poenas peccatis debitas, vel eas media satisfactione persolvere. Idem confirmat loquendi modus Summorum Pontificum in suis Constitutionibus, ut constabit ex dicendis in Articulo immediate sequenti.

Objicies 1.° Finis Indulgentiarum intrinsecus in poenæ temporalis remissione consistens, sufficientem esse explicat honestatem. Sicut ergo propriæ satisfactionis officium alteri applicatum, & Sacramentalis absolutio prodesse possunt alteri, per hoc quod unice fiant ob finem relaxandi vel poenam temporalem, vel culpam, etiamsi vel absolutionis Sacramentalis, vel alienæ satisfactionis fructum percepturus, non præmiserit pro poena temporali satisfactionem, ita & Indulgentiæ ex causa duntaxat remittendi eandem poenam concessæ. Igitur hunc finem satis erit intendere Ecclesiæ Prælatum pro causa concessionis Indulgentiarum.

Resp. non semper honestum esse, hominem a miseria ac malo poenæ liberare, quando miseria aut malum poenæ majorem habet rationem boni, aut respectu ejus, qui illam patitur, aut per comparationem ad bonum commune, in ordine justitiæ potissimum elucens, cujus munus est, tam benemeritis præmia largiri, quam malos pro criminum qualitate poenis corrigere; & profecto ex nimia liberalitate dandi Indulgentias, mala sequerentur, scilicet otium, desidia, & major ad vitia facilitas. Ex quibus constat, quare quis, unice ex ratione sublevandi miseriam, possit pro alterius utilitate satisfactionem offerre, non vero Prælatus Indulgentiam dispensare; quia in primo casu, offerens se habet ut persona particularis, nec ut misericordiæ impendat officium erga alium, oportet, altiorem sibi finem præstituere, quam alteri subvenire. In secundo, Prælatus Ecclesiæ se gerit ut Judex, qui nequit, nisi legitima causa suadente, reum a poenis absolvere; debet enim ita misericordiæ virtutem exercere, ut detrimentum nequaquam subeat justitia. Hinc corruit paritas absolutionis Sacramentalis; hæc enim est forma Sacramenti Poenitentiæ, quæ rite, ac debito modo materiæ applicata, se habet per modum sententiæ, qua peccator a culpis absolvitur, & Deo reconciliatur (unde perperam Arnaldistæ cæterique Jansenistarum fautores affirmare non dubitarunt lege & præscripto Christi absolutionem esse satisfactioni postponendam: & per praxim mox absolvendi, poenitentiæ ordinem esse inversum) ea enim absolutio, circumscripto quocunque alio fine, ita intrinsecam explicat honestatem, atque poenitentis commodum promovet, ut bonum commune non adimat, quod & Ecclesiæ traditio, & praxis confirmat; ubi enim deprehenditur legitima poenitentis dispositio, nec præmissæ satisfactionis executio pro poena temporali, nec alius finis extrinsecus exigitur, ut absolutionis beneficium impendatur. E converso Indulgentiæ sunt solutiones & dispensationes ex Ecclesiæ Thesauro, ac per consequens concedi non debent nisi ex pia causa, quæ ad Dei honorem referatur.

Obji-

Objicies 2.° Christus D. Petro ejusque Successoribus plenitudinem potestatis super Ecclesiæ Thesaurum promittens, noluit in terris eundem alteri subesse, neque limitationem quantum ad causam in exercitio potestatis suo tempore conferendæ definire, sed absolute inquit *Matth.* 16. = *Quodcunque solveris super terram, erit solutum & in Cælis* = Ergo Summus Pontifex non tenetur causam piam in concessionibus Indulgentiarum adhibere.

Resp. plenitudinem potestatis Clavium de sui natura importare connexionem cum pia causa, quantum ad ejus exercitium; ea si quidem constituit Summum Pontificem, non quidem Dominum Thesauri Ecclesiastici, sed duntaxat Dispensatorem = *Dicendum* (inquit Glossa in Extravaganti *Unigenitus de Pœnitent. & Remissionib.*) *quod licet Papa habeat plenitudinem potestatis, quantum ad omnia bona Ecclesiastica, temporalia & spiritualia, non habet tamen eam ut Dominus, sed ut Minister & Dispensator Domini principalis; unde licet non habeat superiorem in terris, eum tamen habet in Cælis: & ideo dispensatio talium bonorum ab eo non debet fieri, nisi in illis casibus, in quibus verosimiliter apparet, quod Dominus, cujus sunt hujusmodi bona, consensum adhiberet, ut potestas semper ratione restringatur. Constat autem, quod Deo non placet, quod tanta bona sua sine causa rationabili concedantur; & ideo talis concessio non valet.*

ARTICULUS II.

An ad validam Indulgentiarum concessionem causa proportionata requiratur.

NONNULLI ex Doctoribus, qui cum sententia communiter recepta propugnant, causam piam exigi ad validam Indulgentiarum concessionem, negant ad eandem causæ proportionatæ necessitatem requiri; inter quos Paludanus in 4. *dist.* 4. *quæst.* 4. *in princip.* D. Antoninus *part.* 1. *tit.* 10. *cap.* 3. §. 1. Tabienna Verbo *Indulgentia num.* 10. relati a Passerino *qu.* 79. *num.* 564.: dummodo enim causa sit, & pietatem redoleat, arbitrantur, nullo modo irritam esse Indulgentiam, quanquam a culpa, eam concedens minime posset excusari; non quia Ecclesiastici Thesauri dilapidator, sed quia Dispensator indiscretus, non attenta causæ proportione, ejus divitias larga manu profunderet.

Conclusio. Ad validam Indulgentiæ concessionem non sufficit causa quæcunque pia, sed necessario requiritur proportionata. Hæc sententia verior est, & jam communis. Eandem tuentur D. Albertus Magnus in 4. *dist.* 20. *artic.* 17. D. Bonaventura *qu. ultima.* Richardus *art.* 3. *qu.* 1. aliique, quos affert & sequitur Suarius *disp.* 54. *sect.* 3. *n.* 1

Prob. 1.° Clemens VI. in Extravaganti *Unigenitus de Pœnit. & Remissionib.* asserit, hac lege D. Petro ejusque Successoribus creditum fuisse Ecclesiæ Thesaurum = *Et propriis & rationabilibus causis, nunc pro totali, nunc pro partiali remissione pœnæ temporalis pro peccatis debitæ tam generaliter, quam specialiter, prout cum Deo expedire cognoscerent, vere pœnitentibus & confessis misericorditer applicandum* = Itaque non servata conditione causæ rationabilis, irrita erit Indulgentiarum conceffio. Porro causa rationabilis cum proportionata coincidit. Rursus Martinus V. Constitutione supra laudata Incipiente *Inter cunctas* decrevit de hæresi Hussitica suspectum interrogari non absolute; an credat Summum Pontificem posse Indulgentias elargiri, sed cum addito causæ piæ & justæ = *Utrum credat, quod Papa omnibus Christianis vere contritis ex pia & justa causa possit concedere Indulgentias in remissionem peccatorum* = Nullas ergo esse censuit Martinus Pontifex Indulgensias sine justa causa concessas. Ad validam ergo Indulgentiæ concessionem non sufficiens est causa quæcunque pia, sed proportionata requiritur.

Pro. 2.° Tam rationi dissonum est, Prælatum Ecclesiæ ex parva causa magnam Indulgentiam concedere, quam ex nulla causa parvam. Sed ubi nulla causa Indulgentiæ concessionem præcederet, hæc non esset valida. Ergo nec valida erit concessio magnæ Indulgentiæ ex parva causa, ac per consequens ad validam Indulgentiæ concessionem justa ac proportionata causa exigitur.

Prob. 3.° Exemplo humanæ politiæ, in qua

qua tam civili quam Ecclesiastica animadvertimus, quod relictis redditibus in Civium utilitatem impendendis indeterminate, non taxata quantitate huic vel alteri, in illo aut isto casu conferenda, perspicuum est, distributionem fieri debere congrue ad causas, personas & circumstantias occurrentes: adeo ut, si aliter fiat, irrita ac contra Domini voluntatem censeatur. Thesauro itaque Ecclesiæ sub Prælatorum potestate constituto, juxta causæ proportionem debet distribui; ac per consequens non subsistit valida Indulgentiæ concessio, ubi causæ proportionatæ defectus contingit.

Prob. 4.° Authoritate D. Thomæ, qui, de Potestate concedendi Indulgentias in 4. *dist.* 20. *art.* 4. *quæstiunc.* 3. pertractans, inquit = *Potestas faciendi Indulgentias plene residet in Papa, qui potest facere prout vult, causa tamen existente legitima* = Causa autem, quæ proportionata non est, nequit esse aut dici legitima. De mente ergo D. Thomæ necessaria est causa proportionata pro valida Indulgentiæ concessione.

Hic tamen adverte cum communi sententia apud Suarium, quod si Indulgentiæ concessioni causa proportionata deficeret, non tota nullitatis vitio laboraret; quanquam enim quantum ad illum excessum, ratione cujus causa concessionis minime esset proportionata, irrita foret Indulgentia, tamen pro rata, pro qua causa adhibita fuisset, sufficiens valoris robur obtineret; sicut in præcedenti *Capit. Artic.* 2. diximus, Indulgentiam duorum annorum ab Episcopo in Basilicæ Dedicatione concessam contra Concilii Lateranensis statutum, quantum ad unum annum, validam esse, quia utile per inutile non vitiatur: & Pontifex sive Episcopus illam Indulgentiam facere censetur, quam potest.

Ex dictis colliges, quod ubi a principio causa proportionata non extitit ad despondendam perpetuam Indulgentiam, sed duntaxat ad tempus duraturam, tunc concessio facta hujusmodi Indulgentiæ non esset in totum valida, sed tantum pro tempore causæ proportionato; quia sicut servari debet proportio Indulgentiæ ad causam, ita ad durationem: adeoque eo tempore elapso deficeret Indulgentia, quantum ad suum valorem apud Deum; non quia cessaret causa physice (fieri enim potest juxta dicenda *Cap.* 13. *Art.* 3. ut ea tali modo pereunte, Indulgentia in suo robore perseveret) bene vero, quia a principio non fuit valida, nisi pro tali & tanto tempore.

Quæres 1.° Qualis causa censeri debeat Indulgentiæ proportionata?

Respondemus causæ proportionem ad Indulgentiarum concessionem requisitam, non sitam esse in aliqua propria quantitate vel æqualitate in ratione meriti & præmii, aut satisfactionis & remissionis inter causam & Indulgentiam, sed in convenientia atque adæquatione medii ad finem; ita ut ea causa proportionata censeatur, ad quam obtinendam hic & nunc, libratis omnibus circumstantiis, talis Indulgentia congruum atque conveniens medium reputatur. Causa autem hoc modo proportionata finem aliquem importat Deo gratum, cujus assecutio per Indulgentias, gratior futura videtur quam satisfactio Fidelium pro pœna temporali, alias subeunda sine Indulgentia. Et hæc causæ proportio non raro vel ab opere injuncto constituitur vel completur, non quatenus in se satisfactorio, arduo aut laborioso, sed ut medio apto & utili ad finis assecutionem, cujus gratia conceditur Indulgentia.

Observa tamen, proportionem causæ motivæ concessionis Indulgentiæ non importare indivisibilitatem, sed sua latitudine gaudere; consistit enim in convenientia & adæquatione medii ad finem habentis latitudinem boni, melioris & optimi, quo modo cadit sub honesta rationabilique electione: sicut rerum pretium gaudere dicitur latitudine rigorosi, moderati & mitissimi intra latitudinem justitiæ & æqualitatis.

Quæres 2.° An proportio seu adæquatio causæ concessionis Indulgentiarum debeat esse reipsa & a parte rei: an vero juxta prudentum æstimationem? ita ut etiamsi non sit proportionata & sufficiens re ipsa, æstimetur tamen prudenter talis a Prælato concedente Indulgentiam, concessio sit valida?

Respondemus: sufficere proportionem seu adæquationem secundum prudentum æstimationem. 1.° Quia S. Bonaventura

in 4. *dist.* 20. *artic.* 1. *quæst.* 6.ª de hac re disserens inquit = *Hæc quantitas* (nempe Indulgentiarum) *mensuratur secundum rectum judicium Summi Pontificis*, *vel ejus qui Indulgentias facit* = Rectum autem Prælati id concedentis judicium, cum prudenti æstimatione coincidit . 2.° Non est verosimile, Christum hanc potestatem Ecclesiæ suæ tali libramine exercendam dedisse, ut si reipsa vera inter causam seu finem concedentis & Indulgentiam proportio nequaquam attingeretur, non obtineretur totum, quod a Prælatis concedentibus intenditur; tum quia Prælati nunquam possent certam atque determinatam Indulgentiæ quantitatem rationabiliter concedere, propter dubium quod posset prudenter suboriri, an in causa, vera coram Deo proportio reperiretur; tum quia non plus postulat Christus ab Ecclesiæ Ministris, quam quod Spiritualis Thesaurus meritorum Christi & Sanctorum, eorum arbitrio prudenter modoque humano, dispensetur; juxta illud Lucæ 12. v.42. = *Quis putas*, *est fidelis dispensator & prudens*, *quem constituit Dominus super familiam suam*, *ut det illis in tempore tritici mensuram* = In humanis vero constat, gesta atque dispensata ab Œconomo secundum rectam æstimationem, rata & valida haberi; Quam rationem tradidit Gerson in *Tract. de Indulgent. consider.* 9. expendens Indulgentiarum requisita = *Præsupponit*, inquit, *tertio causam concessionis*, *seu distributionis hujusmodi Indulgentiarum legitimam*, *Clave scilicet Ecclesiæ non errante*, *neque Christo reprobante*, *ubi non certa & evidens notitia requiritur*, *sed æstimatio bonæ fidei*, *& probabilis conjectura*; *quemadmodum in distributione thesauri materialis de fisco regio vel Ecclesiastico*, *Papa vel Rex*, *vel alius distributor attenderet*.

Dices . In aliis effectibus ex opere operato, deficiente reipsa causa necessaria, quanquam de ejus existentia prudens intercederet judicium, id tamen non sufficeret ad eorundem assecutionem . Et hoc 1.° Ministri Confessionis Sacramentalis exemplo ostenditur, qui pœnitentem Sacramentaliter absolveret, in eo existimans adesse causam necessariam, seu dispositionem indispensabiliter requisitam ad peccatorum remissionem; si enim in hoc defectus contingeret, nec absolutionis Sacramentalis beneficium valide impenderet, nec gratiam sanctificantem peccatorum remissivam communicaret . 2.° Pœnitentialis satisfactionis exemplo, quam esto Confessarius prudenter, ad satisfaciendum Deo proportionatam, existimaret, si reipsa & coram Deo gravitati culparum ea minime commensuraretur, non posset integre temporalis pœnæ reatum eisdem culpis respondentem auferre.

Resp. ad 1.m, causam necessariam seu dispositionem requisitam ad percipiendum fructum Confessionis Sacramentalis non se tenere ex parte absolventis Sacramentaliter, sed ex parte recipientis seu accedentis ad Sacramentum Pœnitentiæ, adeoque reipsa debere existere; nequit enim adultis infundi gratia peccatorum remissiva, quin præcesserit actus peccatorum retractativus, & quidem ex supernaturali fine; quia quemadmodum homo culpæ lethalis reatum nequaquam incurrit, nisi per actum voluntatis avertatur a Deo, & convertatur ad creaturam, ita nec per gratiam ab eodem eximitur, nisi mediante actu voluntatis avertatur a creatura, & convertatur ad Deum = *Justificatio Impii* (ait D. Thomas 1. 2. *q.* 113. *art.* 5.) *est quidam motus*, *quo humana mens movetur a Deo a statu peccati ad statum justitiæ . Oportet igitur quod humana mens se habeat ad utrunque extremum secundum motum liberi arbitrii*, *sicut se habet corpus localiter motum ab aliquo movente ad duos terminos motus . Manifestum est autem in motu locali corporum*, *quod corpus motum recedit a termino a quo*, *& accedit ad terminum ad quem . Unde oportet quod mens humana*, *dum justificatur per motum liberi arbitrii*, *recedat a peccato*, *& accedat ad justitiam* = Causa vero ad Indulgentias elargiendas requisita non se tenet ex parte recipientis, sed potius ex parte concedentis, ne Prælatus Ecclesiæ prodigus, sed prudens Dispensator inveniatur; quod fit, quoties juxta prudentiæ regulas operatur, & tunc fideliter Thesaurum Ecclesiæ dispensare dicendus est . Ad 2.m respondent nonnulli Doctores, negando assumtum; putant enim cum Scoto, Gabriele, Medina, Sacramentale Judicium institutum

tutum fuisse, ut humano modo peragendum: ideoque prudenter lata sententia satisfactionis ponendæ adæquatæ gravitati culparum, ipsam efficaciam habere ad totam pœnam temporalem remittendam, quantumvis, ea quæ debetur coram Deo, major aut minor esset materialiter; quod profecto si verum esset, nihil evinceretur ad institutum.

Sed hanc responsionem non recipimus; quanquam enim verum sit, Christum potuisse decernere, per satisfactionem, juxta prudens Confessarii judicium, culpis proportionatam, totam pœnam temporalem remitti, non tamen ex Sacra Scriptura, Conciliis aut Patribus fundamentum habemus, unde colligamus, de facto ita fuisse ordinatum. Eo vel maxime, quod si pœnæ reatus expungeretur totaliter ab injuncta satisfactione, quæ juxta rectam Confessarii existimationem pœnæ relaxandæ æqualitatem attingeret, plura scire opus esset, quæ captum humanum excedunt, quæque cognoscere est moraliter impossibile. Cui enim innotescit quantitas pœnæ, vel hujus præsentis vitæ vel futuræ cuilibet peccato respondens? Quanta sit peccatorum gravitas tam in specie ac individuo, quam in intensione ac duratione? Rursus quanto animi dolore pœnitens excitatus ad Sacramentalem absolutionem recipiendam accedat, ut inde prudenter percipi valeat, pœnæ luendæ reatum jam diminutum minoribus pœnitentiæ laboribus ad sui expiationem indigere?

Ad aliam itaque responsionem pro Objectionis solutione recurrimus, dicendo: Pœnitentiæ Sacramenti Ministrum indicentem satisfactionem non immediate debitum pœnæ temporalis remittere, sed Sacramenti partem applicare, habentem virtutem ad illud remittendum: eundemque latere, an coram Deo pœnitentia, quam injungit, totam vel partem pœnæ temporalis debitæ culpis adæquet: Prælatum vero gaudentem potestate concedendi Indulgentias, non applicare causam, ut ea mediante pœnæ temporalis debitum remittatur, sed per se ipsum virtute Clavium Christifideles judicialiter absolvere, injuncta ut inplurimum per modum conditionis alicujus pii operis executione: eundemque cognoscere virtutem Indulgentiæ, quæ si sit Plenaria, quodcunque pœnæ temporalis debitum exolvit, ubi subjectum sit ad id prævie dispositum, si vero partialis, ad remissionem duntaxat partis se extendit.

Objicies 1.° contra Conclusionem. Ideo ad validam Indulgentiarum concessionem exposceretur causa proportionata, quia alias esset injusta. Defectus autem justitiæ concessionem illam irritam non redderet. Primo, quia Excommunicatio injuste contra subditum lata esset duntaxat illicita. Secundo, dispensatio in lege justam causam non involvens non censeretur nullitatis vitio laborare, possetque dispensatus citra scrupulum legem non servare; quanquam hujusmodi dispensatio opponeretur justitiæ legali, quæ curat potissimum, leges in suo vigore servari, quatenus (ut notant PP. Salmanticenses Scolastici in *Tract. de Virtutibus in Arbore Prædicamentali*) media earum observatione bonum commune promovetur. Tertio, collatio beneficii facta indigno justitiæ distributivæ contraria valide sustinetur. Ergo ut valida sit Indulgentiæ concessio, non requiritur causa proportionata.

Resp. ea quæ in Argumento adducta sunt, non probare valorem Indulgentiæ seclusa causa proportionata. Non primum; duobus enim modis potest esse ac dici injusta Excommunicatio, vel ob defectum solemnitatum, quæ accidentaliter requiruntur in jure, puta quod non fuerit lata in scriptis, aut non præmissa triplici monitione: vel quia justa causa non supponitur, seu quia culpa subditi non adeo gravi pœna corrigi merebatur. Primo modo, nihil reperiretur in Excommunicatione, unde de ejus valore posset prudenter dubitari. Altero modo valida esse non posset; quod profecto concludit, idem dicendum esse de Indulgentia ob defectum causæ justæ seu proportionatæ. Exemplum de dispensatione nihil evincit, hæc enim in lege humana data ab eo, qui legem tulit, vel ejus superiore, aut æqualis potestatis, ex legislatoris voluntate dependet, qui sicut potuisset legem non condere, eandemque, justa etiam causa deficiente, in totum abrogare: aut quando promulgatur, declarare, hos, & non illos adstringere, ita cum eo, qui sibi placuit, dispensare. Cæterum vim remittendi pœnam temporalem obtinent Indulgentiæ ex meritis Christi & Sanctorum, non vero ex Ecclesiæ

Prælatis, qui ad eas concurrunt ut Ministri Christi, & Dispensatores Thesauri Ecclesiæ.

Admisimus dispensationem duntaxat in lege humana datam ab eo, qui legem tulit, vel cjus superiore, vel æqualis potestatis validam esse; sed aliter dicendum est, si dispensatio ab inferiori procederet, ut permittitur in *Cap. Postulatis de Clerico excommunic. ministran.* vel quia id æquitas juris, & bonum commune, aut prudens regimen petat: vel facienda sit in Legibus Summi Pontificis, sicut in impedimentis Matrimonii, sive in aliis gravioribus casibus, ubi ad eundem non esset facilis accessus; tunc enim esset prorsus invalida, cum potestas inferioris ad dispensandum in lege superioris nequeat juxta suæ voluntatis arbitrium exerceri, sed secundum superioris beneplacitum; & ideo irrita foret dispensatio Summi Pontificis tanquam Vicarii Christi in votis & juramentis, ubi pia ac rationabilis causa eam non suaderet; unde eam S. Bernardus *lib. 3. de Considerat. ad Eugen.* vocat = *Dissipationem*, non factam *de plenitudine potestatis*, *sed de plenitudine tempestatis* = Ad 3. respondemus 1.° (quidquid sit de antecedenti) non esse in utroque parem rationem; collatio enim beneficii facta indigno justitiæ opposita, violat quidem jus Divinum, eandem prohibens, non tamen dispensationem importat alicujus rei Divinæ, & Divini juris; est enim distributio rei humanæ, quia beneficium, esto sit res Ecclesiastica, & aliquo modo Spiritualis, est res humana sub dominio hominum cadens, atque per homines immediate confertur. Concessio autem Indulgentiæ, supposito causæ proportionatæ defectu, non solum Divino juri opponeretur, sed etiam esset aliquo modo dispensatio rei Divinæ, sive meritorum Christi, & in jure Divino, quod scilicet Deo convenit in punitionem & vindictam malefactorum: & indirecte in obligatione exhibendi pœnitentiam Sacramentalem ut solutivam pœnæ temporalis.

Resp. 2.° cum Passerino *qu. 79. nu. 571.* boni communis necessitatem exigere, collationem beneficii etiam contra justitiam distributivam validam esse, ac reputari, quia boni communis ratio postulat, Prælato jam constituto, eam potius validam esse, quam irritam. Alias Ecclesia certa non esset de suis Prælatis, si foret disputandum, an collatio dignitatis fuerit vel non contra justitiam distributivam. Igitur valida ea collatio reputanda est, cum & merito censeatur, Ecclesiam (cujus sunt bona, quæ per beneficia distribuuntur) eam validam velle, ne sequantur gravissima incommoda, & aliunde ex illorum collatione nullum incommodum sequeretur, semper enim remaneret obligatio eam irritandi. In Indulgentiis autem totum e converso est.

Objicies 2.° ut valida sit, & habeatur Indulgentia, sufficit quod detur juxta intentionem Christi, qui Thesaurum Ecclesiæ suis satisfactionibus congregatum Summo Pontifici dispensandum commisit. Intentio autem Christi ea fuit, ut Dei honor promoveretur, qui licet minimus, magis est Deo gratus ac æstimandus, quam sit quælibet uberrima Indulgentiæ concessio. Ergo quælibet causa pia, quæ Dei honorem promovet, erit sufficiens ad valorem Indulgentiæ.

Resp. admittendo quamlibet causam piam Dei honorem promovere, non tamen sufficere circumscripta proportione, ad Indulgentiam concedendam; quia in præsenti attendi non debet Dei honor secundum se, sed ut quæsitus per hujusmodi medium: ita ut libratis omnibus major honor Dei ex Indulgentiæ concessione credatur consurgere, quam ex rigorosa injunctione pœnæ in peccatorum vindictam; non raro autem major honor Dei promovetur ex pœna injuncta vel satisfactione ad pœnæ temporalis solutionem præstita; eo, quod posset ex quacunque causa pia improportionata obtineri = *Non recte consideratur* (inquit Suarius *loc. supracit. n. 20.* *Divinus honor secundum se, sed ut intentus & quæsitus per tale medium: hoc autem modo non pertinet ad Divinum honorem, etiam minimum, ut talis finis improportionatus per tale medium inquiratur: quia etiam satisfactio pro pœna & vindicta delictorum pertinet ad Divinum honorem, quia sæpe est longe major, quam ille, qui redundare posset ex causa pia, levi, & improportionata. Oportet ergo ut, omnibus pensatis, resultare credatur major honor Dei ex concessione Indulgentiæ, quam sine illa possit*

sit sperari ex rigorosa peccatorum vindicta.

Objicies 3.° Non raro pro eadem causa pia, puta pro eadem Ecclesiæ visitatione modo septem annorum, modo amplior conceditur Indulgentia: imo aliquando recitantibus semel Pater & Ave, vel assistentibus præ foribus Basilicæ S. Petri, Summo Pontifice solemniter Populum benedicente, idem spiritualis favor despondetur: uberiores insuper remissiones hujusmodi largiuntur ad preces & petitiones personarum munere & dignitate fulgentium, quæ profecto si deficerent, nequaquam Thesaurus meritorum Christi & Sanctorum tanta liberalitate dispensaretur; & hoc habetur in Extravaganti *Unig. de Pæn. & remissionib.* ubi Clemens VI. dicit, se precibus ac supplicationibus Populi Romani motum fuisse, ut Plenariam Indulgentiam, a Bonifacio VIII. quolibet anno centesimo recurrente indictam, ad quinquagesimum annum revocaret = *Nos autem attendentes ..... clamorem peculiaris Populi nostri Romani, videlicet hoc* reductionem Jubilæi ab anno centesimo ad quinquagesimum *humiliter supplicantis* = & Sixtus IV. Constitutione incipiente: *Quemadmodum* relata in *Differt. proœmiali* §.7. n.17. testatur, se ac Paulum II. Prædecessorem suum ob eandem rationem plurimas peccatorum remissiones concessisse = *Verum*, inquit, *quia tam Nos, quam idem Paulus Prædecessor noster, dum in humanis ageret, animarum saluti fidelium intenti, multorum Principum & aliorum Christifidelium, ac devotarum personarum pulsati precibus diversas Indulgentias & peccatorum remissiones plenarias nonnullis Ecclesiis, Monasteriis & Piis Locis duximus concedendas* = Quæ profecto concessiones irritæ fuissent, si Indulgentiæ causam proportionatam exposcerent. Non ergo ad validam Indulgentiarum concessionem necessario requiritur causa proportionata.

Resp. 1.° verum esse, pro eadem causa modo majorem, modo minorem Indulgentiam concedi, quia passim pro causa, quæ, secundum proportionem quam dicit amplior est, Indulgentia minor impenditur, ne ex nimia Indulgentiarum liberalitate Ecclesiastica Disciplina relaxetur; ubi vero hujusmodi periculum non subest, major Indulgentia tribuitur; quod ex prudenti Prælatorum arbitrio dependet.

Resp. 2.° videri interdum eandem causam ob operis similitudinem, considerato opere injuncto physice, revera tamen constare esse diversam moraliter, expensis circumstantiis in una potius, quam in alia occurrentibus, ratione quarum, major potest utilitas vel necessitas reperiri, uno tempore potius, quam alio; pietas nanque seu convenientia causæ respectum dicit ad bonum Ecclesiæ, atque ad Dei honorem inde prudenter, seu rationabiliter speratum: & ideo idem opus, puta Templi visitatio, ob majorem Ecclesiæ Catholicæ utilitatem vel necessitatem, hoc potius tempore quam alio, exercita potest esse causa conveniens ac proportionata, eandemque complere ad Indulgentiæ plenariæ concessionem, quæ alias vix ad partialem sufficeret = *Ex causa eadem* (dicit Cajetanus in *tract. 15. disput. 8.*) *secundum se datur Indulgentia parva, & quandoque maxima: & apparet quod eadem sit causa totaliter, & non est eadem in veritate secundum se, est enim relata valde major se ipsa absolute: V.G. visitatio Ecclesiæ Sancti Petri æqualis est secundum se hodie, & in anno Jubilæi, sed non est æqualis relata ad professionem unitatis Ecclesiæ sub uno Capite Petri Successore (ad quod in anno Jubilæi refertur ab universo Orbe terrarum) est immensa causa Indulgentiæ* = Ex qua doctrina colligitur, causam dari proportionatam pro Indulgentia concedi consueta, quum Summus Pontifex in Cœna Domini, vel aliis diebus, Christifidelibus præsentibus vel ante fores Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, vel in Monte Quirinali, e Specula solemniter Benedictionem impertitur; ea siquidem præsentia secundum se, & absolute inspecta quid levissimum est, magnum tamen in ratione causæ prædicto tempore, utpote quæ est medium aptum & utile, ad Fidei Catholicæ protestationem de Capite Visibili universalis Ecclesiæ; manent enim ibi Christifideles profitentes sub uno Capite Visibili unitatem, & plenissimam Summi Pontificis in tota Ecclesia Catholica Auctoritatem. Quod profecto nemo non dixerit summam importare proportionem cum Indulgentia plenaria. Ut occurramus exemplis Indulgen-

gentiarum, quæ aliorum precibus conceduntur, inutile prorsus non erit advertere, in duplici sensu posse preces Indulgentiarum largitionibus prodesse. 1.° ut jam causa motiva justa ac omnino proportionata supponatur, qua expensa, quanquam nollet Summus Pontifex id concedere, ut caute ac moderate in Ecclesiastici Thesauri dispensatione procedat,annuit tamen aliorum precibus excitatus. Et hoc modo videtur, quod Clemens VI., supplicante humiliter Populo Romano, centenariam Jubilæi Indulgentiam ad annum quinquagesimum reduxerit. 2.° ut de facto causa proportionata Indulgentiæ plenariæ concessioni deficiat; eæ tamen porrectæ a personis eximiis ob dignitatem, atque munerum excellentiam, vel ob præclara gesta de Christiana Republica benemeritis, valeant causam Indulgentiis proportionatam complere, atque constituere. Diximus *constituere*, quia cum Principum preces sint quædam fidei protestatio, ac specialis ergo Sedem Apostolicam devotio, ex se solæ possent adhuc congrue Indulgentiarum remunerationem promereri. Et hoc modo Paulus II. & Sixtus IV. Indulgentias illas merito concesserunt. Addimus, ad majorem Argumenti solutionem, pro nostræ Conclusionis propugnatione minime teneri Doctores ad asserendum, in omnibus ac singulis Indulgentiarum concessionibus justam atque proportionatam causam intervenire; hujusmodi enim res facti est; quare sicut non est omnino certum, absolvi eos omnes valide, quos Summus Pontifex absolvit, aut semper validam esse voti dispensationem, quam concedit, sic non oportet, quod sit semper certus Indulgentiarum valor, quanvis in dubio semper sit pro valore præsumendum; multa enim novit superior, quæ latent subditos, & quæ possunt reddere rationabiles concessiones, ut sentit Cardinalis de Lugo de *Sacrament. Pœnit. disp.* 27. *sect.* 8. §.2. *nu.* 143.

Objicies 4.° si necessario exigeretur causa proportionata pro Indulgentiæ concessione, illa deficiente nihil prodessent ceteri favores intuitu Indulgentiæ Christifidelibus collati. Accessorium nanque sequitur naturam principalis; quapropter is, qui ratione Jubilæi percipiendi dispensationem a votis, vel absolutionem a reservatis impetraret, si causæ proportionatæ ad Indulgentias concedendas suboriretur suspicio, non posset tuto favoribus illis gaudere. Quod certe a nullo Doctore recipitur. Non ergo exigitur necessario causa proportionata pro valida Indulgentiæ concessione.

Resp. Aliud esse ratione Indulgentiæ moveri Summum Pontificem ad prædictos favores concedendos: aliud vero inter eosdem, ac Indulgentiæ valorem dependentiam constituere. Primum est verum; quandoque enim, ut facilius inducantur Christifideles ad Indulgentiæ plenariæ assecutionem, hujusmodi favoribus cumulantur: non tamen secundum; adeoque licet ob defectum causæ proportionatæ irrita prorsus foret Indulgentia, non tamen prudenter dubitari posset de favorum subsistentia, dummodo votorum dispensationem justa causa præcederet, & debita dispositio ex parte absolvendi. = *Neque obstat* (inquit Suarius *Disput.*54.*sect.*2.*nu.*18.) *quod simul cum Indulgentia concedantur* hi favores, *vel propter illam, nam interdum se habent mere concomitanter, seu accumulative: & tunc nulla est omnino ratio dubitandi, ut quando conceditur facultas audiendi Sacrum tempore interdicto, vescendi lacticiniis tempore prohibito, & similia. Aliquando videntur concedi in ordine ad Indulgentiam, ut homo facilius se disponat ad illam obtinendam: & de his procedit ratio dubitandi; sed nullum scrupulum ingerere debet, quia, licet intentio Pontificis revera sit, unum concedere in ordine ad aliud, non tamen vult, ut valor Indulgentiæ sit conditio necessaria, sed absolute vult utrunque, & in utroque vult operari quantum potest, quanvis in unum moveatur ex intentione alterius; quia vero plus potest circa dispositionem, quam circa ipsam (ut sic dicam) ideo fieri potest, ut una concessio sit valida sine alia. Atque hinc sequitur, absolutionem a reservatis, vel dispensationem in voto, &c. factam ex vi talium privilegiorum esse validam. Dico autem, quantum est ex hoc capite, quia oportet, ut alia necessaria concurrant, ut V.G. quod dispensatio in voto fiat ex legitima causa, quod absolutio a reservatis fiat cum debita dispositione, & similia: nam in hoc sensu datur talis facultas, neque aliud intendit Summus Pontifex, nec potest, quia hæc jam attingunt jus Divinum.* A R-

ARTICULUS III.

An præter supradicta requiratur Causa publica pro valida Indulgentiarum concessione.

CAUSÆ publicæ nomine ea intelliguntur, quæ bonum commune concernit. Eandem, ad quancunque Indulgentiam Christifidelibus despondendam, prærequiri, censuit Albertus Magnus in 4. *dist.* 20. *art.* 17. illam exemplificans in auditu Verbi Dei, frequentatione Reliquiarum, & hujusmodi. Cui opinioni adhæsit Sotus in 4. *dist.* 21. *quæst.* 2. *art.* 2. dicens = *Cum Thesaurus sit bonum commune, non nisi pro alio bono in communi dispensari valet: & ita habent omnes Indulgentiæ, quæ publicitus conferuntur, quia nunquam, ut paulo ante dicebamus, prædicantur, nisi ingruente aliqua communi Ecclesiæ necessitate. Dare tamen Indulgentias, nulla tamen imminente causa communi, sed ob causam particularem, nempe intuitu & precibus cujusdam personæ nobilis, vel propter suam particularem affectionem ad aliquid Sacellum, vel Altare, vel certe ad extollendam suam authoritatem (ut cum omni obedientia, quæ Ecclesiæ debetur loquar) non res antiqua est, nec sinceritatem causæ, quæ in Indulgentiis observanda est, præseferre videtur. Quare neque solidam habet valoris certitudinem, quia non tam in utilitatem Ecclesiæ conferuntur, quam ex mera supplicatione petentium* = His tamen non obstantibus sit

Conclusio. Indulgentiarum concessio ita causæ debet correspondere, ut necessaria sit causa communis, in bonum universale Christianæ Reipublicæ redundans, si toti Ecclesiæ Indulgentia concedenda sit: particularis vero, si particulariter fiat: ac personalis si alicui personæ detur. Ita Suarius in *Disp.* 54. *sect.* 4. *nu.* 4. Passerinus *qu.* 82. *num.* 577.

Prob. 1.ª pars. Juxta modum concessionis Indulgentiæ, debet esse modus causæ, ob proportionem, quam, inter utranque reperiri, necesse est. Ergo si Indulgentia danda sit cunctis Christifidelibus, debet causa saltem indirecte bonum commune eorundem respicere, secundum prudentum æstimationem; alias proportio inter causam & Indulgentiam necessario requisita deesset. Consulto diximus: Si Indulgentia pro cunctis Christifidelibus sit concedenda, debet causa saltem indirecte bonum commune respicere. Ex laudabili siquidem Ecclesiæ consuetudine didicimus, non raro dari, ac datas fuisse Indulgentias pro bono Provinciæ particularis; unde Innocentius III. in Concilio Lateranensi plenam fecit remissionem pro recuperatione Terræ Sanctæ & pro pugnantibus contra Hæreticos; ut habetur *Cap. excommunicamus* 1. §. *Catholici*, *de Hæreticis*; ita enim particulare bonum per eam Indulgentiam intentum fuit, ut communi Christianæ Reipublicæ utilitati prodesset, ac bonum totius juxta prudentum æstimationem censeretur. Idem dicendum est de Indulgentiis, omnibus confluentibus ad peculiarem locum concessis; quia quantumvis Sanctum aliquem directe respiciant, speciali veneratione colendum, ejus tamen celebritas indirecte commune bonum promovet, ut patet in concessis pro confluentibus SS. Apostolorum Petri & Pauli Limina, ac pro visitatione S. Jacobi Compostellani. A quo dicendi modo alienus non est Fillucius *tract.* 8. *cap.* 3.° *num.* 123. (esto si verborum corticem attendamus, dissentire videatur) docens enim causam etiam particularem sufficere ad Indulgentiam generaliter concedendam, explicat suam sententiam, quum ait: quod illa peculiaris causa commune Christianæ Reipublicæ bonum notabiliter adjuvat.

Observa tamen, bonum commune, quod statuimus, ad constituendam causam pro generali concessione Indulgentiæ proportionatam, non oportere esse immediate aliquid spirituale, sed sufficere, quod sit mediate, nempe temporale, ad spirituale tamen relatum = *Non oportere* (inquit Suarius *sect. citat. num.* 6.) *utilitatem hanc immediate esse spiritualem; aliquando enim esse potest temporalis, qualis est defensio Ecclesiæ ab hostibus ejus, aut expulsio famis, aut pestis a Deo impetranda; ut satis constat ex usu Ecclesiæ. Et ratio est clara, quia sicut est honestum, hæc bona a Deo petere, præsertim pro tota communitate, ita est optimum adjungere favorem Indulgentiæ, ut hujusmodi oratio devotius, & fre-*

frequentius fiat. Hac enim ratione sæpe etiam conceduntur Indulgentiæ in solemnitate alicujus festi, ut majori devotione celebretur, ut in Clement. unica de Reliquiis & venerat Sanctorum de Festo Corporis Christi, & in Extravag. 1. & 2. eodem titulo de Festo Conceptionis. Item est alia ratio, quia sæpe licet bonum Spirituale ordinare ad temporale, quando totum refertur ad Dei honorem: hæc autem bona temporalia Ecclesiæ ejusque pax temporalis ad Spiritualem & ad Dei honorem ordinatur. Atque huc spectat causa Indulgentiæ, quæ proponitur in Cap. Cum ex eo de Pænit. & Remissionib. nimirum erigere, aut sustentare Hospitale: nam licet finis proximus hujus operis corporalis esse videatur, tamen & ipsum opus per se ipsum est, & ad augmentum charitatis, & commune bonum ordinatur. Idemque a fortiori dicendum est de instauratione Templi, aut aliarum rerum sacrarum. Imo antiquitus vix concedebantur Indulgentiæ, nisi propter hujusmodi fines.

Prob. 2.ª pars. Ita se habet causa communis, ad bonum universalis Ecclesiæ pro Indulgentia cunctis Christifidelibus concedenda, sicut bonum particulare Regni, Provinciæ, Diœcesis, aut Congregationis pro peculiari concessione iis facienda, qui sunt de Provincia, Diœcesi, aut Congregatione. Sicut ergo primum exigitur pro generali Indulgentiæ concessione, ita secundum pro particulari.

Quod si reponeres, personalem atque privatam causam salutis Regis, Principis, aut Prælati præbere quandoque causam sufficientem atque convenientem, ut aperiatur Ecclesiæ Thesaurus meritorum Christi & Sanctorum pro Regno, aut Provincia, citra controversiam admittimus; veruntamen ea causa non gerit munus causæ motivæ convenientis, quatenus spectat ad particularem personam, sed prout bonum publicum respicit. Enim vero si Rex sapiens stabilimentum Populi est, ac Prælatus forma gregis factus ex animo, potens in opere & sermone, nec non prudentia & sanctitate præditus valet plurimum ad erudiendum populum Dei, publicæ profecto Regni, Provinciæ ac Diœceseos utilitati consulitur, ubi eorum salus hujusmodi medio perquiritur. Idque servata proportione dicendum est, quanquam persona non ex munere, sed ex nobilitate, literis, aut alia prærogativa Regno, aut Provinciæ maximam utilitatem esset verosimiliter allatura. Imo si merita Regis, Principis, aut alterius personæ, universalis Ecclesiæ bono plurimum prodessent, fieri posset generalis concessio, propter bonum quod Regi, aut Principi speratur obventurum. Tum quia non tanquam privatam, sed commune Christianæ Reipublicæ putaretur. Tum quia ea generalis concessio se haberet uti præmium virtutis, aut grati animi officium, ut omnibus innotescat, Sedem Apostolicam gratias ac spirituales favores benemeritis Principibus impertiri. Hinc Innocentium IV. orantibus pro Rege Galliæ decem Indulgentiarum dies concessisse, testis est Angelicus Præceptor in 4. *dist.* 20. *art.* 3.

Prob. 3.ª pars. Ut persona particularis in lege dispensationem obtineat, non exigitur recursus ad causam communem, sed sufficit causa privata ex parte illius se tenens. Ergo ut Indulgentia alicui privatæ personæ concedatur, satis erit causa privata. Et hoc Apostoli exemplo confirmatur, qui, ut habetur 2. *ad Corinth. cap.* 2. fornicarium Corinthium Indulgentia donavit, non intuitu boni communis, sed ne tædio vitæ affectus desperaret = *ne forte*, inquit, *abundantiori tristitia absorbeatur* = Unde D. Ambros. *lib.* 1. *de Pænit. c.* 7. = *Si satis est, ait, ad condemnandum objurgatio, quæ fit a pluribus, satis est quoque ad remissionem peccati obsecratio, quæ fit a pluribus. Moralis Magister, & nostræ infirmitatis conscius, & pietatis Divinæ interpres, vult donari peccatis, vult consolationem adhiberi, ne tristitia pænitentem tædio longæ dilationis absorbeat. Ideo ergo donavit Apostolus. Nec solum donavit, sed etiam in eum voluit confirmari charitatem. Nec solum donavit ipse, sed voluit etiam omnes donare* = Ergo si concessio Indulgentiæ particulariter fiat, sufficit causa particularis.

Objicies 1.º contra tertiam partem Conclusionis. Thesaurus meritorum Christi & Sanctorum, ex quo fit Indulgentiarum dispensatio, est in publicam Ecclesiæ utilitatem congregatus. Solum ergo poterit Christifidelibus distribui causa communi, & communi utilitate concurrente.

Resp.

Resp. Ecclesiæ Thesaurum ita propter bonum publicum fuisse congregatum, ut facultas Summo Pontifici tradita fuerit illum dispensandi ex *propriis & rationabilibus causis* (ut loquitur Clemens VI. in Extravaganti *Unigenitus de Pœnit. & Remissionib.*) Rationabilis autem causa tum pro generali tum pro particulari concessione potest multifariam contingere, sicut in dispensatione Thesauri temporalis Reipublicæ fieri quandoque, compertum est.

Dices. Si bonum privatum sufficeret pro causa necessario requisita ad elargiendam Indulgentiam, particularis utilitas eorum omnium, qui ex humanis decedunt, esset ad eam concedendam causa proportionata.

Resp. per se loquendo dictam causam sufficientem esse, unde & sæpiuscule propterea pro causa privata conceduntur, sed non semper, ne Claves Ecclesiæ contemnantur,& pœnitentialis satisfactio enervetur, quod cavendum observavit Concilium Lateranense IV.

Obiicies 2.° Ad cognoscendam causam propriam & rationabilem Indulgentiarum, attendi debet antiqua Ecclesiæ disciplina, quæ illas, nisi ex causa communi, concedere minime consuevit; ut patet in Concessione Urbani II. in Concilio Claramontano, Callisti II. in Lateranensi I. aliisque similibus. Ergo semper necessaria est causa universalis pro Indulgentiis.

Resp. ex veteri Ecclesiæ praxi nos edoceri, non raro pro causa privata datas fuisse Indulgentias, ut perspicue demonstrat, tum quod gessit Apostolus erga fornicarium Corinthium, tum quod concesserunt Episcopi ad Martyrum preces, tum quod statuit Concilium Nicænum can. 2. = *De iis* (dicit) *qui propter necessitatem prævaricati sunt, aut propter abolitionem facultatum, aut propter periculum, aut aliquid hujusmodi, quod factum est sub tyrannide Licinii, placuit Sanctæ Synodo, licet indigni sint, misericordia tamen aliquid circa eos humanius ostendi.*

Ex hucusque dictis colliges, Indulgentias pro porrigentibus manus adjutrices olim datas validas omnino extitisse, atque causam omnino piam ac proportionatam habuisse. Id omnino inferendum duximus contra Lutherum & Calvinum, qui eas reprobarunt velut bonorum operum remissiones, ac quæstuosas nundinationes; ut dictum est in *Differt. Proœm.* §. 6. & c. 2. art. 1. Non enim hæc recentior consuetudo fuit, sed Praxis Ecclesiæ superioribus sæculis servata, ut passim desponderetur Indulgentiæ pro eleemosynis insumendis ad pauperum inopiam sublevandam, constructionem & manutentionem Ecclesiarum, pro expensis sacrarum Expeditionum contra Infideles. Ex mandato Pontii Arelatensis Ecclesiæ Archiepiscopi, quod affert Lucas Dacherius in *Tom. 6. Spicileg. pag.* 427. habes in Dedicatione Ecclesiæ Montis-Majoris latam fuisse sub hac forma Indulgentiam = *Illos, qui de minoribus peccatis sunt confessi, & habeant pœnitentiam acceptam, si venerint ad Dedicationem Ecclesiæ, aut semel in anno cum adjutorio ad opera Ecclesiæ, absolvimus de una medietate acceptæ pœnitentiæ usque ad unum annum* = Pœnitentiarum Canonicarum redemtiones, de quibus egimus in *Differtat. Proœmial. citat.* §. 4. commendat S. Petrus Damiani in *Epistola* 12. *ad V. Episcopum* data scribens = *Non ignoras, quia cum a pœnitentibus terras accipimus, juxta mensuram muneris eis de quantitate pœnitentiæ relaxamus, sicut scriptum est: Divitiæ hominis redemtio ejus* = Quæ fuerint Indulgentiæ, & ex qua causa datæ Alexandro III. Summum Pontificatum regente, colliges ex ejus responso ad Archiepiscopum Cantuariensem relato in cap. *Quod autem de Pœnit. & Remissionib.* ubi decernitur = *Indulgentias & remissiones, quæ fiunt in DedicationibusEcclesiarum,aut conferentibus ad ædificationem Pontium non aliis prodesse quam iis, qui remittentibus subsunt* = Celebris est præ cæteris Indulgentiis a Sede Apostolica concessis ea, quam fecit Innocentius III. in Concilio Lateranensi IV. Patribus ibi congregatis id approbantibus, pro Christifidelibus, qui stipem præberent ad Terræ Sanctæ subsidium = *Eis, qui suis duntaxat expensis*, inquit, *juxta facultatem, & qualitatem suam viros idoneos destinarint, plenam suorum concedimus peccatorum remissionem. Hujus quoque remissionis volu-*

lumus, & concedimus esse participes juxta qualitatem subsidii, & devotionis affectum omnes, qui ad subventionem Terræ Sanctæ de bonis suis congrue ministrabunt = Non dissimilem gratiam concessit Innocentius IV. in Concilio Lugdunensi 1., Generali XIII. illis, qui in ultimis voluntatibus aliquid vel ad Terræ Sanctæ, vel Imperii Romani subsidium tribuerent. Accedit, quod ut verum sit, Indulgentias pro porrigentibus manus adjutrices habuisse causam piam, justam ac publicam, satis est, cessisse in Dei honorem & Ecclesiæ utilitatem immediate, vel mediate. Porrigere autem manus adjutrices (ut pro hujusmodi gratiis spiritualibus impendendis olim observabatur) esto esset quid temporale, ad spiritualem tamen Christifidelium utilitatem ordinabatur; puta ad constructionem vel instaurationem Templorum, quibus honori, ac cultui Dei consulebatur: ad instruendos exercitus contra Infideles, ad Catholicæ fidei nec non Religionis dilatationem, vel alias similes causas = *Temporalia* (inquit D.Thomas in 4. *dist.*20. *art.*3. *quæstiunc.*3.) *ad Spiritualia ordinantur, quia propter spiritualia temporalibus uti debemus. Et ideo pro temporalibus simpliciter non potest fieri Indulgentia, sed pro temporalibus ordinatis ad Spiritualia: sicut repressio inimicorum Ecclesiæ, qui pacem Ecclesiæ perturbant: sicut constructio Ecclesiarum, & Pontium, & aliarum eleemosynarum; & per hoc patet, quod non fiat ibi simonia, quia non datur spirituale pro temporali, sed pro spirituali.*

Dices. Spirituale pro temporali conferre, non apparet, quomodo possit a simoniæ labe purgari. Concedere Indulgentias pro porrigentibus manus adjutrices, est conferre spirituale pro temporali; adeoque hujusmodi Indulgentiæ non fuerunt validæ.

Resp. 1.° Duplici modo posse spirituale pro temporali conferri. Primo principaliter, quando finis movens ad illud tradendum, unice sistit in lucro temporali. Secundo, cum finis movens est quidem lucrum temporale, non secundum se præcise inspectum, sed ut ordinatum ad bonum spirituale: & hoc modo fieri possunt Indulgentiæ citra minimam simoniæ labem = *Calumniantibus interdum* (inquit Reginaldus in *Praxi fori Pænitential. lib.*7. *cap.*12. *nu.*135.) *Indulgentias dari pro certa pecuniæ summa, sicque dantes incurrere in peccatum illius, cui dictum est: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam existimasti donum Dei pecunia possideri, occurrendum est secundum institutum, talem pecuniam nunquam exigi, ut quasi negotiatione quadam emeretur peccatorum remissio, sed ut largitione eleemosynæ ad aliquem bonum finem suppeteret causa idonea dispensandi Indulgentiam ex Thesauro Ecclesiæ* =

Resp. 2.° cum Adriano. Indulgentias hujusmodi nec principaliter nec minus principaliter datas fuisse pro quota pecuniæ ad fidei defensionem, aliaque opera impendenda, sed pietatis intuitu, quæ sequitur ad eleemosynam, in præmium scilicet boni affectus, quo eam tradendo, exoptant Christifideles misericordiæ, ac cæterarum virtutum actus exercere, vel Ecclesiarum ædificiis vel pauperum egestatibus subvenire, juxta modum in Pontificiis Diplomatibus statutum; unde passim innuitur, loco distributionum manualium conferri, tum ut virtutum operibus consulatur, tum ut ad similia peragenda Christifidelium pietas excitetur. Itaque sicut pauperi eleemosynam porrigens, non intendit sibi orationis subsidium emtione comparare, sed duntaxat pauperem inducere, ut ex fine charitatis referat pro se preces ad Deum, percepturum inde se pro anima sua emolumentum confidens; ut notat D. Thomas 2. 2. *qu.* 32. *artic* 4. *in resp. ad* 2.^{m} dicens = *Ille qui dat eleemosynam, non intendit emere aliquid spirituale per corporale, quia scit, spiritualia in infinitum corporalibus præeminere, sed intendit per charitatis effectum spiritualem fructum promereri* = Ita in hac re tam de porrigente manus adjutrices, quam de Prælato Indulgentias concedente dicendum est. A qua doctrina alienus non est D. Bonaventura in 4. *dist.* 20. *par.*2. *art.* 1. *qu.*4. de hujusmodi enim concessionibus disserens inquit = *Non dat Indulgentias Prælatus pro eleemosyna exteriori considerans datum, sed fructum, videlicet quia ex radice bonæ voluntatis procedit* =

Mo-

Monuit tamen Sotus in 4. *dist.* 21. *qu.* 2. *art.* 2. quod, licet ea, quæ diximus, vera sint, oporteat tamen modum in hujusmodi formis Indulgentiarum adhibere = *Ne ansam*, inquit, *Hæreticis offeramus, illas blasphemandi*: *ne scilicet figuram potius compulsionis habeat, quam prædicationis*; *eleemosyna enim ultro oblata est quæ Deo placet, nam hilarem datorem diligit Deus*.

Quod autem S. Pius V. quascunque Indulgentias Constitutione incipien. *Etsi Dominici Gregis* revocaverit, id ex justissimis causis factum fuisse censendum est. 1.° quia ex hominum malitia plurimi abusus increverant; quanquam enim omnem curam adhibuerint Summi Pontifices, ut salubribus legibus statutis pie sancteque citra avaritiæ, turpisque lucri labem Ecclesiæ Thesaurus dispensaretur, experientia tamen docuit, inutiles fuisse eorum conatus. 2.° quia Christifideles veniæ facilitate inducti, quæ passim hisce spiritualibus gratiis impendebatur, ad peccandum procliviores reddebantur non sine aliorum scandalo = *Præcavendum esse censemus* (sunt verba Constitutionis laudatæ) *ne cujusvis Indulgentiæ, remissionis vel facultatis obtentu Christifideles procliviores ad illicita inposterum committenda reddantur, aut facilitas veniæ eis peccandi tribuat incentivum*; *& exinde Clavium Authoritas deducatur in contemtum, & Christifideles quamplurimum scandalizentur. Sane cum ad auditum nostrum ex diversis Mundi partibus quamplurimæ querelæ perlatæ fuerint, quod vigore diversarum Indulgentiarum & facultatum per Prædecessores nostros ac etiam Nos vel authoritate nostra .... Multi Quæstores ex eisdem Indulgentiis lucrum temporales tantum quærentes &c.*

CAPUT V.

DE EFFECTU INDULGENTIARUM.

Ut Indulgentiarum effectus innotescat, inquirendum est? 1.° An Indulgentiæ remittant peccata quantum ad culpam? 2.° An pœnas temporales? 3.° An remittant Pœnitentias Sacramentales? 4.° An de injunctis Concessæ extendantur ad peccatorum pœnas, pro quibus pœnitentiæ injunctæ non sunt? 5.° An suum sortiantur effectum recedente fictione?

ARTICULUS I.

An Indulgentiæ remittant peccata quantum ad culpam?

Conclusio 1.ª Peccatum lethale quantum ad culpam remitti non potest per Indulgentias.

Prob. Peccati lethalis culpa relaxari non potest, quin Deus, in misericordia sua dives, nostræ humanitatis figmentum agnoscens cor hominis intrinsecus immutet; quandiu enim homo manet habitualiter aversus a Deo, pœnæque æternæ subjectus, nequit peccati lethalis macula expers intelligi = *Non potest* (inquit D.Thomas *quæst.*28. *de verit. artic.*2.) *aversio removeri, nisi fiat conjunctio ad bonum incommutabile, a quo homo per peccatum discessit* = Hæc autem immutatio cum fiat per gratiam sanctificantem, idcirco ad auferendam aversionem ex peccato lethali relictam, gratiæ sanctificantis donum necessario poscitur, non secus ac ad cæcitatis sanationem necessaria est potentiæ visivæ restitutio. Porro hujusmodi gratiæ assecutio non per Indulgentias, sed duntaxat per Sacramenta tanquam per instrumenta Divinæ virtutis habetur. Ergo nequit remitti peccatum lethale quantum ad culpam per Indulgentias.

Si quis vero reponeret, solum inde inferri, culpæ lethalis remissionem haberi non posse circumscripta Sacramentorum virtute: cæterum, hoc non obstare, quominus Sacramentis in voto influentibus possint Indulgentiæ ad eam pariter concurrere; quærendum ab eo est: An Sacramentis in voto influentibus perfecta peccatorum lethalium exhiberetur contritio: an imperfecta, quæ attritio supernaturalis dicitur; vel utraque deficiente, efficax Sacramentalis confessionis propositum? Si primum dicatur, admittimus, tunc hujusmodi remissionem obtineri, independenter tamen id fieri ab Indulgentiarum subsidio, sed ob indispensabilem nexum perfectæ contritionis cum gratia sanctificante, quæ nequit cum lethali peccato consistere. Secundum recipi non potest, quanquam enim supernaturalis attritio consone ad Tridentini doctrinam *Sess.*14. *cap.*3. Dei donum sit ac Spiritus Sancti impulsus, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat, nequit tamen sine Pœnitentiæ Sacramento in re suscepto ad dictam remissionem seu gratiam sanctificantem impetrandam perducere. Tertium non facit ad rem; siquidem seclusa pœnitentia, nequit peccatum lethale deleri, ut docet Tridentinum *Sess. mox citata cap.* 1. his verbis = *Fuit quidem pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam & justitiam assequendam necessaria, illis etiam, qui Baptismi Sacramento ablui petivissent, ut perversitate abjecta & emendata, Dei offensionem cum peccati odio, & pio animi dolore detestarentur* = Ubi duo innuit ad pœnitentiam requiri, peccati nempe abjectionem, & animi dolorem seu peccati detestationem, quæ non possunt in simplici confitendi proposito reperiri.

Dices. Ex Summorum Pontificum Decretis constat, Indulgentiarum virtutem ad remittendum tum pœnæ tum culpæ reatum extendi. 1.° quia Urbanus II. pro Hierosolymitana Expeditione Indulgentiam Plenariam concedens inquit = *Monemus igitur & exhortamur in Domino, & in remissionem peccatorum injungimus* = Ac deinde subdit de iis, qui sacram

Ex-

Expeditionem susceperint = *Si in vera pœnitentia decesserint, & peccatorum Indulgentiam, & fructum æternæ mercedis se non dubitent habituros* = Ea autem verba *Remissionem peccatorum* his aliis conjuncta *Et fructum æternæ mercedis se non dubitent habituros* de pœna & culpa possunt intelligi 2.° Gelasius II. ad Christianorum exercitum, Civitatem Cæsaraugustanam obsidentem scribens, his utitur verbis = *Si quis vestrum accepta de peccatis suis pœnitentia, in Expeditione hac mortuus fuerit, Nos eum Sanctorum meritis, & totius Catholicæ Ecclesiæ precibus, a suorum vinculis peccatorum absolvimus* = 3.° In nonnullis antiquis Indulgentiarum Diplomatibus hæc clausula reperitur *A culpa & pœna* quæ citra falsitatis ac deceptionis notam adhiberi non posset, si Indulgentia & culpam & pœnam non remitteret.

Resp. ad 1.^m, Urbanum II. asserere, eos, qui sacram Expeditionem susceperint *habituros fructum æternæ mercedis* ob conjunctam operi præscripto Confessionem Sacramentalem, quæ necessario secum affert absolutionem remittentem culpas. Ad 2.^m facilis est solutio, nempe Gelasii verba = *A suorum vinculis peccatorum absolvimus* = esse intelligenda de vinculo pœnæ, non culpæ. Nec mirum est, cum per impositam satisfactionem Sacramentalem pœnitens ligatus censeatur, donec illam expleverit; ideoque Tridentini Patres *Sess.* 14. *cap.* 8. (ut notavimus supra *Cap.* 1. *art.* 3.) hanc Christi sententiam = *Quæcunque ligaveritis super terram erunt ligata & in Cælis* = interpretati sunt de impositione satisfactionis in foro Sacramentali. Ad 3.^m Respondent nonnulli Doctores, falsum esse, Sedem Apostolicam quandoque in Indulgentiarum concessionibus eam clausulam adhibuisse. His favet Cardinalis Cusanus Legatus Apostolicus in Germania, de quo hæc refert Magnum Belgii Chronicon = *Reverendissimus in Christo Pater, Dominus Nicolaus tituli S. Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis per Alemanniam Legatus ..... omnibus qui in suæ Legationis terminis habitabant, vere contritis & confessis ..... concessit Jubilæum, idest plenam omnium peccatorum remissionem, non autem a pœna & culpa absolutionem; quia, ut ipse in Synodo Provinciali, nobis audientibus, Magdeburgi per ipsum celebrato dicebat: Sedes Apostolica sub his verbis: a pœna & culpa, Indulgentias nunquam dare consuevit* = ideoque eorum sententia est, ex Quæstorum malitia id fuisse adinventum, atque in Literis Apostolicis insertum, ut ad Indulgentias pro porrigentibus manus adjutrices concessas allicerent, aurumque facilius a Christifidelibus extorquerent. Alii Authores putant, eam clausulam esse intelligendam de remissione venialium duntaxat; ad ea quippe delenda, inquiunt, etiam Indulgentiæ conferuntur. Quantum autem veritatis & roboris hæc opinio præseferat, constabit ex inferius dicendis. S. Antoninus & Tabienna arbitrantur, ea verba = *Remissionem a culpa & pœna* = esse quendam loquendi modum ad Plenissimam Indulgentiam declarandam perbelle accomodatum; ideoque dicunt, culpæ vocabulum in ejusmodi concessionibus fuisse usurpatum, non quia Indulgentiarum virtute inducatur culparum relaxatio: bene vero quia ad illas comparandas debeat unusquisque contritus ac devotus accedere, ut hujus præviæ dispositionis intuitu, culparum remissionem assequatur. Quod diversis sane vocibus, eundem tamen sensum reddentibus, a quibusdam Doctoribus exponitur: Indulgentiam nempe non concurrere ad relaxandam culpam aut effective aut formaliter, sed solum excitative, eo modo quo supernæ Beatitudinis merces movet ad observantiam mandatorum Dei, juxta illud Psalm. 118. = *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem* = Sylvius in *Commentar. ad Supplement.* 3. *part. D. Thomæ qu.* 25. *art.* 2. asserit, eam clausulam, in Jubilæis sive ordinariis sive extraordinariis usurpatam, significare facultatem obtinendi absolutionem a casibus reservatis. Cæterum sive D. Antonino, sive Sylvio subscribas, colliges, nunquam verum esse, per Indulgentias culparum relaxationem obtineri.

Hinc inter aniles fabellas recensendum non ambigimus id, quod refert in *Historia Mediolanens.* Bernardinus Corius, vir cæteroquin rerum Theologicarum imperitus:

tus: Bonifacium scilicet IX. dedisse pro ditione Vicecomitum Indulgentiam, qua unusquisque certis collatis eleemosynis ad Pauperum levamen, a quocunque peccato beneficium absolutionis obtineret, quanquam nec confessus esset, nec corde contritus; in eo profecto non leviter deceptus, quod Indulgentiam, si quæ fuit a Bonifacio concessa, ad remittendam peccati pœnam, intellexerit eandem propria virtute culpæ reatum expungere; Curiæ siquidem Romanæ prælaudati Pontificis ætate hunc palmarem errorem, aut adeo supinæ & crassæ ignorantiæ notam affingere, non leve stupiditatis est vitium. Vide dicta in *Differt. Proœmial. Historic.* §. 5. ex quibus constat, quam accurate se gesserit Bonifacius Pontifex, ut hujusmodi Indulgentiarum abusus, qui ex Quæstorum malitia prodierant, penitus tolleret, atque eorum Authores eliminaret.

An vero, quod de culpa lethali statuimus, de culpis venialibus sit dicendum, major est difficultas = *An Indulgentiæ* (inquit, *Zerula in Tract. Jubil. & Indulgentiar.*) *remittant culpam saltem venialem. Respondeo quod sic, ex D. Antonino: per Indulgentiam, inquam, ut habet rationem cujusdam absolutionis remitti culpam peccati venialis, sicut per Confessionem generalem non Sacramentalem, sed ad hoc requiritur contritio, non perfecta, sed aliqua contritio semiplena adjuncta Papali vel Episcopali absolutioni, vel aliquo alio remedio, quod per se non esset sufficiens. Clarum enim est, ad deletionem venialium non requiri actualem contritionem; & hic sufficere virtualem & habitualem dolorem de illis* = Idem ante Zerulam asseruerunt Paludanus aliique, quos supra diximus, clausulam *A culpa & pœna* de venialibus exposuisse.

Ad hujus rei perfectam intelligentiam præmittendum est primo, peccatum veniale ex eo nomen accipere, quod principium veniæ ac remissionis nempe gratiam sanctificantem non excludat (ut docet D. Thomas *qu. 7. de Malo art.* 1.) in quo a læthali differt; quanquam enim utrunque inordinationem importet in linea morali, non tamen veniale avertit ab ultimo fine; ac proinde nec charitatis amicitiam dirimit, vel gratiam adimit, moralis supernaturalisque vitæ fundamentum, ex cujus deficientia & privatione homo efficitur filius iræ, filius vindictæ, filius gehennæ, sed solum quandam maculam in anima relinquit, quæ est privatio nitoris gratiæ sanctificantis, non quidem se tenens ex parte subjecti, perinde ac aliquis gradus intensionis prædictæ gratiæ deficiat, sed ex parte termini duntaxat, quia venialia præpediunt, ne promte feramur in Deum = *Per peccatum veniale* (ait *D. Thomas in 3. par. q. 87. art. 1. in corp.*) *retardatur affectus hominis, ne promte in Deum feratur* = & *in 4. dist. 16. qu. 2. art. 1. quæstiunc. 2. ad 3.*ᵐ = *Peccatum veniale quamvis Deo displiceat, quia inordinatum est, non tamen facit peccantem Deo displicentem, quia non aufertur claritas gratiæ, sed quodammodo obnubilatur, inquantum ejus processus ad exteriora impeditur* = eo modo quo inclinatio naturalis ad bonum honestum minuitur, non quasi aliquid entitatis ab ea auferatur, sed quia appositis impedimentis ad boni honesti prosecutionem redditur minus expedita. Præmittendum secundo est, culpam venialem in eo, qui peccat, nedum maculam mox descriptam inducere, verum etiam aliquam offensam Deo irrogare, non infinitam, sed limitatam; quemadmodum enim ob aversionem a Deo in peccato lethali comprehensam, relucet in eo peccato offensa Dei simpliciter infinita (ut docet D. Thomas in *3. par. q. 1. art. 2. in resp. ad 2.*ᵐ dicens = *Peccatum contra Deum commissum quandam infinitatem habet ex infinitate Divinæ Majestatis, tanto enim offensa est gravior, quanto major est ille, in quem delinquitur* = quæ consistit in intentata privatione juris, quod habet Deus, ut tanquam ultimus finis ab omnibus habeatur.) ita venialis culpa ab ipso Deo divertens, ordine tamen ad eundem ut ultimum finem servato, adimit ab actu terminationem actualem ad Deum, quem actualiter delinquens non respicit, prohibetque ne Deus per modum ultimi finis prædicto operi actualiter dominetur. His præmissis

Conclusio 2.ª sit. Per Indulgentias remitti non possunt peccata venialia quantum ad culpam.

Prob. Non obtinetur peccatorum venia-

nialium remissio nisi per actus a gratia & charitate prodeuntes = *Remissio venialium*, inquit Angelicus in 3. *par. qu.*87. *art.*2. *in respons. ad* 1.^m^ *est effectus gratiæ, per actum scilicet, quem de novo elicit, non autem per aliquid habituale* = & in *respons. ad* 3.^m^ = *Ad tollendam maculam venialis peccati requiritur actus procedens ex gratia, per quam removeatur inordinata adhæsio ad rem temporalem* = Hujusmodi autem actus alii esse non possunt quam contritionis & charitatis explicitii, vel impliciti, ut docet idem D. Thomas ubi supra. Ea siquidem voluntatis exigitur mutatio, qua actus, vi cujus macula habitualis fuit inducta, retractetur; quandiu enim voluntas eodem modo perseverat, ea macula deleri non potest. Per Indulgentias igitur peccata venialia quantum ad maculam seu culpam, quam in anima relinquunt, remitti non possunt.

Objicies. Sacramentalia possunt ex opere operato veniales culpas delere; adeoque sicut ad Catholicæ Religionis cultum ex Ecclesiæ institutione ordinata, eum effectum possunt præstare, quem ex se considerata nequaquam inducerent, ita eundem effectum possunt causare Indulgentiæ, mediante Ecclesiæ institutione.

Respondent 1.° aliqui Doctores, admittendo Sacramentalia venialium deletionem efficere ex opere operato, sed Ecclesiam ea physice non elevare, ut gratiæ auxilia communicent ad eorundem venialium deletionem necessaria, sed duntaxat id suis orationibus impetrare. Hoc autem nequit Indulgentiis applicari; nisi dixeris, eas inter Sacramentalia recenseri, quod nullus ex Theologis recipiet.

Resp. 2.° falsum esse, Sacramentalium virtute peccata venialia immediate relaxari ex opere operato, quia quando forma, perfectio aut effectus subjectis tribuitur juxta eorum dispositionem, eorumque dispositioni respondet, non communicatur ex opere operato, sed ex opere operantis. Remissio autem venialium non fit formaliter per ipsa Sacramentalia, quæ quid extrinsecum sunt, aut per aliquod donum habituale præcisive ab omni operatione per Sacramentalia communicatum, sed per actus venialibus culpis repugnantes, quibus tanquam propriis congenitisque dispositionibus respondet ipsa remissio.

Diximus: *immediate & ex opere operato*, quia Sacramentalia causalitatem habere in venialium remissionem, citra dubium recipitur; ad hanc enim sufficit causare auxilia moventia ad actus, per quos venialia immediate & formaliter excluduntur, quod profecto præstant, quatenus sunt instituta & consecrata orationibus Ecclesiæ habentis sufficientem virtutem, ad hujusmodi auxilia ex opere operato via impetrationis obtinenda. Hinc quod perperam objicitur, ex dictis inferri Sacramentalia parum prodesse ad venialia delenda, invicte refellitur dicendo, esse utilissima, tum quia dicto modo concurrunt, tum quia actus pro remittendis venialibus essentialiter exacti non fierent, nisi Sacramentalium usus præcederet. Verum si quis hanc mediatam quoque causalitatem, in Indulgentiis reperiri, asserere niteretur, id minime impugnaremus; earum siquidem occasione non raro Christifideles ad actus contritionis & charitatis excitantur.

ARTICULUS II.

An Indulgentiæ remittant pœnas peccatis debitas solum in foro Ecclesiæ?

EX dictis in *Cap.* 2. *Artic.* 1. ubi potestatem penes Ecclesiæ Prælatos dandi Indulgentias ex Ecclesiæ Thesauro statuimus, inutiliter prorsus videtur examini commissum inquirere: an Indulgentiæ remittant pœnas solum in foro Ecclesiæ? Cæterum quia hoc Dubium non fuit pro merito discussum, ac quædam Argumenta contra Indulgentiarum valorem solvenda supersunt, satius duximus de hac re in hoc capite pertractare, ubi propriam sedem obtinet, quam eam silentio præterire.

Præter Heterodoxos, qui Indulgentiarum valorem in foro Dei prodesse denegarunt, quorum fecimus mentionem in *Differ. Prœmial.* § 6. non defuerunt quidam ex veteribus Doctoribus, qui putarunt, per Indulgentias reatum pœnæ temporalis in foro Dei minime relaxari, sed

sed pœnitentiam duntaxat in foro Ecclesiæ injunctam auferri = *Ab omnibus conceditur* (inquit Angelicus in 4. *dist.* 20. *qu.*1. *art.*3. *quæstiunc.*1.) *Indulgentias aliquid valere, quia impium esset dicere, quod Ecclesia aliquid vane faceret, sed quidam dicunt: quod non valent ad absolvendum a reatu pœnæ, quam quis in Purgatorio secundum judicium Dei meretur, sed valent ad absolutionem ab obligatione, qua Sacerdos obligavit pœnitentem ad pœnam aliquam, vel ad quam etiam ordinatur ex Canonum statutis.*

Conclusio. Indulgentiæ remittunt pœnas temporales etiam in foro Dei. Ita nunc sentiunt omnes Doctores Catholici.

Prob. 1.° Ex Concilio Tridentino in *Decret. de Indulg.* ubi earum utilitas his verbis definitur = *Sacrosancta Synodus Indulgentiarum usum Christiano populo maxime salutarem esse docet* = Si autem Indulgentiæ locum haberent solum in foro Ecclesiæ, non essent Christifidelibus maxime salutares. Dicendum ergo est Indulgentias pœnas temporales remittere in foro Dei.

Prob. 2.° ex Constitutione Leonis X., cujus initium est *Exurge Domine* recitata in *Dissert. Proœmial.* §. 7. *num.*20., qua sub num.19. hæc Lutheri propositio damnatur = *Indulgentiæ, his qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud Divinam Justitiam* = Ergo assecutio Indulgentiarum valet ad pœnæ temporalis remissionem apud Divinam Justitiam: quod profecto idem est, ac Indulgentias remittere pœnas temporales in foro Dei.

Prob.3.° Argumento petito a ratione. Si Indulgentiæ tantam non haberent virtutem, ut pœnas temporales debitas in foro Dei relaxarent, non in spiritualem animarum utilitatem cederent, sed potius in gravamen: quia ab exibenda Deo debita satisfactione Christifideles abducerent, ipsosque Divinæ vindictæ in sæculo futuro traderent puniendos; Quod inconveniens, ut veteres Theologi rejiciant, nostram Conclusionem propugnant = *Remissio* (inquit D. Thomas loco mox laudato) *quæ fit quantum ad forum Ecclesiæ, valet etiam quantum ad forum Dei; & præterea Ecclesia hujusmodi Indulgentias largiens seu dans magis damnificaret, quam adjuvaret, quia remitteret ad graviores pœnas scilicet Purgatorii, absolvendo a pœnitentiis injunctis; & ideo aliter dicendum, quod valent & quantum ad forum Ecclesiæ, & quantum ad judicium Dei* = Latum unguem ab hac doctrina non deflectit D.Bonaventura in 4. *dist.*20. *par.*2. *art.*1. *qu.*2. oppositam enim nostræ Conclusioni sententiam rejiciens ait = *Ista Opinio etsi relaxationes videatur ponere, verius tamen interimit, quia si relaxant, ita quod Deus non relaxat, potius deceptio quam relaxatio vera judicanda est, & potius crudelitas, quam pietas dici potest, dum minuendo hic pœnitentiam, in futuro ad graviora trahit supplicia. Ideo aliter dicendum est, quod relaxatio illa, non solum valet in foro Ecclesiæ, verum etiam in foro Dei* = Indulgentiæ ergo remittunt pœnas temporales etiam in foro Dei.

Objicies 1.° cum Kemnitio in 4. *par. Examin. Concil.Tridentini Cap.ult.* Relaxationes multarum Canonicarum, de quibus fit mentio apud Patres & Concilia, habuerunt locum duntaxat in foro Ecclesiæ; satisfactiones enim illæ non indicebantur ab Ecclesia ad pœnæ temporalis expiationem, quæ peccato quoad culpam dimisso Deo solvenda debebatur, sed ad meram Fidelium ædificationem; ut qui se gravioribus criminibus maculaverant, iis essent exemplum, quibus antea per suum peccatum scandalum fuerant. Vel ergo Indulgentiæ non relaxant pœnas debitas in foro Dei, vel sunt diversæ ab antiquis relaxationibus.

Resp. Falsum esse satisfactiones illas, juxta veterem Ecclesiæ disciplinam publicis peccatoribus pro gravioribus criminibus injunctas, locum habuisse solum in foro Ecclesiæ; plurimum enim valuisse in foro Dei, late ostendimus in Dissert.Proœm. §. 2. ex. Patribus contra Calvinum: ac proinde virtutem obtinuisse, ac obtinere ibi earundem relaxationes. Et hanc fuisse mentem Ecclesiæ in hujusmodi relaxationibus elargiendis, in pluribus locis nos edocet D. Cyprianus, sed potissimum in *Epist.* XIV. ad Presbyteros & Diaconos data = *Satis plene scripsisse* (inquit) *me ad rem proximis literis ad*

ad vos factis credo : ut qui libellum a Martyribus acceperunt, & auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis suis possunt, si premi infirmitate aliqua, & periculo cœperint, exomologesi facta, & manu a vobis in pœnitentiam imposita, cum pace a Martyribus sibi promissa, ad Dominum remittantur = Adjuvari autem Christifideles in delictis suis apud Deum, nihil aliud est, quam pœnæ remissionem obtinere, quæ alioquin non in hac vita tantum ex vi Canonum pœnitentialium, sed & in altera peccatis debetur, sic exigente Divina Justitia. Idque magis ex eo roboratur, quod Pœnitentes, de quibus loquitur S.Cyprianus, erant morti proximi = *Si premi*, inquit, *infirmitate aliqua & periculo cœperint* = Indulgentia vero, quæ valeat duntaxat in foro Ecclesiæ, non indigent ii, qui viam universæ carnis sunt quantocyus ingressuri; siquidem in eo casu non possent pœnitentiæ canonicæ labores subire; & præterea mors, quæ supponitur imminere, reos absolute ab illis oneribus implendis eximeret. Antiquarum igitur relaxationum virtus, de quibus fit mentio apud Patres & Concilia, alteram in Purgatorio subeundam pœnam poterat expiare. Hinc antiquæ & novæ Indulgentiæ quanquam accidentaliter differant, non tamen in quatuor causarum generibus discriminantur, ut notat Bellarmin. *Lib.* 2. *de Indulg. Cap.* 18. Conveniunt 1.° in causa materiali; omnium enim subjectum est pœnitens vel pœnis temporalibus obnoxius, vel pœnitentiis salutaribus mancipatus. 2.° Eandem causam efficientem agnoscunt, quia Indulgentiæ a Summis Pontificibus, vel ab Episcopis conceduntur, quod pariter constat de antiquis relaxationibus; & idcirco diximus *Cap.* 3. *Artic.* 6. D. Cyprianum temerarium quorundam Presbyterorum ausum damnasse, qui propria authoritate pœnitentes ad pacem ac reconciliationem admiserant. 3.° In causa formali non discrepant, quæ est absolutio vel a pœna temporali in præsenti vita vel in futura solvenda, vel a pœnitentiis injunctis per ministerium potestatis Clavium. Quod vero per antiquas relaxationes pœnitentiæ Canonicæ injunctæ remitterentur, per recentiores tam injunctæ quam injungendæ, hoc ideo est, quia ante Sæculum duodecimum duriores imponebantur satisfactiones, quæ non raro culparum gravitatem æquabant, nunc vero mitiores criminibusque impares injunguntur. 4.° Si causam finalem in utrisque attendas, eandem reperies, Dei gloriam ac spiritualem Christifidelium utilitatem.

Dices. Variis in locis D.Cyprianus impugnat antiquarum relaxationum valorem apud Deum, pro remittendis pœnis temporalibus; *Libro* enim *de Lapsis*, contra eos, qui pro obtinendis Indulgentiarum Libellis Martyres deprecabantur, ostendit, peccata sive quoad culpam sive quoad pœnam considerata posse duntaxat pœnitentiæ laboribus deleri, non vero Indulgentiis = *Dominus*, inquit, *orandus est*, *Dominus nostra satisfactione placandus. Sola superest pœnitentia, quæ satisfacit Christo. Qui autem pœnitentiam criminis tollunt, satisfactionis viam claudunt; ita fit, ut dum temeritate quorundam, vel promittitur salus falsa, vel creditur, spes veræ salutis, adimatur* = Præterea Indulgentiam sine legitima pœnitentia impetratam vocat bellum = *Ante expiata delicta, ante purgatam conscientiam Sacrificio & manu Sacerdotis, ante offensam placatam, pacem putant esse, quam quidam verbis fallacibus vendıtant. Non est pax illa sed bellum* = Tandem affirmat, Indulgentiam nullam Lapsis posse utilitatem afferre = *Contra Domini ac Dei legem temeritate quadam laxatur incautis communicatio. Irrita & falsa pax, periculosa dantibus, & nihil accipientibus profutura* = Censuit ergo D. Cyprianus, antiquis relaxationibus non deleri pœnas temporales in foro Dei, sed ad summum pœnitentias Canonicas in foro Ecclesiæ.

Resp. non improbasse prælaudatum Sanctum Antistitem antiquarum Indulgentiarum valorem, etiam in foro Dei, in *Libro de Lapsis*, quem perspicue constat, in supracitata *Epistola* XIV. tantopere commendasse, sed duntaxat abusum, qui in applicatione earundem irrepserat. Lapsi enim, excitatis tumultibus, nulla satisfactione perfuncti, quæ juxta veterem Ecclesiæ disciplinam exigebatur, pacem sibi temerario ausu dari contendebant, ut dictum est in *Differt. Proœmial.* §. 3. Eo vel maxime quod ipsa relaxatio a Sacerdotibus, nullam ad id habentibus authoritatem, impetrabatur. Hunc ergo modum expetendi & dandi

dandi Indulgentiam damnavit Cyprianus: & merito ostendit, hujusmodi relaxationum genere falsam promitti salutem, satisfactionis viam claudi, falsam pacem incautis promitti, nihil accipientibus profuturam.

Objicies 2.° cum Petro Suavi. Concilium Tridentinum *in Decret. de Indulgentiis* asseruit: ex nimia Indulgentiarum facilitate Ecclesiasticam disciplinam enervari. Igitur Indulgentiæ non nisi ad remittendas pœnas in foro exteriori debitas ordinantur, nec ad conscientiam spectant, aut delent reatum pœnæ temporalis Divinæ Justitiæ exolvendum.

Resp. Argumentum Suavis maxime claudicare; oppositum enim ex eo principio deducitur. Indulgentiæ profecto liberant ab exterioribus pœnitentiis Canonicis: id tamen minime præstarent, nisi pariter a pœnis in foro Dei debitis liberarent; cum ad eas exolvendas hujusmodi pœnitentiæ sint injunctæ. Alias morbum relinquerent, & medicinam auferrent. Ideoque hunc valorem significari notat Bellarminus his verbis = *De vera Indulgentia* = quæ solent adhiberi in Sacello Pontificio, cum promulgantur Indulgentiæ = *Quia vera Indulgentia*, inquit, *dicitur, quæ reatum pœnæ non solum coram Ecclesia, sed etiam coram Deo tollit*.

Alia, quæ ab Adversariis contra nostram Conclusionem directe vel indirecte proponuntur Argumenta, pertractata & soluta reperiet Lector supra *Cap. 3. Artic.* 1.

ARTICULUS III.

An Indulgentiæ remittant Pœnitentias Sacramentales.

POST excitatum dubium de Indulgentiis in ordine ad pœnas temporales, quod disquisitione potissimum indiget, illud est de Pœnitentiis Sacramentalibus: num eæ per Indulgentias remittantur?

Pro quo observandum est 1.°, in recenter justificatis, præter pœnæ temporalis reatum, manere quosdam spirituales animæ languores, qui a Doctoribus scoriæ seu reliquiæ peccatorum, & pronitates in malum vocantur. Meminit de his D.Thomas in 3.p. quæst. 86. art. 5. ad 1. his verbis = *Dicendum, quod peccatum mortale, ex parte conversionis inordinatæ ad bonum commutabile quandam dispositionem causat in anima, vel etiam habitum, si actus frequenter iteretur. Sicut autem dictum est, culpa peccati mortalis remittitur, in quantum tollitur per gratiam aversio mentis a Deo; sublato autem eo, quod est ex parte aversionis, nihilominus remanere potest id, quod est ex parte conversionis inordinatæ, cum hanc contingat esse sine illa, sicut prius dictum est. Et ideo nihil prohibet, quin remissa culpa, remaneant dispositiones ex præcedentibus actibus causatæ, quæ dicuntur peccati reliquiæ; remanent tamen debilitatæ, & diminutæ, ita quod homini non dominentur: & hoc magis per modum dispositionum, quam per modum habituum* = Idem docet D.Bonaventura *in* 3. *dist.* 36. *Art. unico quæst.* 4. ostendens, hujusmodi animæ languores oriri ex conversione ad bonum commutabile = *Si loquamur*, inquit, *de vitiis quantum ad conversionem, sic per conversiones ad diversa bona commutabilia, diversæ oriuntur in nobis pronitates in vitia*.

Observandum est 2.°, Pœnitentias Sacramentales ad duos fines ex Divina institutione ordinari, ad puniendos scilicet anteactæ vitæ excessus, quo pacto punitivæ dicuntur: & ad cohibendas passiones, qua ratione curant spirituales animarum morbos, & a futuris criminibus præservant, & medicinales nuncupantur; quamobrem Concilium Tridentinum declarans, quomodo se gerere debeant Sacerdotes in pœnitentialibus satisfactionibus injungendis, *Sess.* 14. *cap.* 8. inquit, = *Habeant autem præ oculis Sacerdotes, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem ..... proculdubio enim magnopere a peccato revocant, & quasi freno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ: cautioresque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt: medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitiosos habitus male vivendo comparatos, contrariis virtutum actibus tollunt*.

His observatis, primus dicendi modus est, per Indulgentias nullo modo pœnitentiam

tiam ut punitivam seu solutivam pœnæ temporalis relaxari. Ita sentiunt Gregorius Valentia *Tom.4. in 3. p. disp.7. quæst.20. §. Sunt autem.* Andreas Duallius in *Tract. de Indulgent. quæst. unic. Art.* 8. Vivaldus *de Indulg.nu.26.* Candidus *disquis.24. dub.* 10. *num.*30. Trullenc *in Bullam* §. 1. *dub.*14. *num.* 14. Secundus vero admittit per Indulgentias pœnitentiam tum solutivam pœnæ temporalis, tum medicinalem relaxari, ac per consequens cessare omnino obligationem pœnitentiæ ut medicinalis susceptis Indulgentiis; & hunc propugnat Cardinalis de Lugo adducens in sui patrocinium Viguerium *Cap.* 16. §. *versu* 21. Alexandrum Alensem 4. *p. quæst.*23. *membr.* 1. *art.* 1.° , D. Bonaventuram *in* 4. *dist.*20. *art.* 1.° *quæst.*2.ª , Richardum *art.* 3. *quæst.* 1.ª & alios Doctores.

Conclusio 1.ª Per Indulgentias remittuntur Pœnitentiæ Sacramentales ut punitivæ, seu solutivæ pœnæ temporalis. Subscribunt huic Conclusioni omnes Doctores, exceptis iis, qui primum dicendi modum amplectuntur.

Prob. 1.° authoritate Divi Thomæ *in* 4. *dist.*20. *quæst.*1. *art.*3. *quæstiune.*1.ª ubi ait = *Dicendum est, quod valent* Indulgentiæ, *& quantum ad forum Ecclesiæ, & quantum ad judicium Dei: ad remissionem pœnæ residuæ post contritionem & absolutionem, & confessionem, sive sit injuncta sive non* = Clarius idem docuit D. Thomas in *Quodlibeto* 2. *quæst.* 8. *artic.*16. *in resp. ad* 3. = *Dicendum*, inquit, *quod satisfactio & est punitiva, inquantum est actus vindicativæ justitiæ, & etiam est medicativa, in quantum est quoddam sacramentale. Indulgentia ergo supplet locum satisfactionis, in quantum est punitiva, quia scilicet pœna, quam alius sustinuit, imputatur isti ac si ipse sustinuisset; & ideo reatus pœnæ tollitur* = Ergo de mente Divi Thomæ Indulgentiæ remittunt pœnitentias ut solutivas pœnæ temporalis.

Prob. 2.° Satisfactio Sacramentalis ut punitiva est in ordine ad solvendum reatum pœnæ temporalis inductum per culpam, Confessioni Sacramentali subjectam: adeoque ubi non datur aut cessat dictus reatus, opus non est satisfactionis Sacramentalis subsidium. Porro obtentis Indulgentiis cessat dictus reatus per applicatas Christi, Sanctorumque satisfactiones in Ecclesiæ Thesauro reconditas. Quod magis declaratur & ostenditur. Assecuto Indulgentiarum effectu, non subsistit Pœnitentiæ Sacramentalis obligatio; lex enim aut præceptum, in præsumtione fundatum, locum non habet circumscripta præsumtione. Itaque cum præceptum ad Pœnitentiæ Sacramentalis obligationem, præsumtioni pœnæ debitæ non solutæ innitatur, ea præsumtione cessante, propter Indulgentias acquisitas, quibus pœna debita solvitur, & ab ea Fidelis absolvitur, deficit obligatio implendi pœnitentiam ut solutivam. Ergo tanta virtute pollent Indulgentiæ, ut remittant Pœnitentias Sacramentales prout solutivas pœnæ temporalis.

Salubre tamen consilium esse, tradit Angelicus loco citato, Fideles, etiam Indulgentiarum virtute ab onere solvendi pœnam temporalem exemtos, non omittere satisfactionem Sacramentalem = *Consulendum est eis, qui Indulgentias consequuntur, ne per hoc ab operibus pœnitentiæ injunctis abstineant, ut etiam ex eis remedium consequantur; & præcipue quia quandoque sunt plurium debitores quam credant.*

Objicies 1.° Supremum est Pœnitentiæ Sacramenti tribunal, nec ullus excepto pœnitente reperitur in terris, valens satisfactionem in hoc tribunali a Sacerdotibus indictam implere; hæc enim ex jure Divino spectat ad Sacramenti Pœnitentiæ integritatem. Alias si per Indulgentiarum virtutem Pœnitentia Sacramentalis ut solutiva pœnæ temporalis remitteretur, earum concessionibus jus Divinum abrogaretur; quod cum repugnantiam involvat, consequens est, Indulgentias non posse Pœnitentias Sacramentales remittere.

Respondent 1.° aliqui Doctores, Prælatum Indulgentias concedentem posse, ac velle Pœnitentiam Sacramentalem, seu onus eam implendi immediate relaxare, quia suprema, qua pollet solvendi potestate, valet quodcunque jus humanum auferre, unde præceptum Sacerdotis obligans ad Sacramentalem satisfactionem obeundam, noscimus dimanare. Verum hanc responsionem objectam difficultatem non solvere, constat ex eo, quod sententia lata in foro Sacramentali est definitiva: adeo-

que nemo in humanis extra Sacramentum operans, quanquam Summi Pontificis Authoritate supra cæteras personas emineret, posset eam aut immutare, aut abrogare; causa quippe tractata, ac definita in foro potissimum supremo, nequit in aliud revocari; ut ex ratione naturali constat, haberturque *cap. Cum quidam de Exceptionib. in 6.°* Forum autem Sacramentale supremum est, Christo per suum Ministrum ibi sententiam ferente. Accedit, dari proportionem inter potestatem solvendi, & potestatem ligandi. Cum ergo nullus extra tale forum possit ligare ad Poenitentiam Sacramentalem, nec pariter poterit ab ea absolvere directe & immediate.

At inquies. Indulgentiæ in foro Poenitentiali conceduntur, ac proinde obligationem de Poenitentia Sacramentali valent immediate relaxare.

Resp. vel verum non esse absolute, quod Indulgentiæ in foro Poenitentiali concedantur, ut inquit Suarius *Disp. 50. sect. 2.ª num. 6.*; vel per forum Poenitentiale, non illud duntaxat intelligi, quod Sacramentale est, sed etiam illud, quo Deo satisfactio pro pœna temporali ipsi debita exhibetur. Cæterum ex hoc non evincitur, Indulgentias obtinere virtutem ad relaxandas immediate Poenitentias Sacramentales, ut solutivas poenæ temporalis debitæ in foro Dei.

Resp. 2.° ad Objectionem, & quidem melius. Ob supremum Sacramenti Poenitentiæ tribunal, neminem posse absolvere ab onere injunctæ Poenitentiæ directe, Sacerdotis sententiam irritando, vel in ea dispensando, bene vero indirecte, reatum poenæ temporalis auferendo per Indulgentiarum dispensationem. Sacramentum enim hoc, non ex alio capite ad sui integritatem Poenitentiam ut punitivam exposcit, quam propter poenæ temporalis debitum non solutum. Verum cum Indulgentiæ per Christi Sanctorumque satisfactiones poenitentibus applicatas, illud relaxent, sequitur, Summum Pontificem vel alium Prælatum indirecte vel mediate solvere, seu remittere mediis Indulgentiis Poenitentiam Sacramentalem dicto modo consideratam: eo modo quo pecuniarum poenam, Senatus decreto alteri impositam exhibens ex propriis, debitorem eximeret a lege solvendi a superiore lata, non sententiam directe corrigendo, ob authoritatis defectum, sed debitum solvendo.

Objicies 2.° Remissio Poenitentiæ Sacramentalis ut solutivæ poenæ temporalis, mediis Indulgentiis obtentis, fundamentum agnosceret in applicatione satisfactionum Christi & Sanctorum; istæ autem plus præstare non valent, quam si poenitens, propriarum satisfactionum adminiculo extrasacramentaliter, temporalis poenæ reatum compensaret. Itaque cum non remittatur poenitentibus onus implendi poenitentiam injunctam ut poenæ temporalis solutivam, ex eo, quod illam in alia opera poenalia commutarint, nec pariter ob Christi Sanctorumque satisfactiones sibi per Indulgentias applicatas.

Resp. remissionem Poenitentiæ Sacramentalis ut punitivæ non ita fundari in applicatis Christi Sanctorumque satisfactionibus, ut ea Sacramentalis satisfactio in istas commutetur; deest enim in Summo Pontifice extra Sacramentum authoritas supra sententiam in foro Sacramentali prolatam, sed quia illis applicatis per Indulgentias concessas, reatus poenæ temporalis expungitur, remittitur per consequens Poenitentia Sacramentalis. Hinc esto quis possit plura opera satisfactoria extrasacramentalia peragere, non tamen in ea poenitentiam sibi injunctam commutare; hic enim actus ad jurisdictionem judicialem pertinet, quem supra seipsum poenitens non valet exercere.

Dices. Quanquam nequeat quis Poenitentiam Sacramentalem in alia opera commutare, nihilominus potest reddi immunis ab onere hujus satisfactionis ut solutivæ poenæ temporalis exhibendæ per alia opera præstita, ob quæ poenæ temporalis reatus remitteretur. Ergo sicut per Indulgentiarum virtutem, ita per alia opera satisfactoria eximeretur poenitens ab onere satisfactionis Sacramentalis ut solutivæ poenæ temporalis.

Resp. 1.° cum Dicastillo in *tract. 8. de Sacram. Poenit. disp. 14. dub. 2. num. 37.* disparitatem in eo consistere, quod opera satisfactoria, ex propria voluntate suscepta, non gaudent ratione punitionis vindictæque judicialis, ad quam ex Confessarii præcepto poenitens obligatur: adeoque ea poenitentiæ injunctæ ut solutivæ poenæ temporalis onus non relaxare. Per Indulgentias vero, nedum poenæ reatus aufertur vi satisfactionum Christi & Sanctorum, verum etiam ratio hujus vindictæ & punitio-

tionis, quia Summus Pontifex Indulgentias ut Christi Dispensator faciens, valet utrunque debitum pœnæ vindictæque judicialis ex Ecclesiæ Thesauro relaxare. Et hæc doctrina ex eo robur accipit, quod Summus Pontifex nedum pœnæ reatum ex Christi Sanctorumque satisfactionibus compenset, verum etiam ab eo beneficium absolutionis impendat, acceptata solutione nomine Dei. Hoc autem non verificaretur, ubi pœnitens propriis operibus satisfaceret; ibi enim non adesset, qui Dei nomine solutionem acceptaret, nec aliunde constaret, Deum per seipsum eam solutionem admittere.

Resp. 2.° Pœnitentem exhibita, satisfactione extrasacramentaliter, si ita pœnæ temporalis debitum persolverit, ut constet de adæquata & condigna solutione, ab implenda pœnitentia Sacramentali omnino excusari, sicut ob certam notitiam duntaxat Indulgentiæ comparatæ excusaretur quis ab onere Pœnitentiæ Sacramentalis implendæ; deficiente enim fine præcepti, & soluto debito, præceptum atque solvendi obligationem deficere necesse est. Cæterum cum nemo, seclusa Divina revelatione, certus esse possit, se per opera extrasacramentaliter exhibita adæquate solvisse debitum pœnæ temporalis, hinc est, neminem ob hanc causam ab onere implendi satisfactionem Sacramentalem excusari. Tum quia ratio pœnitentiæ ut medicinalis adhuc urget, ut ex mox dicendis constabit. Tum etiam quia licet pœnitens aliis operibus extrasacramentaliter satisfactoriis, aliquam pœnæ temporalis remissionem obtineret, non ideo statim a toto illo reatu suorum peccatorum immunitatem assequeretur, in quorum pœnam atque vindictam Sacerdos pœnitentialem satisfactionem indixit; etenim non raro quamplurima alia peccata sunt, quorum debitum nondum est in foro Dei persolutum: imo & ipsa peccata, in quorum vindictam pœnitentia est injuncta, contrahunt majorem reatum pœnæ temporalis, quam sit ille, qui injuncta Sacerdotis satisfactione deletur; ideoque ex quocunque capite reatus ille nondum esset adæquate solutus, Sacerdotis præceptum adhuc vim obligandi retineret. Idque sedulo ac prudenter expensum evincit, neminem, moraliter loquendo, posse ob satisfactionem extrasacramentalem proprio arbitrio oblatam, ad solutionem reatus contracti per culpas Confessioni subjectas, ab onere implendi Pœnitentiam Sacramentalem liberari. Hanc solutionem tradit Suarius *loco citat. num.* 9. his verbis = *In primis nemo potest licite ea intentione alia opera satisfactoria exercere, aut procurare, ut liberetur onere implendi pœnitentiam injunctam, quando nullam aliam habet legitimam excusationem, quia hoc revera esset in fraudem præcepti impositi, quod primum omnium impleri debet, si commode fieri potest. Deinde, quanvis alia opera satisfactoria aliquis faciat, aut aliis viis remissionem consequatur, non propterea statim liberatur a proprio reatu, & debito illorum peccatorum, pro quibus pœnitentia Sacramentalis injuncta fuerat; nam semper esse possunt alia peccata non integre remissa, & illamet peccata possunt esse digna majori pœna, quam fuerit imposita, vel quam, alia via sit exhibita; & quacunque ratione non sit integre satisfactum pro tali peccato, adhuc permanet obligatio exercendi satisfactionem Sacramentalem.*

Conclusio 2.ª Per indulgentias non remittuntur Pœnitentiæ Sacramentales ut medicinales. Ita Suarius *sect. supracit. n.* 8., PP. Salmanticens. Scholastici *Disput.* pariter *supracit. num.* 79.

Prob. Ut Indulgentiæ remitterent Pœnitentias Sacramentales quatenus medicinales, requireretur, satisfactiones Sanctorum ex Ecclesiæ Thesauro applicatas prodesse tum ad coercendas aliorum passiones, tum ad corporis macerationem, ad quæ obtinenda, eas diximus a Sacerdotibus injungi, ut sic possint peccata præcaveri in futurum. Hos autem effectus, sicut ea opera satisfactoria, dum Sancti humanam vitam agebant, præstare non poterant, ita nec post mortem; ideoque D. Thomas *dist. cit. artic.* 2. *quæstiunc.* 3. = *Dicendum*, inquit, *quod pœna satisfactoria est ad duo, scilicet ad solutionem debiti, & ad medicinam pro peccato vitando. Inquantum est ad remedium sequentis peccati, sic satisfactio unius non prodest alteri: quia ex jejunio unius caro alterius non domatur, nec ex actibus unius alius bene agere consuevit* = & loco in prima Conclusione citato inquit = *Non succedit Indulgentia in locum satisfactionis, inquantum est medi-*

dicativa, quia adhuc remanent pronitates ad peccandum derelictæ ex priori peccato, ad quas sanandas necessarius est labor satisfactionis; & ideo Crucesignatis, dum veniunt, consulendum est, ut non prætermittant satisfactionis opera inquantum sunt præservativa a peccatis futuris, licet reatus pœnæ sit totaliter solutus: nec ad hoc requiritur aliquis labor, quia sufficit labor passionis Christi; morientibus autem non est necessaria hujusmodi præservatio, sed solum liberatio a reatu pœnæ = Cohæret Angelico Seraphicus Doctor *dist.* 20. *q.* 1. *in resp. ad argum.* = *Dicendum*, ait, *quod pœna satisfactoria habet in se duplicem rationem, sive virtutem; pœna enim talis propter duo est maxime, & propter medicamentum contra sequelas peccati, & in pretium ad solvendum reatum peccati. Si enim loquamur de ista pœna secundum quod est purgatoria sive medicinalis, (cum mortuus non recipiat medicinam ex pœna aliena, sed propria, unde non extinguitur concupiscentia in me, si tu jejunes pro me) quantum ad hanc rationem pœna satisfactoria non potest nec debet commutari in aliam personam* = Clarius & proximius ad rem nostram accedens eandem tradit doctrinam laudatus Doctor *Artic.* 1.° = *Quantitas*, inquit, *Indulgentiæ attenditur respectu pœnæ, secundum quod habet rationem pretii vel debiti solvendi, non ratione antidoti, vel purgationis scoriæ peccati, quam necesse est amoveri per propriam pœnam, ut puta per contritionem, vel alicujus pœnæ perpessionem* = Ergo per satisfactiones Sanctorum ex Ecclesiæ Thesauro applicatas, & consequenter per Indulgentias, non remittuntur Pœnitentiæ Sacramentales prout medicinales.

Explicatur hoc magis. Firmis remanentibus tum præcepto pœnitentiæ ut medicinalis, tum ejusdem fine ac materia, necesse est obligationem illam subeundi persistere: quod in præsenti verificari certum est; Pontifex enim per Indulgentiæ concessionem, nequit præceptum pœnitentiæ ut medicinalis auferre directe & immediate a Sacerdote injunctum, prout Sacramenti Ministro. Rursus per Indulgentias non cohibentur vitia, neque inordinatæ passiones, aut peccatorum ulceribus medicamen aliquod in futurum apponitur. Igitur omnia persistunt, quæ obligationem explendi pœnitentiam prout medicinalem evincunt.

Hinc rejicimus Cajetani & Navarri Sententiam, asserentium, Sacerdotem prudenter existimantem, satisfecisse pœnitentem integre pro pœna temporali, antequam ad Sacramentum accederet, excusari ab obligatione injungendi satisfactionem Sacramentalem; imo cum Mediavilla sustinemus, Confessarium, qui ex Divina revelatione cognosceret, media contritionis efficacia, cuncta pœnitentis peccata quantum ad culpam pœnamque temporalem fuisse deleta, teneri adhuc pœnitentialem satisfactionem illi injungere; hæc enim aliquem effectum assequeretur, purgandi scilicet animam a scoria peccatorum, seu a pronitate in malum.

Objicies 1.° Concilium Lateranense IV. *Can. LXII.* ideo Indulgentias in posterum ab Episcopis concedendas definivit & restrinxit, *quia*, ut statuit, *per indiscretas & superfluas Indulgentias, quas quidam Prælati facere non verentur, & Claves Ecclesiæ contemnuntur, & pœnitentialis satisfactio enervatur*. Quod profecto verum non esset, si obligatio ad Pœnitentiam Sacramentalem, Indulgentiis acquisitis, urgeret; adhuc enim subsisteret obligatio implendi pœnitentiam prout medicinalem. Vel ergo per Indulgentias superfluas pœnitentialis satisfactio minime enervatur (quod est contra Concilium) vel remittuntur pœnitentiæ etiam prout medicinales.

Resp. Concilium Lateranense Canone citato non intelligendum esse de satisfactionibus prout medicinalibus, sed prout vindicativis; istæ enim sunt, quæ per Indulgentias indiscretas & superfluas enervantur, quantumvis obligatio implendi pœnitentias prout medicinales non tolleretur; quia ut observant PP. Salmanticenses, illis concessis, non tanta injungitur pœnitentia, quanta injungenda esset absolute in vindictam, sed illa minor duntaxat, quæ alias ad medicinam satis esset. Maxime quia per satisfactionem Sacramentalem absolute prolatam ea venit, quæ in vindictam atque punitionem decernitur.

Objicies 2.° Nequit Sacerdos obligare pœnitentem ad satisfactionem prout medicinalem, sed duntaxat prout vindicativam. 1.° Quia pœnitentia injuncta in medicinam pro-

procedit a Sacerdote ut Medico, ad quem spectat consulere, non vero præcipere: ut vero decernitur in vindictam, injungitur ab eodem ut Judice, cujus munus est obligare. 2.° Si ablato pœnæ reatu per Indulgentiam adhuc ad jejunium in medicinam determinatum pœnitens obstringeretur, vel illud deberetur tanquam satisfactio & pars Sacramenti, vel non? Primum dici non potest; enim vero qui nihil debet, nequit solutionis onere prægravari. Non secundum, quia præceptum Sacerdotis esse potest de satisfactione, prout parte integrali Sacramenti. Sacerdos ergo non potest pœnitentem obligare ad satisfactionem prout medicinalem, sed duntaxat ad satisfactionem prout vindicativam.

Respondent Patres Salmanticenses Scolastici in *Tract.* 24. *de Pænit. disp.* 11. *dub.* 5. *num.* 86. Sacerdotem nedum obligare pœnitentem ad satisfactionem ut vindicativam, sed etiam prout medicinalem: idque ex eo constare, quod in communi sententia, quam amplectitur Lugo *disp.* 25. *sect.* 5. *num.* 74, potest Sacerdos justis de causis gravem injungere pœnitentiam. pro venialibus, vel etiam pro mortalibus jam confessis, ad evitandum vel lapsum viri Religiosi, vel relapsum ejusdem, aut alterius, ad cujus exhibitionem pœnitens graviter tenetur; id enim injungitur a Sacerdote ut Medico. Sed cum pace eorundem Patrum (quos alias veneramur ut Magistros) Cardinalis de Lugo cum pluribus Doctoribus statuens, propter sola venialia, aut mortalia jam confessa posse gravem pœnitentiam injungi, doctrinam non limitat ad casum particularem præcavendi lapsum aut relapsum viri Religiosi, vel alterius personæ: nec generaliter loquitur de satisfactione prout medicinali, sed præcise ut punitiva, seu solutiva poenæ temporalis; hoc enim sibi objiciens Argumentum = *Tota obligatio pœnitentiæ succedit peccato veniali, quæ tota erat levis. Ergo succedit cum eadem levitate* = Respondet = *Sed contra, hæc obligatio, proprie loquendo, non succedit obligationi vitandi peccatum veniale, quæ erat levis, sed potius obligationi & debito passivo patiendi pœnam temporalem, quod relictum fuit ex culpa veniali: hoc autem debitum, seu hæc obligatio non erat ad culpam gravem aut levem, sed ad pœnam, & quidem erat obligatio gravis, hoc est ad pœnam gravem; erat enim obligatio ejusdem rationis cum illa, quæ remanet ex culpa etiam mortali jam remissa ad pœnam temporalem, quæ obligatio commutatur in obligationem satisfactionis Sacramentalis; & potest contingere, quod aliquis debeat majorem pœnam temporalem propter multa venialia, quam alius propter mortalem culpam jam remissam. Ergo si satisfactio imposita propter culpam mortalem obligat graviter, eodem modo poterit obligare satisfactio imposita propter multa venialia, cum hæc etiam satisfactio succedat obligationi ad pœnam temporalem debitam, sicut illa* = Ut ergo occurramus argumento.

Resp. Sacerdotes obligationem indicere ad Pœnitentiam tum prout vindicativam, & solutivam poenæ temporalis, tum prout medicinalem: nec oppositum evinci ex prima probatione ab Adversariis adducta; Sacerdos enim explet munus Medici, nedum suggerens salubria pœnitentibus consilia, vel culparum fœditatem, æternæque damnationis periculum aperiens, verum etiam medicinalem satisfactionem præcipiens, cum in foro Sacramentali sistat ut Christi Minister; ideoque sicut Christus potest ad pœnitentiam prout medicinalem obligare, ita Sacerdos, ob hujusmodi Ministerium sibi demandatum. Et profecto si Judex quatenus talis non solum pœnam indicit ad vindicanda anteactæ vitæ crimina, sed etiam ad eadem in futurum vitanda, ut perspicue constat in Judicibus fori exterioris, non videtur id Sacerdoti, qui in foro Sacramentali Judex a Christo est constitutus, denegandum. Maxime quia, sicut potestas ligandi & absolvendi non est duplex, sed una simplex, ita potestas Sacerdotis prout Judicis & Medici unica est atque indivisibilis.

Ad 2.am probationem dicimus, quod ablato per Indulgentias pœnæ temporalis reatu, ad jejunium pœnitens obligaretur a Sacerdote, tanquam ad partem Sacramenti: nec incongrue; in eo enim eventu satisfactionis nomen injuncta pœnitentia sibi vindicaret, non quia reatum pœnæ solveret, sed quia pœnitentiæ nomen applicatur operi, in foro Sacramentali injun-

juncto, tum ad reatus poenæ solutionem, tum ad præservationem a culpis.

Objicies 3.° Indulgentiæ præbent remedium ad præcavenda peccata futura = *Dicendum* (inquit Angelicus *loco cit. art.3. quæstiunc.* 1.ª) *Quod majus remedium præbetur contra peccata vitanda ex gratia, quam ex assuetudine nostrorum operum. Et quia ex affectu, quem, accipiens Indulgentias, concipit ad causam, pro qua Indulgentia datur ad gratiam disponitur, ideo etiam per Indulgentias remedium ad peccata vitanda datur* = Dari autem remedium ad peccata vitanda per Indulgentias, est idem præstare, quod facit Poenitentia ut medicinalis; ac per consequens illarum virtute Poenitentiæ etiam prout medicinalis obligatio relaxatur.

Resp. D. Thomam non loqui de Indulgentiis formaliter, aut effective consideratis, quo pacto applicationem important satisfactionum Christi & Sanctorum ex Ecclesiæ Thesauro, ad solutionem reatus poenæ, factam ab habente legitimam athoritatem, sed de illis, secundum quod afferunt concomitanter conditiones ad earum fructum percipiendum requisitas, ut sunt sacræ peregrinationes, Ecclesiarum visitationes, piæ preces, Sacramentales Confessiones & Communiones, quæ omnia devote atque ferventer impleta, ex se medicinæ sunt, animamque ad recipiendam gratiam præparant, ut pro vitandis culpis in futurum, majus ac validius remedium exhibeatur. Porro hanc esse legitimam Angelici Præceptoris interpretationem, constat ex eo, quod ipsemet statuat (ut dictum est in probatione nostræ Conclusionis) satisfactionem unius alteri applicatam nullo modo ad ejus medelam atque correctionem prodesse = *Quia*, inquit, *ex jejunio unius, caro alterius non domatur, nec ex actibus unius, alius bene agere consuevit*, = adeoque Indulgentiæ formaliter, aut effective consideratæ ad evitanda peccata non juvant, sed solum secundum opera, aut conditiones, quas concomitanter important.

Ex dictis colliges 1.°, falsam esse quorundam Doctorum sententiam (quam amplectitur Glossa in *Cap. Quod autem de Pœnit. & Remissionib.*) asserentium, Indulgentiarum virtute Poenitentias Sacramentales relaxari, dummodo Sacerdos Poenitentiam injungens id concesserit; tum quia hujusmodi opinio imminuere videtur Summi Pontificis potestatem ad remittendas poenas temporales; tum quia ea est Indulgentiæ natura, ut ex se sit relaxatio poenæ debitæ in foro Dei, independenter ab authoritate Sacerdotis absolventis in foro Sacramentali.

Colliges 2.° falsitatis vitio laborare aliam sententiam, cujus meminit Corduba *Lib.5. qu.50.*, quæ etsi proprium Indulgentiarum valorem agnoscat, ac a præcedenti diversa sit, statuit tamen concedenti Indulgentias onus incumbere satisfaciendi Deo pro illis, quorum favore concessio fieret; etenim Indulgentiæ non fiunt ex propriis, sed de alienis satisfactionibus, applicatis ex Ecclesiæ Thesauro. Accedit, quod si Indulgentias concedens, satisfacere teneretur, aut ante perceptionem fructus earum, aut postea. Primum dici non potest; ad quid enim Indulgentiarum adhiberetur subsidium, ubi debitum poenæ temporalis alienum, ob præstitam satisfactionem Prælati concedentis Indulgentias, esset fortassis integre persolutum? Non secundum, quia applicatis Christi Sanctorumque satisfactionibus, altera solutio nihil prodesset. Itaque non incumbit onus concedenti Indulgentias ad satisfaciendi pro illis, quorum favore hujusmodi concessiones fierent.

ARTICULUS IV.

An Indulgentiæ de Injunctis pœnitentiis concessæ extendantur adhuc ad remittendas peccatorum pœnas, pro quibus pœnitentiæ injunctæ non sunt.

DUBIUM ex eo oritur, quod non raro expletis poenitentiis, quæ in foro Sacramentali injunctæ sunt, supersunt tamen adhuc poenæ temporales peccatis debitæ, pro quibus poenitentiæ injungi possent: An scilicet hujusmodi Indulgentiæ ita præscriptas poenitentias prout punitivas, poenamque temporalem illis correspondentem relaxent, ut etiam ad reliquas injungendas, aliasque pœnas in foro Dei debitas se extendant?

Ne-

Negative respondet Cajetanus in *Tom.* 1. *Tract.* 15. *cap.* 17. dicens = *Quia hujus rei veritas ex facto dependet, & Sacri Canones tantum de injuncta loquuntur, ideo tenendo certum, & dimittendo incertum, definita est Indulgentia, quod est absolutio a pœnitentia injuncta* = Imo anceps, an unquam Summi Pontifices aliam adhibuerint formam, qua injungendam pœnitentiam relaxarint, subdit = *Utrum autem hactenus Pontifices sic dederint Indulgentiam, nescio* = Pro hac sententia ex antiquis Doctoribus referuntur Alensis in 4. *par. quæst.* 23. *num.* 2. Adrianus *Quæst. ultim. de Indulg.* Durandus in 4. *dist.* 20. *quæst.* 4. *nu.* 9. Paludanus *quæst.* 4. *art.* 1. *in* 2. *par. conclus.* 2. aliique apud Passarinum *qu.* 10. *nu.* 118.

Conclusio. Indulgentiæ de *injunctis* pęnitentiis extenduntur etiam ad peccatorum pęnas, pro quibus pęnitentiæ injunctæ non sunt. Ita D. Thomas in 4. *dist.* 20. *quæst.* 2. *artic.* 1. Suarius *disput.* 50. *sect.* 3. *num.* 24.

Prob. 1°. Majus est pœnitentias injunctas, quam non injunctas relaxare, ut patet in foro exteriori, in quo difficilius est pœnarum remissionem post latam sententiam obtineri, quam prævie ad illam. Quando vero majus conceditur, minus concessum esse videtur *Cap. ex parte de Decim.* Quod potissimum verum est in iis, quæ sunt ejusdem ordinis, sicuti sunt pœnitentiæ, de quibus agimus; quamobrem sicuti alicui facultate attributa absolvendi a reservatis, intelligitur, eum pariter a non reservatis posse absolutionis beneficium Christifidelibus impertiri; ita Indulgentiæ de *injunctis* concessæ, debent ad non injunctas extendi, supposita aliunde Prælati concedentis potestate, ad eas, modo in præcedenti Articulo explicato, remittendas.

Dices. Indulgentia Plenaria quandoque conceditur cum illo addito = *De pœnitentiis injunctis* = Ibi autem nequit ea particula ad extensionem mox dictam significandam usurpari; cum Plenaria ex se & immediate omnem pęnam temporalem remittat, atque ex consequenti etiam pęnitentias non injunctas expungere satis esset.

Resp. 1. nunquam in antiquis aut recentioribus Indulgentiæ Plenariæ concessionibus hanc clausulam reperiri; ut advertit Suarius, qui plures enumerat.

Resp. 2.° dato & non concesso, eam clausulam etiam pro Indulgentiis Plenariis fuisse usurpatam, non proinde a Conclusione propugnanda recedere compellemur; arbitramur enim, fuisse adjectam, ad declarandum, Indulgentiam non dari de culpis, sed duntaxat de pęnis: vel tam uberem fuisse concessionem, ut injunctas quoque pœnitentias complecteretur, quia sub injunctis injungendæ comprehenduntur, seu quæ a jure injunctæ sunt, & per hominem debent injungi. Et hoc necessario est admittendum, nisi velint dicere Adversarii, Indulgentiam Plenariam de *injunctis* majorem vel minorem effectum sortiri, quia majorem vel minorem pœnitentiam Sacerdos imposuit in foro Sacramentali.

Prob. 2.° Nulla potest ratio congrua excogitari, quare Summi Pontifices, per Indulgentias de Injunctis concessas, pęnam tantum temporalem eisdem correspondentem remittant, ea exclusa, quæ aliis pęnitentiis aut injungendis, vel sponte suscipiendis responderet, quum nullum inconveniens aut damnum sequeretur. Quod si cum Navarro reponeres, reddi dignos Christifideles dicta remissione propter pęnitentias injunctas acceptatas, parum aut nihil contrariæ sententiæ posset prodesse; imperceptibile enim est, quomodo posset Indulgentiarum beneficium ob pęnitentias injunctas acceptatas, Christifidelibus concessum, vergere potius in eorum detrimentum, quam utilitatem. Demus enim, Christifideles prævie ad Indulgentias, injunctas satisfactiones explevisse, si niterentur deinde earundem fructum percipere, quanquam aliarum culparum reatibus essent obstricti, pro quibus pęnitentiæ injunctæ non sunt, privarentur Indulgentiarum fructu; cum alias fortassis majori fervore se dignos reddidissent. Quod pressius potest contra Cajetanum urgeri. Concessis Indulgentiis juxta prædictam formulam, non esset in concessione sermo de *injunctis* in ultima Confessione duntaxat; locutio siquidem esset indefinita, quæ non posset juxta proprium verborum sensum ad istas tantummodo alligari. Si vero de *injunctis* in anteactis Confessionibus intelligeretur, posset inquiri: An id de pœni-

tentiis non impletis intelligendum esset, vel de impletis? Primum non videtur dicendum, etenim in eis exhibendis negligentior, aptior redderetur, meliorisque esset conditionis ad obtinendum Indulgentiarum fructum præ cæteris, qui pœnitentias illas explere satagerent, contra Summorum Pontificum mentem, qui non raro in hujusmodi concessionibus Christifideles hortantur ad pœnitentiales satisfactiones peragendas. Secundum apertissime contrariæ sententiæ refragaretur; impletis siquidem pœnitentiis injunctis, opus non esset pœnas temporales Clavium virtute relaxari, quæ illis correspondent; ac proinde irritæ prorsus fierent ejusmodi Indulgentiarum concessiones. Quod si responderes: in hoc casu ad injunctarum mensuram illius debiti remissionem comparari, pro quo pœnitentiæ injunctæ non fuissent, jam admitteretur quod ab Adversariis negatur; concluderetur enim, formam illam esse intelligendam de *injunctis*, aut juxta earum mensuram, seu quod idem est (ut notat Suarius) de *injunctis* aut injungendis, vel etiam de *injunctis*, licet nondum a Fidelibus impletis.

Dices. Ad quid ergo hæc clausula solet adhiberi, si Indulgentiæ de *Injunctis* ampliantur ad quascunque pœnas temporales debitas in foro Dei?

Resp. cum Suario, id fieri, quia Indulgentiis sub hac formula concessis, primo ac per se relaxatur pœna *injunctis* pœnitentiis correspondens: quod forte non fieret, si concessio esset absoluta.

Objicies 1.° Standum est verborum sensui, & conformiter ad ipsa debet intentio concedentis intelligi, ut habetur in Extravag. *Quorundam de Verbor. Signif.* non enim præsumendum est, concedentem velle oppositum suis verbis intendere. Itaque cum clausula *de injunctis* sententias Judicum significet de explendis pœnitentiis datis in foro Sacramentali, dicendum est, has & non alias per hujusmodi Indulgentias remitti. Alias si licitum foret eam particulam *etiam* addere ad exponendas pœnitentias injungendas, quæ remitterentur, plurimi Sacrorum Canonum textus possent ad sensus alienos a Summorum Pontificum mente detorqueri.

Resp. traditam interpretationem esse omnino Juri conformem, cum sensus a verborum proprietate alienus non sit; vere enim injunctæ pœnitentiæ sunt, vel a Jure, vel a Deo, vel in Sacramentali Confessione taxatæ juxta Innocentium & Turrecrematam in Capite *Cum ex eo de Pœnit. & Remiss.* Imo quanquam hæc esset ampla interpretatio, tamen quia agitur de Indulgentiarum beneficio, quod nemini nocet, & alteri prodest, late proinde debet interpretari juxta Doctores in Capite *Quo circa de Privileg.* Nec inde sequeretur, licitum semper fore in Sacrorum Canonum interpretatione particulam *etiam* addere, sed tunc solum, quando implicite in verborum proprietate contineretur, expensis aliis regulis Juris, & recta ratione. Accedit, dari in proposito interpretandi necessitatem, ne verum sit, Indulgentias istas majorem effectum inducere, non quia majorem concesserit pœnarum temporalium remissionem Sedes Apostolica, sed quia majorem in foro Sacramentali Pœnitentiam injunxerit Sacerdos.

Objicies 2.° in Cap. *Cum ex eo de Pœnit. & Remiss.* cavetur, ne Episcopi dent Indulgentias, nisi de *injunctis*. Hoc autem non expediret determinari, nisi limitationem remissionis pœnitentiarum exprimeret. Ergo Indulgentiæ cum illa clausula, non possunt intelligi etiam de non injunctis.

Resp. Legem ibi statutam, ut tradunt communiter Doctores, Episcoporum potestatem restringere, ne ultra annum in die Dedicationis Ecclesiarum, aut ultra quadraginta dies pro aliis causis dicti Prælati Indulgentiæ concessionem extenderent, non vero esse in ordine ad pœnitentias, ita ut præter injunctas, alias non possint relaxare.

Objicies 3.° Indulgentiarum usus ex eo natus est, quod Canones pœnitentiales qui olim erant in usu Sacramenti, ad gravissimas satisfactiones obligarent, quibus, tepescente in Christifidelibus fervore, arduum erat eos prægravare: ideoque cœperunt Summi Pontifices Indulgentias dierum, vel annorum, de *injunctis* despondere. Non ergo aliæ pœnitentiæ præter injunctas per hujusmodi Indulgentias remittuntur.

Resp. ex Indulgentiarum usu non probari Adversariorum intentum. Non enim est verosimile, Summorum Pontificum mentem fuisse, ut Indulgentias de *injun-*

ctis

ctis lucraturi, non uberiorem obtinerent remissionem, ubi ex Sacerdotis errore nullo pœnitentis interveniente defectu, minores forent satisfactiones implendæ, quam culparum gravitas exigeret; & ideo Cardinalis de Lugo & Cottonius contrariæ sententiæ propugnatores admittunt, Indulgentias de *injunctis* concessas esse intelligendas de *injunctis*, vel ex vi Canonum injungendis. Verum nobis verosimilius videtur, eas ad Canonum Leges non ita restringere, sed pariter ad Dei Legem pœnam taxantem ampliare. Ex his colliges, Indulgentias absolute concessas, non solum de *injunctis*, sed etiam de injungendis pœnitentiis, seu quomodolibet debitis certissime & a fortiori intelligendas esse: quia cum nulla pœnarum, vel pœnitentiarum distinctio ponatur, ad omnes per consequens illæ sunt extendendæ; ubi enim Jus non distinguit, nec nos distinguere debemus, ut habetur *Dist.* 20. *Si Evangelia*, *& Cap. Solitæ de Majorit. & Obed.* Quod notavit D. Thomas loco citato dicens absolute de Indulgentiis = *Valent ad remissionem pœnæ residuæ post contritionem, & absolutionem, & Confessionem, sive sint injunctæ sive non* = Eo vel maxime, quod nonnullæ Indulgentiæ sine adjecta clausula de *injunctis* sunt Plenariæ, per quas certum est, omnem pœnam temporalem relaxari.

Nec audiendus est Cajetanus asserens: Indulgentiis Plenariis plenam remissionem injunctarum concedi, non vero ampliorem. Primo quia constat ex Summorum Pontificum Bullis, eas omnes pœnas remitti, quæ per Baptismale Lavacrum remitterentur; quod profecto verificari non posset, si de solis *injunctis* loquerentur. Nisi velimus dicere, Summos Pontifices plus promittere, quam reipsa concedant. Secundo quia Bonifacius VIII. pro comperto habens, hanc Plenariæ Indulgentiæ limitationem per ora Doctorum circumferri, in Consistorio publico declaravit, teste Joanne Monacho in expositione Extravag. *Antiquorum* verbo *Plenissimam*, ipsoque præsente & audiente, se voluisse eam Plenam Indulgentiam concedere, quam possent Ecclesiæ Claves impertiri.

Antequam hoc dubium absolvamus, duo observa. Primum, quod in Cappella Pontificia, quando habentur sermones, promulgantur ab Oratoribus Indulgentiæ decem, vel plurium annorum absolute, sine clausula de *injunctis*. Secundum, cum Indulgentiæ partiales per Literas Apostolicas in forma Brevis modo conceduntur, adhiberi clausulam *de Injunctis*, sed additis his verbis: *vel alias quomodolibet debitis pœnitentiis*: quem morem arbitramur invectum sub Pontificatu Gregorii XIII.

ARTICULUS V.

An Indulgentiæ suum sortiantur effectum recedente fictione.

Fictionem, de qua loquimur, in Indulgentiis contingere statuimus, quando facta legitima earum concessione, operibusque injunctis a Summo Pontifice vel alio Ecclesiæ Prælato, jam expletis, adhuc pro tempore ad acquirendas Indulgentias designato, remanet quis ob peccatum lethale gratiæ sanctificantis communicatione destitutus. Hac itaque fictione concurrente, certum est Indulgentias effectum non sortiri, unde dubium oritur: An post elapsum tempus Indulgentiæ comparandæ præfinitum, redeunte Christifideli ad statutum gratiæ vel per contritionem, vel attritionem supernaturalem Sacramento Pœnitentiæ conjunctam, Indulgentiarum effectus recuperetur?

Parti affirmativæ subscribunt Paludanus, in 4. *Dist.* 20. *quæst.* 4. *art.* 3. D. Antoninus *p.* 1. *tit.* 10. §. 2. Sylvester *verb. Indulgen. n.* 32. apud Passerin. *Quæst.* 26. *n.* 210. contra quos sit

Conclusio. Indulgentiæ suum non sortiuntur effectum recedente fictione. Ita sentiunt fere omnes Doctores.

Prob. Indulgentiæ nequeunt suum effectum operari ultra intentionem concedentis. Hæc autem non est, pœnas temporales relaxare recedente fictione; habetur enim ex forma in Literis Apostolicis expressa *Contritis, vel Confessis* Indulgentiam concedi, unde hanc formam extendere ad eos, qui obice per contritionem remoto redeunt ad gratiæ sanctificantis statum, est sine ullo prorsus fundamento mentem concedentis interpretari: cum contritio, aut Confessio Sacramentalis sit una ex conditionibus necessario prærequisita, ad Indulgentias comparandas intra tempus defini-

finitum. Igitur Indulgentiæ non sortiuntur suum effectum recedente fictione.

Objicies. In omnibus Sacramentis novæ Legis, fictione recedente, principalis effectus obtinetur = *Dicendum* (inquit D.Thomas in 4. *dist.* 27. *quæst.* 3. *art.* 4. *quæstiun.*1.) *quod Confessio est actus virtutis, & pars Sacramenti. Secundum autem quod est actus virtutis est actus meritorius proprie: & sic Confessio non valet sine charitate, quæ est principium meriti. Sed secundum quod est pars Sacramenti, sic ordinat pœnitentem ad Sacerdotem, qui habet Claves Ecclesiæ, qui per Confessionem conscientiam pœnitentis cognoscit. Et secundum hoc Confessio etiam potest esse in eo, qui non est contritus: quia potest peccata sua Sacerdoti innotescere, & Clavibus Ecclesiæ se subjicere; & quanvis tunc non percipiat absolutionis fructum, tamen recedente fictione percipere incipiet, sicut est in aliis Sacramentis; unde non tenetur iterare Confessionem, qui fictus accedit, sed tenetur postmodum fictionem suam confiteri* = Idem ergo dicendum erit de Indulgentiis, cum tam Sacramenta quam Indulgentiæ suos causent effectus ex opere operato.

Resp. 1.° (Quidquid sit de allati textus D. Thomæ intelligentia) juxta Doctrinam Durandi, Richardi, Suarii, & aliorum, qui arbitrantur omnia, & quæcunque Sacramenta, recedente fictione, gratiam sanctificantem producere, id propterea fieri, quod Sacramenta remota fictione perficiantur, & Christifidelibus applicentur, illorumque virtus intra determinatum temporis spatium non restringatur; unde nihil obstat, quod peccati lethalis obice remoto, gratiæ sanctificantis effectus inducatur. In casu vero, de quo agimus, Indulgentiæ post præfinitum tempus nec in se perficiuntur, neque applicantur, earumque virtus præter tempus ab habente facultatem concedendi determinatum non extenditur.

Resp. 2.° Id quod de Sacramentis objicitur recedente fictione, solum verificari de imprimentibus Characterem; hæc enim ex una parte sunt opus Dei, aptaque de sui institutione gratiam sanctificantem producere, atque in virtute, & effectu in rerum natura permanere saltem virtualiter in suo termino quantum ad executionem primario, nempe in Charactere, velut in semine, ut sublato impedimento possint dictum effectum causare. Indulgentiæ e converso, cum nihil in homine intrinsece receptum relinquant, nequeunt proprium effectum formalem sortiri. Rursus congruum fuit, rationique maxime consentaneum, in prædictis Sacramentis Deum ita disposuisse, cum nequeant iterari; unde si gratiam sanctificantem nequaquam efficerent, proprio fraudarentur effectu. Verum si forte aliquarum Indulgentiarum fructus propter impedimentum percipi non valeret, posset ex aliis hujusmodi concessionibus, ubi illud non occurreret, obtineri.

Quæres. An saltem Summus Pontifex de plenitudine Potestatis valeat Indlugentias concedere, quæ pœnam temporalem remittant fictione recedente?

Respondemus negative; Indulgentiarum enim fructus nequit comparari citra dispensationem Thesauri meritorum Christi & Sanctorum, pro tempore ab Ecclesiæ Prælato factam. Porro vel dicta applicatio fieri posset pro Christifidelibus, quando gratia sanctificante, cæterisque virtutibus supernaturalibus decorantur: vel quando sunt in statu peccati? Si primum dicatur, expletis operibus injunctis Indulgentiæ suum asséquerentur effectum; quod profecto non est, Indulgentias remissionem pœnæ temporalis causare fictione recedente. Secundum nihil probat contra nos, ea siquidem intentio foret irrationabilis, ac contra Jus Divinum; statu enim peccati durante, seu nondum culpa lethali remissa, datur incapacitas obtinendi remissionem pœnæ temporalis.

Dices. Thesauri Ecclesiæ applicationem fieri posse a Summo Pontifice pro Christifidelibus nondum existentibus in statu gratiæ: non quidem ut cum peccato lethali Indulgentiarum effectum componant, sed cum primo actum perfectæ contritionis emiserint; ac per consequens recedente fictione, acquiri potest effectus Indulgentiæ correspondens.

Resp. etiam hoc dicendi modo admisso, solum sequi, Indulgentias suum sortiri effectum impleta conditione contritionis a concedente injuncta: non autem quod ab Adversariis intenditur; ut enim verum esset, Indulgentias suum effectum causare recedente fictione, oporteret, quod expletis

vel

vel operibus, vel conditionibus a Summo Pontifice in concessionibus expressis intra tempus designatum ad eas acquirendas, earum fructus ob culparum reatum impeditus, propter reditum ad statum gratiæ communicaretur. Quod profecto in adducta hypothesi nequaquam contingeret; contritio enim esset una ex conditionibus requisitis ad Indulgentiam comparandam, citra temporis determinationem a Summo Pontifice concessam: ac proinde Indulgentiæ valor perduraret usque ad tempus, quo Christifideles illum actum emitterent.

ARTICULUS VI.

An Indulgentiæ tantum valeant quantum sonant.

NEGANT nonnulli Authores, tantum valoris Indulgentias præseferre, quantum in formis concessionum exprimitur, sed arbitrantur, Christifidelibus illum duntaxat fructum correspondere, quem sibi quilibet fide ac devotione promeretur: addentes, id Ecclesiam asserere, ut pia quadam fraude filios suos ad bene agendum alliciat, eo modo, quo mater proprio filio pomum ostendit, quod postea non donat, ut illum provocet ad ambulandum.

Hæc tamen sententia communiter a Doctoribus reprobatur; nihil enim quod umbram fraudis, aut infidelitatis præsefert, est Ecclesiæ tribuendum = *Hoc videtur valde periculosum dicere* (inquit D.Th. *Dist.*20. *quæst.*1. *art.*3. *quæstiunc.* 2.ª) *sicut enim dicit Augustinus in Epistola ad Hieronymum, si in Sacra Scriptura deprehenditur aliquid falsitatis, jam robur Sac. Scripturæ perit: & similiter si in prædicatione Ecclesiæ aliqua falsitas deprehenderetur, non essent documenta Ecclesiæ alicujus authoritatis ad roborandam fidem.*

Alii relati a Petro Soto in *Instruction. Sacerdot. sect.* 2.ª putant, Indulgentias valere secundum justam prudentis æstimationem, seu secundum justum valorem operum, quorum intuitu conferuntur; quamobrem si peregrinatio, eleemosyna, vel quodcunque aliud opus pium sufficiens sit ad satisfaciendum pro pœna temporali dierum vel annorum, idem dicunt, Indulgentiarum virtute comparari. Itaque juxta hunc dicendi modum reipsa nihil per Indulgentias acquiritur, sed una satisfactio commutatur in aliam, vel datur occasio agendi, quod alias valet ad pœnæ temporalis remissionem.

Cæterum hoc modo dicendi admisso evitari non potest inconveniens mox ponderatum; daretur enim intelligi potestate Clavium, annorum vel dierum pœnitentiam relaxari, cum id duntaxat remitteretur, quod operi meritorio aut satisfactorio responderet = *Alii dixerunt* (inquit S.Thomas laudatus,) *quod valent, quantum pronuntiantur...... secundum æstimationem, quæ justa est secundum judicium bonorum pensata conditione personæ, & utilitate & necessitate Ecclesiæ, quia uno tempore Ecclesia plus indiget, quam alio. Sed hæc etiam opinio non potest stare, ut videtur: primo, quia secundum hoc Indulgentiæ non valerent ad remissionem, sed magis ad commutationem quandam: & præterea prædicatio Ecclesiæ a mendacio non excusaretur, cum quandoque Indulgentia prædicetur longe major, quam justa æstimatio possit requirere, omnibus prædictis conditionibus pensatis.*

Alia sententia est apud Suarium *disputat.*56. *sect.*3. *num.*1., Indulgentias nempe semper valere quantum sonant, ita ut ad earum valorem dicat, causam non exigi, vel eam semper adesse, quum Summus Pontifex Indulgentias impertitur: quia alias deceptionis periculum non posset evitari; promitteretur enim absolute, quod non nisi sub occulta, ac tacita conditione posset comparari.

Quantum autem a veritate declinet hic dicendi modus, constat ex eo, quod apud Doctores communiter receptum est, nosque superius *Cap.*4. *Artic.*2.º firmavimus, justam, seu proportionatam causam ad Indulgentiarum concessionem postulari: cum Summus Pontifex non sit Thesauri meritorum Christi & Sanctorum Dominus, sed merus Dispensator; eam autem ad Indulgentiæ validam in Literis Apostolicis concessionem exprimi non oportet, ut evincitur exemplis voti, & juramenti, in quibus certum est, Summum Pontificem prævia justa causa posse dispensare, nulla facta expressione conditionis: *Si subsit justa causa*, sed duntaxat hujusmodi conditione subintellecta.

cta. Neque ex hoc sequitur, Summum Pontificem Christifideles decipere, sicut nec Deus ipse aliquid simpliciter promittens, quod postea non implet, nos fallit, deficiente conditione, quæ quanquam in promissione declarata non fuerat, in re promissa implicite continebatur.

Conclusio 1.ª Clave non errante infallibile est, Indulgentias tantum valere, quantum sonant. Ita sentiunt D.Th. *loco supracitat.* Albertus *in 4. dist.* 20. *quæst.* 1.ª *Artic.*3. *quæst.*1.ª, Turrecramata §. *Item in Levitic. de pœnit. dist.* 1. *art.*4. *n.*23., Bologninus *de Indulg. num.* 78., Suarius *loco supracit. num.* 7. & cæteri Doctores communiter.

Prob. Clave non errante ex justa & rationabili causa movetur Summus Pontifex ad Indulgentiarum concessiones, gaudetque potestate tribuendi valorem per verba in earundem concessionibus significatum. His autem suppositis ex nullo capite potest subrepere dubium de valore Indulgentiarum. Ergo Clave non errante infallibile est, Indulgentias tantum valere, quantum sonant.

Conclusio 2.ª In particulari infallibile non est, hanc Indulgentiam valere quantum sonat. Ita sentiunt communiter Doctores.

Prob. Quanquam nequeat prudenter dubitari, dispensationem factam a Summo Pontifice, vel in voto, vel in juramento esse omnino validam, tamen in particulari infallibile non est, hanc dispensationem validam esse. Insuper certum est, absolutionem Sacerdotis a peccatis in foro Sacramentali validam esse, suumque effectum sortiri, suppositis debitis conditionibus, non tamen idem pari certitudine tenendum est de hac absolutione in particulari; deberet siquidem in utroque casu constare de legitimis causis & conditionibus hujus Pontificiæ dispensationis, & absolutionis Sacerdotalis. Cum ergo nequeat certo sciri, Indulgentiam in particulari ex legitima causa factam fuisse, consequens est, non esse infallibile, hanc Indulgentiam in particulari tantum valere, quantum sonat.

Hic tamen observamus cum Suario loco citato, quod ubi evidenter non constet, Indulgentiam sine justa causa fuisse concessam, præsumendum non esse, eam minoris efficaciæ quam verba sonant, quia Superioris factum præsumendum est legitimum ac validum, & maxime Summi Pontificis, tum propter specialius auxilium ei a Deo ad Ecclesiæ Universalis regimen promissum & collatum, tum quia difficile est cogitare defectum, vel ex parte voluntatis, ut nolit concedere, quantum verba concessionis exprimunt: vel ex parte causæ proportionatæ, quia proportio causæ ad Indulgentias juxta prudentis Dispensatoris arbitrium attendi debet.

ARTICULUS VII.

Unde fit ut ab iis, qui opera pro Indulgentiis requisita æque implent, non raro magis vel minus de earum effectu participetur.

SUPPONIT hoc dubium, non raro contingere, vacantes eisdem operibus pro Indulgentiis injunctis inæqualem pœnæ temporalis remissionem obtinere. Unde autem ea inæqualitas proveniat, sine discussione præteriri non debet; & quidem controversia est, quum in forma Indulgentiæ, una eademque fit concessio per omnibus Christifidelibus; neminem enim fugit, facta declaratione, quod plus Indulgentiæ desponderetur iis, qui magis laborarent, aut devotius se gererent in certis piis operibus adimplendis, admittendum esse Indulgentiarum effectum inæqualiter comparari, cum diversæ fierent in eo casu Indulgentiarum largitiones.

Conclusio 1.ª Ex majori vel minori devotione & labore, quo opus injunctum impletur pro comparanda Indulgentia, non desumitur inæqualitas participationis effectus ejusdem.

Prob. Si ex majori, vel minori devotione & labore, quo opus injunctum impletur pro acquirenda Indulgentia, desumeretur inæqualitas percipiendi effectum illius, vel hoc esset ex parte subjecti: vel quia opus injunctum se haberet tanquam dispositio ad Indulgentiam: vel quia tale opus majori devotione ac labore impletum esset magis meritorium ac satisfactorium pro pœna temporali: vel tandem ex parte causæ piæ, ratione cujus Indulgentia concessa est. Nullum autem ex his evincit inæqualem Indulgentiæ effectum obtineri ob

ob dictam majorem vel minorem devotionem, & laborem. Non primum, quia opus injunctum ex se vere & proprie dispositio non est, sed mera conditio exacta a concedente; unde quanquam in ejus executione plus devotionis & laboris impenderetur, nihil referret ad uberiorem Indulgentiæ fructum recipiendum; etenim majori labore, aut devotione implentibus opus injunctum, aliquid plus Indulgentiæ promissum non est. Non secundum, quia Indulgentiæ effectus non innititur operi prout meritorio, aut prout satisfactorio; ideoque quod unus præ alio vel devotius hujusmodi opus impleret, vel in eo plus laboraret, nihil poneret quod ad uberiorem Indulgentiæ fructum majorem proportionem haberet = *Ille qui est vicinus Ecclesiæ* (inquit Angelicus Præceptor in 4. *dist.*20 *qu.*1. *art.*3. *quæstiunc.*2.) *& etiam Sacerdotes & Clerici consequuntur tantam Indulgentiam, sicut illi qui venirent a mille dietis, quia remissio non proportionatur labori, sed meritis quæ dispensantur* = Non tertium, quandoquidem vel opus pium injunctum est determinatum secundum substantiam & modum, vel non est ita determinatum. Si opus injunctum sit determinatum secundum substantiam & modum, attendi debet, an opus illud præcise factum prout requiritur, causam Indulgentiæ proportionatam compleat; in tali quippe hypothesi illud integre perficiens, totam Indulgentiam acquireret, nisi fortasse aliud obstaret: cum nihil deesset ex parte causæ, quod plenum Indulgentiæ effectum comparandum præpediret. Quamobrem vel faciens aliquid amplius in opere injuncto, vel illud explens devotius, nihil amplius de ea Indulgentia reciperet; totum enim illud esset extra causam proportionatam: nec intuitu majors devotionis, vel laboris aliquid amplius concessum est, quanquam concedi potuisset. Quod si opus præcise factum, prout in Indulgentiæ concessione requiritur, sufficiens non esset ad complendam justam Indulgentiæ causam, tunc ejusdem concessio in ordine ad tantam quantitatem nullitatis vitio laboraret (ut notat Pasqualigus de *Jubil. quæst.* 85. *num.* 4.) sed duntaxat valida esset secundnm minorem quantitatem prodicto operi seu causæ justæ proportionatam; privata siquidem Christifidelium devotio in implendo opere pro Indulgentia injuncto, nequit præstare ut major Indulgentia comparetur, si ejus intuitu valide concessa non est. Cæterum si opus injunctum indeterminate justam causam Indulgentiæ compleret: puta si injungeretur eleemosyna pro Ecclesia ædificanda, vel reparanda, tunc etiamsi aliquod minimum daretur certum & determinatum, ad totum Indulgentiæ effectum recipiendum sufficeret. Ex nullo igitur capite ob majorem vel minorem devotionem, aut laborem, quo opus injunctum impletur pro comparanda Indulgentia, habetur inæqualitas effectus illius.

Dices. Hæc doctrina contraria videtur D. Thomæ, qui in 4. *dist.*20. *qu.*1. *art.*3. *quæstiunc.*2., inquit = *Quando datur Indulgentia indeterminate v. g. qui dat auxilium ad fabricam Ecclesiæ, intelligitur tale auxilium, quod sit conveniens ei, qui auxilium dat, & secundum illud plus vel minus de Indulgentia consequitur; unde etiam aliquis pauper dans unum denarium consequetur totam Indulgentiam, non autem dives, quem non decet, ad opus tam pium & fructuosum ita parum dare: sicut non diceretur Rex, alicui homini auxilium dare, si ei obulum daret.*

Resp. Angelicum Præceptorem loqui, quando Indulgentiæ concessio non est una, sed æquivalenter multiplex = *Hæc D. Thomæ doctrina* (inquit Suarius in *Disput.*52. *sect.*8. *nu.*3.) *intelligi, ac procedere videtur, quando forma Indulgentiæ, licet in specie verborum unica & indefinita appareat, in virtute & in sensu est multiplex, quia includit plures quantitates proportionales respectu diversarum personarum juxta earum qualitatem; tunc autem in unaquaque illarum quantitatum potest intelligi latitudo inclusa in locutione illa indefinita; nam licet auxilium postulatum a divite, majus sit, quam postulatum a paupere, tamen intra latitudinem auxilii postulati a divite, aliquod est minimum respectu illius, aliud vero majus, vel maximum; & idem est proportionaliter in paupere, quanvis fortasse secundum absolutam quantitatem, minimum auxilium divitis majus forte esse debeat, quam in paupere*

pere posset esse maximum ; nihilominus tamen si dives intra suam proportionem attingat saltem minimam quantitatem, id satis erit , ut totam Indulgentiam lucretur : Et ob eandem causam, licet alius æque dives majus auxilium tribuat, non plus fructus consequetur, quia non potest amplius quam totam Indulgentiam lucrari .

Conclusio 2.ª Magis vel minus de Indulgentiæ effectu participatur ab implentibus opus, in ejus concessione requisitum, propter contritionis vel charitatis inæqualitatem.

Nostra Conclusio debet intelligi per se; etenim facta concessione Indulgentiæ centum annorum, si unus habens debitum pœnæ temporalis luendæ quinque annorum, perfectiorem actum contritionis vel charitatis eliceret quam alius, qui sexaginta annorum debito esset obstrictus, minus fortassis quam iste de Indulgentiæ prædictæ concessione perciperet (suppositis aliis requisitis ex parte utriusque) hoc tamen esset per accidens; actus enim ille ex parte sui foret sufficiens ad aptandum subjectum pro uberiori effectu, quanquam id nequaquam præstaret defectu majoris reatus pœnæ temporalis .

Prob. Eo implentes opus pro Indulgentia percipienda requisitum, de ejus effectu inæqualius participant , quo majori vel minori gaudent peccatorum venialium remissione quantum ad culpam (Consulto dicimus *majori vel minori peccatorum venialium remissione quantum ad culpam*, quia ubi peccati lethalis culpa remissa non est, non datur capacitas proxima ad effectum Indulgentiæ) etenim sicut non acquiritur remissio pœnæ alicujus peccati venialis, nisi supponatur deleta ejus culpa, ita quo major est remissio eorundem peccatorum quantum ad culpam, eo magis aptantur Christifideles ad participandum effectum Indulgentiæ. Major autem aut minor percipitur venialium culparum relaxatio, quo magis vel minus fervidus fuerit actus contritionis vel charitatis; qui vel potest esse adeo perfectus, ut cuncta venialia detestetur, si memoriæ occurrant, propter Deum super omnia dilectum : adeoque nec secum peccata actualia quantunvis minima permittat, aut eorum maculas patiatur in anima permanere = *Non sufficit* (inquit D. Thomas in *3. par. qu. 87. artic. 1. In Corpore* venialium culparum remissionem expendens) *ad remissionem venialium habitualis displicentia, quæ habetur per habitum charitatis, vel pænitentiæ virtutis, quia sic charitas non compateretur peccatum veniale, quod patet esse falsum; unde sequitur quod requiratur quædam virtualis displicentia : puta cum aliquis hoc modo fertur secundum affectum in Deum & res Divinas, ut quidquid sibi occurreret, quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei, & doleret se hæc commisisse, etiamsi actu de illo non cogitaret* = vel potest esse valde remissus atque restrictus actus contritionis vel charitatis: puta, cum quis culparum venialium non immemor, firmiter statueret, de cætero peccata lethalia solum vitare, in quo eventu venialium remissionem minime assequeretur; non enim hujusmodi actus earundem culparum retractationem afferret : vel quandoque actus charitatis non se habet æqualiter ad omnia venialia, puta cum ob Dei amorem timeret ab eo separari per culpam, sed non æqualiter attingeret omnia, quia non decerneret recedere a cunctis, sed a quibusdam specialiter, quæ magis a dicto amore retardant ; quamobrem cum hujusmodi actus ea, quæ magis atque proximius ad lethalia disponunt, retractare videatur, hinc est, quod tunc solum aliqua venialia, non vero omnia remitterentur, ut docet Doctor. Angelicus prælaudatus *Quæst. 7. de Malo artic. 12. ad 4.*ᵐ his verbis = *Quamvis Sacramentalia æqualiter se habeant ad omnia peccata venialia, tamen fervor ab eis excitatus, non æqualiter semper se habet ad omnia, sed quandoque respicit aliqua in speciali, & contra illa efficacius operatur: & si in generali respiciat ea, potest contingere, quod non habeat eundem effectum in omnibus, eo quod affectus hominis aliquando habitualiter est inclinatus ad aliqua peccata venialia committenda : ita scilicet, quod si in memoria haberentur, non displicerent, vel forte si opportunitas adesset, committerentur* = Quamobrem, sicuti eo magis vel minus de Sacramenti fructu percipitur, quo magis vel minus aptantur Christifideles ad recipiendum gratiæ sanctificantis effectum,

fectum, ita in participatione fructus Indulgentiæ contingit. Cum itaque magis vel minus aptentur pœnitentes ad remissionem pœnæ temporalis, quo major, vel minor est remissio culparum venialium, & hæc majori vel minori fervore contritionis, vel charitatis comparetur, dicendum est, magis vel minus de Indulgentiæ effectu participari ab implentibus opus in ejus concessione requisitum, ob contritionis, vel charitatis inæqualitatem.

Objicies 1.° contra secundam Conclusionem. Postulat justitia distributiva, ut inæqualiter laborantibus non conferatur æqualis merces. Ergo de dispensatione facta ex Thesauro Ecclesiæ a Summo Pontifice debet fieri participatio, secundum quod magis vel minus laboratur in executione operis injuncti pro Indulgentia acquirenda.

Resp. in Indulgentiis non observari legem justitiæ distributivæ, sed liberalis dispensationis factæ ab habente authoritatem supra Ecclesiæ Thesaurum; hæc autem lex obligat Christifideles ad ponendum opus pium, prout exigitur a Prælato, si volunt Indulgentiæ concessæ fructum obtinere. Quod si illud majori labore aut devotione fiat, cum hoc injunctum non sit in Literis concessionis, majus meritum in ordine ad gratiæ sanctificantis augmentum & præmium vitæ æternæ obtinebitur, non vero major Indulgentiæ fructus = *Remissio* (inquit Angelicus loco citato) *non proportionatur labori, ut dictum est, sed meritis, quæ dispensantur .... sed ille, qui plus laboraret, plus de merito acquireret*.

Objicies 2.° Opera pro Indulgentia a Concedente requisita se habent tanquam dispositiones ad ejus effectum; unde quo quis alium excedit in devotione aut labore, eo magis erit particeps de Indulgentiæ effectu: sicut idem docent communiter Theologi de accedentibus ad Sacramenta.

Resp. opera injuncta in Indulgentiæ concessione esse conditiones, non vero dispositiones ex se proprie tales; Indulgentiæ enim effectus aliam de sui natura dispositionem non agnoscit præter remissionem culparum = *Effectus Indulgentiæ* (inquit Suarius loco supracitato) *per se & quasi ab intrinseco nullam dispositionem requirit in recipiente præter ablationem culpæ & statum gratiæ, & ideo major vel minor devotio, seu dispositio actualis per se non confert ad inæqualem effectum Indulgentiæ ..... Quod si dicatur, sale opus esse dispositionem operantis, saltem ex impositione concedentis Indulgentiam, hoc etiam nihil obstat, quia si quis efficiat totum opus impositum, jam habet totam dispositionem necessariam; unde licet alius plus laboris, devotionis aut operis adjungat, nihil confert ad majorem effectum, quia neque illud totum injunctum est, nec ratione illius aliquid amplius est promissum: & ideo totum id non habet rationem dispositionis*.

Objicies 3.° Tempore Jubilæi juxta mensuram devotionis ac laboris, quo statuta peragitur Ecclesiarum visitatio, Indulgentiæ fructus obtinetur; ut declarat Bonifacius VIII. in Extravaganti *Antiquorum de Pœnit. & Remissionib.*, dicens = *Unusquisque tamen plus merebitur, & Indulgentiam efficacius consequetur, qui Basilicas ipsas amplius & devotius frequentabit* = Idem ergo de aliis Indulgentiis dicendum erit.

Resp. Ex eo quod Bonifacius Pontifex in Constitutione laudata loquatur, ut in argumento relatum est, non probari eo uberiorem Jubilæi fructum haberi, quo devotius ac frequentius impletur injuncta visitatio; duo enim dicit de visitantibus Basilicas Apostolorum Urbis devotius ac frequentius: Primum = *Eos plus mereri* = Secundum = *Eos efficacius Indulgentiam consequi* = Primum affirmat de majori merito, non in ordine ad Indulgentiam, sed in ordine ad augmentum gratiæ sanctificantis & gloriæ æternæ, quia visitatio Ecclesiarum, aliaque opera pia injuncta non sunt meritoria Indulgentiæ. Secundum utique verum est, sed maximum intercedit discrimen inter consequi uberius, & consequi efficacius. Primum non dicit Bonifacius, sed secundum: quod idem est, ac consequi certius ac securius, removendo cum majori vi & efficacia ea, quæ poterant Jubilæi assecutionem impedire; per hoc scilicet, quod si aliqua ex jam factis Basilicarum visitationibus apta non esset ad acquirendum Jubilæi fructum, ejus defectus nova earundem Basilicarum visitatione, juxta formam in Literis Apostolicis præscriptam, suppleretur. Hoc in-

 nuit

nuit Suarius *loco supracit.*, aliam huic Argumento addens solutionem his verbis = *Dicere possumus efficacius consequi quam certius, & quantum est ex parte causæ, cum majori efficacia consequi eundem effectum. Addo insuper, fortasse voluisse Pontificem per illa verba aliquid novi concedere; nam ex vi prioris concessionis, qui per triginta dies visitat Basilicas, statim completa ultima visitatione consequitur Indulgentiam Plenissimam: postea vero licet pluries intra eundem annum visitet easdem Basilicas, nihil amplius remissionis consequetur, ex vi priorum verborum. Fortasse ergo per illa verba voluit Pontifex, ut qui post definitum dierum numerum amplius & devotius easdem Basilicas visitaverint, semper aliquid novum de Indulgentia consequantur, quoad scilicet peccata, quæ postea commiserunt; hoc enim modo non repugnat, post Plenissimam Indulgentiam majorem remissionem fieri, nam in hac vita facile novum reatum contrahimus post Plenissimam Indulgentiam de prioribus peccatis comparatam.*

CA-

CAPUT VI.

QUID ET QUOTUPLEX SIT INDULGENTIA.

CUM omnis, ut inquit Tullius in *Lib.* 1. *Officior.*, qui instituitur sermo, debeat a rerum definitione proficisci, debuisset profecto in hujus Tractatus limine Indulgentiæ essentia, nec non multiplicitas explicari. Verum cum hæc Thesauri meritorum Christi & Sanctorum, Potestatis eundem dispensandi, nec non aliorum, quæ in superioribus Capitibus tradita sunt, notitiam exposcerent, idcirco in præsenti Capite pertractanda reservavimus.

ARTICULUS I.

In quo sita sit Essentia Indulgentiæ.

FRanciscus Mayro, quem in *cap.* 2. *art.* 1. vidimus existentiam Thesauri Ecclesiæ meritorum Christi & Sanctorum denegasse, in 4. *dist.* 10. *quæst.* 2. arbitratur, Indulgentiæ conceptum essentialem in sola absolutione consistere, circumscripta quacunque solutione ex eo facienda.

Durandus de Sancto Portiano e contra in 4. *pariter dist.* 20. putat, Indulgentiam esse solam solutionem seu distributionem factam de Thesauro meritorum Christi: additque, cunctos fere Doctores hunc dicendi modum amplexari = *Communiter*, inquit, *tenetur, quod modus, quo valent Indulgentiæ, est per modum solutionis pœnæ debitæ* = In eodem conveniunt Paludanus *ead. distinct.*, Sylvester *Verbo Indulgentia*; quo sensu inquit Tabienna *eodem Verbo num.* 2. Indulgentiam esse remissionem quantum ad recipientem, donationem quantum ad donantem.

Nonnulli Doctores apud Cajetanum in *Tom.* 1. *Tract.* 15. *cap.* 6. secundum diversas temporum divisiones differentes conceptus essentiales Indulgentiis attribuunt; quanquam enim, inquiunt, unius ejusdemque rationis sint Indulgentiæ, quantum ad ultimum effectum remissionis pœnæ temporalis, tamen olim de primario absolutionem, de secundario solutionem ex Ecclesiæ Thesauro factam importarunt, post Bonifacium VIII. e contra de primario fuerunt solutiones, seu distributiones Ecclesiastici Thesauri, accessorie vero absolutiones.

Conclusio. Indulgentia essentialiter est absolutio habens annexam solutionem ex Thesauro meritorum Christi & Sanctorum. Ita sentiunt Sotus in 4. *dist.* 21. *quæst.* 1. *artic.* 2. Suarius *disput.* 49 *sect.* 4. Sylvius *qu.* 25. *supplementi artic.* 1. Cardinalis de Lugo *disp.* 27. *de Pœnit. nu.* 4. & alii Theologi communiter.

Prob. prior pars 1.° Ex praxi Ecclesiæ; Gregorius enim VII. Lyncolniensi Episcopo delictorum veniam & Indulgentiam roganti, usus est vocabulo Absolutionis = *Absolutionem*, inquit, *peccatorum tuorum, sicut rogasti, Auctoritate Principum Apostolorum Petri & Pauli, quorum vice quamvis indigni fungimur, tibi mittere dignum duximus* = In pluribus pariter aliis Epistolis prædictus Pontifex Indulgentiam despondens eodem utitur vocabulo. Item Alexander III. ut habetur in *cap. Nostro de Pœniten. & Remissionib.* a Cantuariensi Archiepiscopo consultus: num concessæ per Episcopos Indulgentiæ Christifidelibus non subditis prodessent? respondit = *Hoc volumus tuam fraternitatem tenere, quod, cum a non suo judice ligari nullus valeat vel absolvi, remissiones prædictas prodesse illis tantummodo arbitramur, quibus ut prosint, proprii judices specialiter indulserunt* = Hæc autem Alexandri Pontificis declaratio non esset necessaria, si Indulgentia absolutionis conceptum essentialiter non importaret; nullam enim in concedente jurisdictionem requireret, ac proinde, ut ratiocinatur Estius, nihil obstaret, quin Episcopalis authoritas non subditis Indulgentiarum beneficium conferret. Insuper Martinus V. Plenariam faciens Indulgentiam in Constantiensi Concilio, asserit: Se *Absolutionem Plenariam* concedere. Tandem si recentiores Summorum Pontificum Literas Apostolicas percurres, invenies passim

concessiones Indulgentiarum his verbis expressas = *Peccatorum remissiones, vel pœnitentiarum relaxationes* = Dicendum ergo est, Indulgentiam essentialiter consideratam esse absolutionem.

Prob. 2.° Indulgentiam concedens utitur Clavium potestate, seu jurisdictione supra subditos. Non ad eos ligandum. Ergo ad eos absolvendum. Ergo Indulgentia essentialiter in absolutione consistit.

Prob. altera pars. Christifideles, quibus Indulgentiæ conceduntur, non tenentur amplius solvere satisfactiones alioquin peragendas; solvit tamen Christus, seu Prælatus Ecclesiæ potestate Clavium, illis applicando merita Christi & superabundantes Sanctorum satisfactiones, quæ in Ecclesiæ Thesauro conservantur = *Pro eo dans Indulgentias* (inquit D. Thomas in 4. *artic.3. quæst unc.*) *solvit pœnam quam debebat de Ecclesiæ communibus bonis* = Tam solutionem prædictam, quam absolutionem ab Indulgentia importatam hisce verbis innuit D. Bonaventura in 4. *dist.20. quæst.5.* = *Dicendum quod relaxatio duo dicit, Thesauri Ecclesiæ communicationem, & cum hoc quandam judiciariam absolutionem* = Ergo Indulgentia habet annexam solutionem factam ex Thesauro meritorum Christi & Sanctorum.

Advertendum tamen est, quod licet utraque ratio ad Indulgentiam pertincat, non tamen de primario, sed absolutio de primario, solutio vero de secundario.

Hinc habes 1.° quomodo intelligas Divum Thomam in 4. *dist. 20. q.1. artic. 3. quæstiunc.1.* ubi inquit = *Dicendum, quod iste, qui indulgentias suscipit, non absolvitur simpliciter loquendo a debito pœnæ, sed datur sibi unde debitum solvat* = non enim ab Indulgentia absolutionem excludit, sed vult duntaxat, non esse puram absolutionem, quæ secum non afferat solutionem. Porro hanc interpretationem consonam esse menti Angelici Præceptoris, ex eo constat, quod infra in *articulo 5. quæstiunc. 2.* asserat = *Per indulgentias . . . . absolvitur* Christifidelis, *a pœna injuncta, vel debita pro peccato in foro pœnitentiali*.

Habes 2.° Quare in Literis Apostolicis ad declarandas Indulgentiarum concessiones, quandoque absolutionis, quandoque vero solutionis vocabulum Summi Pontifices adhibuerint, non quia Indulgentiæ aut hunc, aut illum conceptum duntaxat importent, sed quia cum uterque in iis comprehendatur, possunt sane vel absolutionis, vel solutionis vocabulo significari.

Habes 3.° quomodo Indulgentia sit definienda nempe = *Remissio pœnæ temporalis debitæ Deo pro peccatis actualibus jam dimissis, concessa homini extra Sacramentum per Ecclesiæ authoritatem, ex applicatione earum satisfactionum, quæ in Ecclesiæ Thesauro sunt repositæ*.

Dicitur: *Remissio*, ut determinetur per quid Indulgentia primario & essentialiter constituatur. Additurque: *pœnæ temporalis*; tum quia reatus pœnæ æternæ non per Indulgentias, sed vel per Baptismale lavacrum, vel per Sacramentum Pœnitentiæ, in re aut in voto susceptum relaxatur; sive enim is reatus condignitatem proximam ad pœnam æternam subeundam significet, sive Divinæ Justitiæ ordinationem, qua gehennalibus suppliciis peccator addicitur, solum per gratiam sanctificantem aboletur: tum propter præsentis vitæ pœnalitates, puta famem, sitim, frigus &c., quæ nequeunt per se virtute Indulgentiarum auferri.

Ponuntur particulæ *Debitæ in foro Dei pro peccatis actualibus* ut significetur, non civiles pœnas remitti, ad forum externum spectantes, non ordinatas ad satisfaciendum Deo, sed eas, quæ post expletam justificationem non raro remanent solvendæ Hinc remittuntur pariter Pœnitentiæ Sacramentales, sive injunctæ sive injungendæ, non directe, neque ut medicinales & purgativæ, sed indirecte & ut solutivæ dictarum pœnarum temporalium, quæ a Divina Justitia taxatæ solvendæ erant in foro Dei. Opus tamen non est addere: *Ordinariæ* ad distinctionem pœnæ extraordinariæ, ut vult Medina; quanquam enim cum ipso admittamus, pœnas quasdam esse ordinarias pro omnibus scilicet culpis certa lege statutas, alias vero extraordinarias, non raro delinquentibus injungendas, ut fuit, respectu adulterii, nec non homicidii David, mors filii recenter nati, citra tamen dictæ particulæ additionem id non obscure declaratur = *Nego tamen propterea* (inquit Suarius *Disp.49. sect.4. n.14.*) *necessariam esse particulam illam in definitione addere, tum quia juxta subjectam*

ctam materiam constat, sermonem esse de hac pœna, quia sermo est de remissione pœnæ, pro qua fieri posset condigna satisfactio per se vel per alium; ostendimus autem hanc condignam satisfactionem solum habere locum in ordinariis pœnis: tum etiam, quia nulla est remissio, quæ virtute Clavium fieri possit circa extraordinarias pœnas, ut propterea necessarium sit, addere illam particulam ad distinguendam Indulgentiam a tali remissione.

Consulto adnectitur: *Dimissi*. Indulgentia enim semper supponit subjecti recipientis dispositionem, videlicet deletionem peccatorum quantum ad culpam, mediante gratia sanctificante infusa in anima; quandiu enim Christifidelis lethalis culpæ macula infectus est, tandiu incapax est ad remissionem pœnæ temporalis consequendam.

Dicitur: *Concessa homini extra Sacramentum*, quia esto fiat aliqua pœnæ temporalis relaxatio homini accedenti ad Sacramentum Pœnitentiæ, imo excellentior ea, quæ Indulgentiarum virtute participatur, non tamen Indulgentia dici potest; unde erravit Marsylius in 4. *dist.* 21. *art.* 2. nullum inter utranque relaxationem discrimen agnoscens.

Quæres tamen, in quo sita sit diversitas inter remissionem pœnæ temporalis, quæ intra Sacramentum Pœnitentiæ, ac aliam quæ extra Sacramentum per Indulgentias comparatur?

Cajetanus in *Tract.* 16. *quæst.* 5. sentit Christifideles, mediante Pœnitentiæ Sacramento liberari ab illa pœna, ac si ipsi, patiente Christo, passionem subiissent: per Indulgentiam vero pœnæ temporalis remissionem obtinere, ac si Ecclesia pro ipsis passa fuisset.

Sed hanc doctrinam inanem esse Cajetani speculationem, nulli solido fundamento innixam, nemo non videt; quanquam enim Christi passio nobis ad redemtionem proficiat, non tamen nobis per Sacramentum Pœnitentiæ applicatur, in sensu Cajetani: adeoque non sufficienter elucet utriusque remissionis pœnæ temporalis discrimen.

Navarrus putat, per Indulgentias fieri compensationem pœnæ temporalis tantum de Ecclesiæ Thesauro solvendo, quantum illas obtinentibus relaxatur: Sacramentalem vero remissionem fieri sine prædicta compensatione a Divina liberalitate factam, ut ejus decet Magnificentiam. Cæterum hæc diversitas non videtur cohærere communibus Theologorum principiis, liberalis siquidem pœnæ temporalis condonatio, nedum extra, verum etiam intra Pœnitentiæ Sacramentum, citra Sanguinem pro nobis a Christo profusum, & ejus passiones pro nobis toleratas, nequit obtineri.

His modis dicendi rejectis, Respondemus, utranque remissionem in eo potissimum differre, quod Pœnitentiæ Sacramentum est instrumentum a Christo institutum applicans ejus Passionem duntaxat, non vero superabundantes Sanctorum satisfactiones, quæ utique aliis ad solutionem pœnæ temporalis proficiunt, non tamen gratiam sanctificantem de condigno promerentur, ut advertit Dominicus Soto *in* 4. *dist.* 21. *art.* 2. Insuper in Sacramento Pœnitentiæ fit remissio culpæ per se, ut inquit Suarius, & non nisi ex consequenti pœnæ, vel certe non fit per modum puræ remissionis, bene vero per modum condignæ satisfactionis, quæ virtute Clavium ad ampliorem effectum elevatur. Indulgentia est absolutio a pœna directe & per se, virtute tum Passionis Christi applicatæ non per suum instrumentum, sed per peculiarem Ecclesiæ potestatem, tum satisfactionum Sanctorum.

Propter alias subsequentes particulas: *Per Ecclesiæ authoritatem* Indulgentia a suffragio particulari secernitur; quanquam enim in eo potissimum conveniant, quod sint spiritualia subsidia, aliter tamen & aliter; suffragium enim non est nisi vel quædam deprecatio, vel privata alieni debiti compensatio Deo oblata, quæ dummodo acceptetur, pœnam remittit. Indulgentia vero est judicialis, & authoritativa relaxatio pœnæ debitæ, actusque judicis, nonnisi in subditos exercendus.

Dicitur tandem: *Ex applicatione earum satisfactionum, quæ in Ecclesiæ Thesauro sunt repositæ*: ad significandum, Indulgentiam esse etiam solutionem, seu satisfactionem quandam ex alienis operibus pœnalibus, ut quemadmodum ære alieno gravatis ex publico Ærario forte tribuitur, unde possit eorum debitum solvi, ita ab Ecclesiæ Prælatis dispensatur Indulgentia ex Thesauro meritorum Christi & Sanctorum,

rum,

rum, quæ adhuc in Divina acceptatione perſeverant, ut Divinæ ſatisfiat Juſtitiæ; per quod diſtinguitur Indulgentia a communicationibus bonorum ſpiritualium a Prælatis Regularium Congregationum fieri conſuetis, quæ de Eccleſiæ Theſauro non non conferuntur, cum nequeant ab eiſdem ſubditorum vigiliæ, labores & jejunia aliaque hujuſmodi cæteri perſonis applicari poſtquam facta ſunt, ſed vel dum ſiunt, vel antequam peragantur.

ARTICULUS II.

De diviſione Indulgentiæ.

CONcluſio I. Recte dividitur Indulgentia in totalem & partialem.

Prob. 1.° Ex Extravaganti *Unigenitus de Penit & Remiſſionib.*, ubi Clemens VI. poſt definitum Eccleſiæ Theſaurum Petro ejuſque Succeſſoribus commendatum, ut Chriſtifidelibus ſalubriter diſpenſaretur, dicit = *Nunc pro totali, nunc pro partiali remiſſione pœnæ temporalis pro peccatis debitæ, tam generaliter quam ſpecialiter prout cum Deo expedire cognoſcerent* = Ergo diſpenſatio facta ex Eccleſiæ Theſauro meritorum Chriſti & Sanctorum alia eſt, quæ totam pœnam temporalem remittit, alia vero quæ partem, ac per conſequens recte dividitur Indulgentia in totalem & partialem.

Totalis itaque Indulgentia dicitur integræ pœnæ temporalis remiſſio, cui ſolvendæ pœnitens poſt juſtificationem obnoxius eſt: adeo ut ſi debitis requiſitis atque diſpoſitionibus præſuppoſitis, eam acquireret, ex humanis illico decedens, nihil amplius in Purgatorio Divinæ Juſtitiæ perſolvere deberet, ſtatimque ad claram Dei viſionem eſſet admittendus. Unde habes, hanc Indulgentiam quantum eſt ex parte ſui ac formaliter, non eſſe majorem aut minorem, cum pœnæ debitum ex ſe totaliter extinguat. Nihil tamen officit, majorem aut minorem materialiter eſſe, ac vocari, eo quod Indulgentiam conſecuturus, majori aut minori pœnæ detineatur obnoxius, ſicut Baptiſmatis Sacramentum adultis æque diſpoſitis applicatum, inæqualia culparum atque pœnarum debita habentibus, majora extinguit in uno quam in alio.

Indulgentia partialis ea dicitur, qua non omnis pœna Deo debita, ſed pars ejus duntaxat ſecundum formam conceſſionis relaxatur: & aliquando eſt indeterminata, puta tertiæ aut quartæ partis peccatorum, vel determinata, ut ſeptem annorum aut quadraginta dierum.

Quæres. Quid per partialem Indulgentiam annorum vel dierum intelligatur?

Reſpondet Viguerius in ſuis *Inſtitutionib. cap.* 18. §. 6. *verſ.* 22. Dies & annos Indulgentiarum ita Purgatorii pœnis comparari ut tot dierum vel annorum pœnæ in dicto loco luendæ habeatur remiſſio, quot annorum, vel dierum Indulgentia conceditur. Idem fuit quorundam Doctorum placitum apud Turrecrematam §.*Item in Levitico de Pœnit. diſt.* 1. *art.* 4. *num.* 5. Quod anſam præbet Kemnitio, aliiſque noſtri temporis Hæreticis, ut laudabilem Indulgentiarum morem irridere, reprobare, blaſphemare, totiſque viribus eliminare contendant; deſumtis ſiquidem ex incertis Authoribus plurium millium annorum Indulgentiarum monumentis, tanquam riſu dignas hujuſmodi conceſſiones excipiunt, cum eis non videatur Purgatorium per tot ſæcula duraturum.

Quod autem hic Viguerii dicendi modus a veritate diſtet, ex eo conſtat, quod Sedes Apoſtolica Indulgentias partiales dierum vel annorum deſpondens non dicit in formis conceſſionum, *remittimus, aut relaxamus ſeptem annos aut quadraginta dies pœnarum, ſed ſeptem annos, vel quadraginta dies de injunctis*.

Nos igitur ſuppoſita doctrina, quam ſupra *cap.* 1. *artic.* 4. *in reſponſione ad prim. Adverſarior. argument.* tradidimus, nempe pœnam in hoc ſæculo tolerandam peccatis per ſe correſpondere, pœnam vero Purgatorii ſubſtitutive, cum communi Doctorum & Eruditorum opinione reſpondemus, Indulgentiam partialem alludere ad pœnitentialem ſatisfactionem juxta veterem Eccleſiæ diſciplinam exhibendam: quatenus ſicut ſeptem annorum vel quadraginta dierum pœnitentia canonica vel alia hujuſmodi pro quorundam criminum pœnis per ſe in hac vita perſolvendis injungebatur, ita hujuſmodi Indulgentiarum beneficio pœnitentialis totidem dierum vel annorum ſatiſfactio

factio Clavium virtute relaxetur: ac per consequens tantum pœnæ temporaiis per se debitæ peccatis per hujusmodi Indulgentiam expungitur, quantum per satisfactionem canonicam exhibitam remitteretur. Quamobrem non oportet annos vel dies pœnitentiæ canonicæ numero annorum vel dierum pœnæ Purgatorii, ut ita dicamus, respondere, adeo ut quot anni vel dies de injunctis pœnitentiis per Indulgentiarum partialium concessionem relaxantur, totidem dierum vel annorum pœnæ Purgatorii fiat remissio; pœna enim Purgatorii plurium dierum, vel annorum etiam intensione & acerbitate maxima, per hujus vitæ pœnitentiam unius diei ex fervore charitatis & contritionis præstitam, potest expungi.

Quæres. An Indulgentia Plena, Plenior, & Plenissima differant inter se?

Affirmative respondet Paludanus in 4. *dist.*20. *q.*4. cum aliis Doctoribus putans, Plenam referri ad solam pœnam peccatis mortalibus debitam: Pleniorem ad pœnam debitam etiam pro venialibus: Plenissimam ad quancumque pœnam temporalem, imo & ad culpas veniales. Sed hæc sententia scopum veritatis non attingit, 1°. quia Christifideles habentes duntaxat debitum pœnæ temporalis ob peccata venialia, non possent fructu Indulgentiæ Plenæ gaudere, cum hæc ad hujusmodi debitum remittendum non se extenderet: deteriorisque essent conditionis ad illam consequendam, quam sint ii, qui subjiciuntur debito peccati lethalis; quod alienum est a mente Summorum Pontificum concedentium Plenam Indulgentiam. 2.° quia jam supra statutum est *Cap.*5. *art.*1. *concl.*2.° peccata etiam venialia quantum ad culpam Indulgentiarum virtute non posse relaxari; unde non immerito de Paludani expositione Indulgentiæ Plenæ, Plenioris, & Plenissimæ inquit Sotus in 4. *dist.*21. *quæst.*2. *art.*1. = *Est hoc excogitatum commentum, quod certe nulla nititur fundamento, neque dignum est Doctore Theologo*.

Alia via incedit Navarrus in *Comment. de Indulg. & Jubil. Notab.*9. ad explicandam earum Indulgentiarum diversitatem = *Consentaneum*, inquit, *videtur rationi & menti scribentium, & stylo Indulgentiarum præsertim antiquo, ut Plena dicatur, quæ omnes pœnitentias injunctas tollit, quæ cum nisi pro confessis nequeant esse injunctæ, merito ea, quæ totam pœnitentiam pro confessis injunctam tollit, Plena dicitur. At si hæc Plena dicatur, majore cum ratione Plena erit ea, quæ omnem pœnitentiam tam injungendam, quam injunctam peccatis confessis debitam tollit, quandoquidem hæc major est præcedenti. Et si Plena simpliciter dicatur, tam quæ omnes pœnitentias injunctas, quam quæ injunctas & injungendas pro peccatis confessis condonat, merito Plenior dicetur, quæ totam omnibus peccatis lethalibus etiam non confessis debitam tollit. Cum autem huic superaddi nequeat, nisi venia etiam pœnæ venialium, merito dicetur Plenissima, quæ omnem tam venialibus quam lethalibus, tam confessis, quam non confessis, debitam pœnam condonat* = Nec mirum esse arbitratur Navarrus, quod cuilibet ex his Indulgentiis assignata plenitudine, adhuc detur major, aut minor excessus unius, remissionis supra aliam: ita ut una Plena dici queat secundum quandam considerationem, quæ alteri comparata est deficiens, cum gratiæ sanctificantis exemplo possit declarari. *Actorum enim* 6. dicitur de B.Stephano Protomartyre = *Stephanus autem plenus gratia & fortitudine* = De B.Virgine Maria Lucæ 1.° = *Gratia plena* = & de Christo *Jo.* 1. = *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre plenum gratiæ & veritatis* = & tamen certum est, non eandem omnino graduationem in dictæ gratiæ infusione reperiri; quanquam enim dictæ personæ plenitudinem gratiæ dicantur habere, major tamen est Christi, quam Beatissimæ Virginis Mariæ, & hujus quam S. Stephani.

Sed huic Navarri sententiæ non possumus subscribere, quia si Indulgentiæ *de Injunctis* se extendunt ad pœnarum temporalium remissionem, pro quibus pœnitentiæ injunctæ non sunt, ut dictum est *Cap.*5. *art.*4. a fortiori Indulgentiæ citra hujusmodi clausulam concessæ, & potissimum Plenæ ad quascunque pœnas in foro Dei quomodolibet debitas debent ampliari. Nec favet Navarro exemplum illud plenitudinis gratiæ; solum enim evincit, posse Summos Pontifices in Indulgentiarum concef-

cessionibus sic procedere, non tamen quod de facto ita se gesserint, ac se gerant.

Respondemus itaque Dubio cum Suario *disp.50. sect.4. num.7.* Soto *dist.21. qu.2. art.1.* prædictas Indulgentias quantum ad effectum remissionis pœnarum temporalium secundum præsentem usum, ac statum, nullo modo inter se differre; in Extravaganti enim *Unigenitus de Pœnit. & Remissionib.* adæquate dividitur Indulgentia in totalem & partialem; juxta autem usum præsentis temporis Plena Indulgentia vocatur totalis. Rursus Sixtus IV. in Extravaganti *Quemadmodum* volens suspendere cunctas Indulgentias æquivalentes illi, quæ Romæ in anno Jubilæi conceditur, nempe Plenissimas, inquit = *Omnes & singulas Plenarias etiam ad instar Jubilæi ...... tenore præsentium de Apostolicæ potestatis plenitudine usque ad nostrum & ejusdem Sedis Apostolicæ beneplacitum suspendimus* = Item Innocentius III. in Decreto pro Expeditione Terræ Sanctæ, edito in Concilio Lateranensi IV. Plenam Indulgentiam largitus est dicens = *Plenam suorum concedimus veniam peccatorum* = quam compertum est fuisse Plenissimam. Tandem Martinus V. cum absolveretur Concilium Constantiense, Plenam Indulgentiam concessit iis, qui prædicto Concilio interfuerant, eam vocans *Absolutionem Plenariam* = *Concedimus*, inquit, *Omnibus & singulis, qui in hoc Sacro Concilio & causa ipsius interfuerunt, Absolutionem Plenariam semel in vita* = quam a Plenissima non differre, liquido deprehenditur ex gravissimis oneribus ibi injunctis. Non ergo aliquis effectus Indulgentiæ Plenissimæ proprius est, vel Plenioris, qui Indulgentiæ Plenæ non respondeat.

Dices. Quare ergo traditur a nonnullis Doctoribus divisio Indulgentiæ in Plenam, Pleniorem, & Plenissimam, si quantum ad effectum remissionis pœnæ temporalis idem omnino sunt?

Sotus *loc. supracit.* illam adscribit Concionatorum exaggerativæ expressioni = *Non est*, inquit, *Major Indulgentia Plenissima quam Plenior, sed Indulgentiarum Concionatores exaggerationis gratia illam graduationem invenerunt, positivi, & comparativi, & superlativi, instar illius juridicæ, sæpe, sæpius & sæpissime* = Et de facto solius exaggerationis atque explicationis gratia, videtur, quod Bonifacius VIII. in Extravaganti *Antiquor. de Pœnit. & Remissionib.* in concessione Indulgentiæ Plenariæ pro visitantibus Limina Sanctorum Apostolorum anno MCCC. hanc formam concessionis adhibuerit = *Non solum Plenam & Largiorem, imo Plenissimam omnium suorum concedimus veniam peccatorum* = Unde Joannes Monachus in Expositione Extravagantis laudatæ verbo *Plenissimam*, ait = *Dico Papam interpretatum fuisse in Consistorio, me præsente, illam Indulgentiam quam dederat, adeo Plenam, prout Clavium potestas se extendit* = Posset insuper responderi, id solum factum fuisse ad majorem rei declarationem, & ad auferendos scrupulos, qui poterant ex variis Doctorum opinionibus suboriri.

Cæterum probabilius putamus, non solius exaggerationis gratia eam distinctionem fuisse adhibitam, sed propter causam, quæ major aut maxima Indulgentiis solet apponi, ac certiores nos reddit de earum effectu = *Cum Pontifex Bonifacius* (inquit Suarius in *sect. cit. n.7.*) *usurpet illam loquendi formam, majus aliquod fundamentum habere videtur, & fortasse non improbabiliter possumus ulterius considerare, sicut Philosophi dicunt, privationem totalem non recipere in se magis & minus, interdum tamen ratione causæ unam vocari majorem alia: ita in præsenti Indulgentiam appellatam esse Pleniorem, aut Plenissimam, non quia in remissione vel privatione pœnæ magis aliquid efficiat, sed quia majorem vel maximam habet causam, quæ de effectu Indulgentiæ certiores potest reddere Christifideles.*

Hinc Jubilæus a Plenaria, seclusa causæ inæqualitate, penes privilegia & indulta distinguitur: puta, penes facultatem eligendi quemlibet Confessarium ex approbatis ab Ordinario, qui a peccatis & censuris alias reservatis absolvat, atque in votis quibusdam dispenset: idque merito præbuit occasionem Prælaudato Doctori, asserendi, Plenariam non esse sub nomine Jubilæi publicandam = *Adnotare*, inquit *debent, qui denuntiant, & prædicant* In-

Indulgentias, ne simplicem Indulgentiam Plenariam nomine Jubilæi pronuncient, ne fortasse aliqui decipiantur, putantes, non tantum propriam Indulgentiam, sed etiam alios favores seu privilegia eis concedi. Quia nomen Jubilæi juxta usitatam & adæquatam significationem hæc omnia in rigore complectitur.

At inquies: si Plena Indulgentia cum Plenissima, in effectu integræ atque totalis remissionis pœnæ temporalis omnino conveniret, opus non esset in ejus concessione aliam partialem annorum vel dierum adjicere; supervacaneum quippe foret partialem superaddere, ubi Plenaria quancunque pœnam temporalem Deo debitam aboleret. Quod vero ea superadditio quandoque facta fuerit, patet ex pluribus Bullis antiquis.

Respondet 1°. Corduba, morem illum addendi partialem Indulgentiam concessioni Plenariæ, olim fuisse invectum ob varias opiniones, quæ de Indulgentiis inter Doctores circumferebantur, ac deinde usu fuisse retentum. Hæc tamen ratio non explicat sufficienter vim ejusmodi concessionis.

Respondent 2°. alii Doctores, additionem illam fuisse factam, ut fortasse deficiente causa proportionata pro Plenaria, saltem partialis valida subsisteret. Cæterum hæc responsio inconveniens illud superfluæ additionis minime evitat; quanquam enim causa Plenariæ Indulgentiæ respondens non esset proportionata, posset pro partiali sufficere, citra additionem partialis annorum vel dierum, ut dictum est *Cap.3. art.1. in resp. ad dub.3.*

Resp. 3° Non extitisse antiquitus morem illum, nec ad id probandum afferri posse authentica Summorum Pontificum Diplomata. Dato tamen aliqua hujusmodi reperiri, dicimus, potuisse fieri additionem illam Indulgentiæ partialis, citra imminutionem totalis remissionis pœnæ temporalis, vel per hoc quod partialis aliud tempus respiceret, diversum ab illo, quo Plenaria esset percipienda, juxta morem, qui nunc servatur, eodem Brevi concedendi Plenariam pro uno Festo, & pro alio septem annorum, totidemque quadragenarum: vel si idem tempus respiceret, una esset per modum absolutionis pro vivis, altera per modum suffragii applicanda pro Defunctis. Quod si traditæ responsioni animus non acquiesceret, adde cum Passerino in *Quæst.12. numer.135.*, ea Diplomata esse de veritate suspecta.

Conclusio 2.ª Indulgentia recte dividitur in Localem, Personalem, ac Realem. Ita sentiunt omnes Doctores.

Prob. Quanquam soli homines sint capaces fructus Indulgentiarum propter reatum pœnæ temporalis, qui in iis remanet post peccatum deletum quantum ad culpam, dicuntur tamen Indulgentiæ concedi quandoque Locis, quandoque Personis, quandoque Rebus; quia omnes in eo conveniunt, quod hominibus suum effectum communicent, ita tamen ut Localis inhæreat Locis in ordine ad personas: Personalis tanquam favor vel gratia hominem afficiat, quia illi directe impenditur, adeoque quocunque pergat, ut sic dicamus, eam secum defert: Realis quæ in gratiam alicujus rei mobilis concedatur, puta Coronis, Numismatibus & Granis, quibus inhæret, ita ut mediis his rebus ab hominibus percipiatur. Ergo recte dividitur Indulgentia in Localem, Personalem & Realem.

CAPUT VII.

DE SUBJECTO INDULGENTIARUM.

SUBJECTUM Indulgentiarum dicimus hominem, qui earum fructum potest percipere; ideoque examinandum est 1.° An is sit excommunicatus: 2.° An sit Catechumenus? 3.° An & quomodo Prælati facta generali Indulgentiarum concessione, possint sibi eas acquirere? 4.° An Regulares, nec non Vagi, Advenæ & Peregrini possint lucrari Indulgentias Civitatibus & Oppidis generaliter concessas.

ARTICULUS I.

An Excommunicatus capax sit Indulgentiarum.

Conclusio 1.ª Excommunicatio minor non impedit, quin Christifideles Indulgentias sibi lucrari possint. Conclusio hæc est communiter inter Doctores recepta.

Prob. Excommunicatio minor privat baptizatos passiva Sacramentorum participatione, atque passiva electione ad beneficium, ut habetur *Cap. si celebret de Clerico Excomm. ministran.* Ergo non est impedimentum, ad participandum fructum Indulgentiarum, suppositis aliis conditionibus prærequisitis ad eas comparandas.

Conclusio 2.ª Excommunicatio major impedit, ne Christifideles Indulgentias lucrari possint. Ita Ugolinus *de Censur. tabul.* 2.ª *cap.* 9., Nugnus *in addit. ad quæst.* 27. *art.* 1., Lavorius *par.* 2. aliique apud Passerinum *Quæst.* 25. *num.* 196.

Prob. Effectus Excommunicationis majoris est, baptizatos privare suffragiis, bonisque inter Ecclesiæ membra sibi invicem unita dividendis. Inter hæc autem bona Ecclesiastica Indulgentiæ ex authoritate Summorum Pontificum, vel aliorum Prælatorum concessæ enumerantur; unde licet Excommunicatione majori irretitus, post emissum actum contritionis vel charitatis, novo gratiæ sanctificantis amictu ad Deum, a quo recesserat, revertatur, adhuc tamen Excommunicationis vinculum non exueret, donec ei absolutionis beneficium impenderetur; ut habetur *Cap. A nobis 2.° de sent. Excommunication.*, ibi = *Vinculum, quo peccator ligatus est apud Ecclesiam, cum sententia remittitur, relaxatur; quod in suscitatione Lazari sermo Evangelicus manifestat, quem prius Dominus suscitavit, & Apostolis præcepit postmodum solvere suscitatum* = Excommunicatus erga Excommunicatione majori remanet privatus omnibus spiritualibus bonis Ecclesiasticis, ac per consequens Indulgentiis, quibus pia Mater Ecclesia filios suos adjuvat in spiritu, promovetque ad salutem. Alias justificatus per gratiam illico a vinculo Excommunicationis liber evaderet.

Objicies 1.° contra secundam Conclusionem in favorem Navarri in *Comment. de Anno Jubilæi & Indulg. Nota.* 18. *n.* 14. Enriquez & Sà, qui putant, Excommunicatum Excommunicatione majori contritum, ac in statu gratiæ constitutum capacem esse obtinendi fructum Indulgentiarum. Homo ad statum gratiæ reversus est vere membrum Christi & Ecclesiæ. Non autem videtur credibile, Christifideles, qui sunt membra Christi, filii Dei adoptivi, æternæque gloriæ hæredes, Ecclesiastica communione privari: adeoque nihil obstat, quin Excommunicatus eorum bonorum sit particeps, quæ ex Ecclesiastici Thesauri meritorum Christi & Sanctorum dispensatione proveniunt, cujusmodi sunt Indulgentiæ.

Resp. Excommunicatum esse membrum vivum Ecclesiæ, si habeat gratiam sanctificantem, quæ est vitæ supernaturalis principium; cæterum hoc probat, Excommunicatum per actum contritionis vel charitatis coram Deo deposuisse contumaciam, non tamen coram Ecclesia, quæ eundem adhuc rebellem reputat, donec a contumacia coram Ecclesia resipiscens, absolutionis beneficium a vinculo Excommunicationis obtinuerit: ideoque eo infelici statu durante, nedum activa & passiva Sacramentorum participatione privatur, verum etiam quibuslibet aliis Ecclesiæ bonis.

Objicies 2.° Indulgentiæ sunt de genere bonorum spiritualium, conducentium ho-

hominem ad vitæ æternæ assecutionem: adeoque si stare potest jus ad æternam Beatitudinem cum Excommunicatione, non habetur ratio, quare debeat Excommunicatus justus Indulgentiis privari, cum sint media, ad eam Beatitudinem quantocyus obtinendam, proportionata.

Resp. quædam bona spiritualia ad æternæ Beatitudinis finem conducentia esse propria personæ particularis: ut gratia, charitas, cæteraque opera bona moralia, tam secundum vim meritoriam, quam satisfactoriam considerata: alia omnibus communia, puta Sacramenta, Sacrificia, Beneficia Ecclesiastica, spiritualis Jurisdictio, publica Suffragia. Super bonis primi generis certum est, Ecclesiam nulla gaudere potestate, ac jurisdictione, adeoque non posse eisdem privare Christifideles habentes jus ad æternam Beatitudinem. Alias posset efficere, ne quis vitam promereretur æternam, ne gratiæ sanctificantis augmentum reciperet, aut pro se, vel aliis Ecclesiæ membris eam impetraret, & satisfactionem pro solutione pœnæ temporalis exhiberet. Inspectis verò bonis secundi generis, licet Ecclesia illorum dominium non obtineat, habet tamen dispensationem atque administrationem; quod præbet sufficiens fundamentum, ut justa causa occurrente, eorundem participationem suis subditis deneget. Et de facto ità se gerit cum Excommunicatis Excommunicatione majori, qui sunt ei rebelles & contumaces, ipsos privando dictis bonis spiritualibus, inter quæ neminem latet, Indulgentias recenseri.

Objicies 3.° Pro Excommunicatis possumus Deo offerre orationes, aliaque suffragia; nullibi enim extat præceptum hoc interdicens. Ergo erunt capaces fructus Indulgentiarum.

Resp. orationes & suffragia Ecclesiæ esse in duplici differentia, quædam profectò communia & universalia Ecclesiæ, ea nimirum, quæ Deo ejus nomine ad indigentium subsidium exhibentur: quædam peculiaria personæ, quæ ad eundem effectum a particularibus personis offeruntur. Si de orationibus communibus atque Ecclesiæ suffragiis sermo sit, falsum est, Excommunicatos ex illis aliquam percipere utilitatem: contra verò si de particularibus loquamur; imo orationes hujusmodi fieri possunt etiam pro Excommunicato existente in peccato lethali; pro illis enim orare, non est communicare in bonis spiritualibus Ecclesiasticæ jurisdictioni subjectis, sed actus virtutis misericordiæ tendens ad alienam spiritualem inopiam sublevandam; quare sicut nulla lex prohibet corporalem eleemosynam in pauperes & mendicos erogare, ita nec spiritualem Deo mediis particularibus orationibus atque suffragiis offerre. Insuper in incruento Missæ Sacrificio, potest Sacerdos prout persona particularis privatas orationes, sibique fructum satisfactionis correspondentem, aliaque bona opera Excommunicatis applicare, ut a malo resipiscant, atque ad meliorem frugem convertantur, ut volunt Suarius *De Censuris disp. 9. sect. 5. n. 4.* Diana *resol. 77.* Ex quibus non rectè arguitur idem esse de Indulgentiis dicendum; sunt enim bona communia nomine Christi ex Ecclesiæ Thesauro applicata, juxta illud 2.ª ad Corinth. 2. = *Nam & ego quod donavi, si quid donavi propter vos in persona Christi*.

Ea, quæ tum in nostra Conclusione, tum in solutione ad Adversariorum Argumenta protulimus, vera sunt juxta Suarii aliorumque Doctorum satis probabilem opinionem, etiam de Excommunicatis occultis; quanquam enim post Constitutionem Martini V. in Constantiensi Concilio emanatam, incipientem *Ad evitanda* teneamur, aut nominatim denunciatos, aut notorios publicosque Clericorum percussores duntaxat vitare, cum cœteris verò, vel a jure, vel ab homine Excommunicatis, sive occultum sit, sive publicè innotescat, eos esse hujusmodi Censura irretitos, possimus tum in Divinis tum in civilibus actionibus communicationem habere, tamen sicuti ex jure antiquo, ante distinctionem inter vitandos, ac non vitandos nullus Excommunicatione majori innodatus capax erat participationis Indulgentiarum, aliorumque suffragiorum communium Ecclesiæ, ita nec de jure novo per laudatam Constitutionem inducto; cum Martinus V. ita eam communicationem cum toleratis indulserit, ut noluerit illorum, sed potius aliorum Christifidelium utilitati prodesse = *Per hoc tamen*, sunt verba dictæ Constitutionis, *hujusmodi Excommunicatos . . . non intendimus in aliquo relevare, nec quomodolibet suffragari* = Porro releva-

 rentur

rentur in aliquo, atque in eorum commodum redundaret, si communium suffragiorum capaces evaderent, atque Indulgentiarum participationem obtinerent.

Colliges ex dictis, Suspensionis, aut Interdicti Censuris irretitos posse Indulgentias lucrari; Suspensio siquidem Clerico prohibet duntaxat alicujus Ecclesiastici Ministerii exercitium: Interdictum vero removet usum Divinorum, quatenus à Christifidelibus possunt haberi, ac per consequens fit, utranque Censuram indemnem communicationem in bonis spiritualibus atque communibus relinquere. Idem dicendum est de Irregularibus, cum Irregularitas Censura non sit, sed canonicum impedimentum, primo & per se Ordinis susceptionem prohibens, atque per accidens illius exercitium.

Quæres 1.° An propter Excommunicationem majorem injustam homo ab Indulgentiarum participatione repelleretur?

Respondemus. Excommunicationem injustam ex defectu causæ sufficientis, vel aliorum tum ex parte judicis eam ferentis, tum ex parte personarum, in quas lata est, non repellere Christifideles a participatione Indulgentiarum: secus vero injustam ob defectum solemnitatis accidentalis a jure requisitæ.

Prob. prior responsionis pars. Intantum Excommunicatio major excluderet baptizatos ab Indulgentiarum participatione, inquantum indispensabiliter privaret eosdem communibus Ecclesiæ suffragiis, bonisque inter Ecclesiæ membra sibi invicem unita dividendis. Excommunicatio vero major dicto modo injusta nullitatis vitio laboraret, ac proinde effectum illum inferre non valeret = *Excommunicatio* (inquiunt Patres Salmanticenses Morales in *Tract.* 10. *de Censur. cap.* 3. *puncto* 1.° *num.* 5.) *quæ ita est injusta, ut sit nulla, nihil operatur, nec ullum ex enumeratis effectibus producit tam in foro interno quam externo, si causæ nullitatis sufficienter manifestentur; ita ut scandalum non sequatur: & tunc se gerere debet ac si Excommunicatus non esset, quia sententia nulla non est sententia, & quod nulliter factum est, factum non censetur* = Ergo Excommunicatio dicto modo injusta non repellit Christifideles ab Indulgentiarum participatione.

Prob. altera pars. Excommunicatio injusta defectu solemnitatis accidentaliter requisitæ non differret a sententia, quæ justa est quantum ad essentialia. Itaque sicut hæc impediret, ne quis ea innodatus Indulgentiarum fructum perciperet, ita & injusta defectu solemnitatis accidentalis.

Quæres 2.° An Summus Pontifex conscius impedimenti Excommunicationis, qua Petrus E. G. irretitur, si eidem Indulgentiam concederet, hujus concessionis fructus obtineretur?

Respondemus affirmative; per hujusmodi enim concessionem scienter factam, Petrus qui erat Excommunicatus, absolveretur a vinculo Censuræ; quia sicut Excommunicatione innodatus non præsumeretur ille, quem Papa scienter ad pedum osculum reciperet, *Cap. Cum olim* 1.° *de Privileg.* & notat Glossa in *Cap. si Inimicus verbo expectare* 39. *dist.* ibi = *Si Papa Excommunicaret, intendendo eum absolvere facto, etiamsi non verbo, habendus esset pro absoluto* = cum Princeps sola voluntate libertatem concedat. *L. Imp. de Manumiss.*, ita nec reputari deberet pro Excommunicato is, quem Pontifex sciens, & volens ad participationem Thesauri meritorum Christi & Sanctorum media Indulgentiæ largitione reciperet. Rursus intantum Excommunicatus ex vi Pontificiæ concessionis sibi scienter factæ lucrari non posset Indulgentiam, inquantum beneficium absolutionis a vinculo Excommunicationis juxta formam juris positivi non obtinuit. Hoc autem facile corruit; Summus enim Pontifex nullis subditur formis juris positivi, sed quod vult, lex est, si de illius scientia appareat, cum sit a legibus solutus *l. Digna Codic. de Legib. l. Princeps ff. eodem*, sacrisque Canonibus potestatem tribuit, qui ab eo vigorem desumunt, & non e converso *Cap. significasti de Electione*. Posita ergo concessione Indulgentiarum facta Excommunicato a Summo Pontifice scienter, vere esset is a vinculo Excommunicationis absolutus, quantunvis Papa hanc formam non adhiberet = *Ego te absolvo a vinculo Excommunicationis* = hujusmodi enim Indulgentiæ largitio esset vir-

virtualis & æquivalens absolutio ab Excommunicatione.

Consulto diximus per Indulgentiæ concessionem scienter factam; si enim Summus Pontifex Excommunicationem penitus ignorans, eo vinculo irretito Indulgentiam despondiret, non fieret ille ad Indulgentiarum participationem idoneus, quia pro absoluto minime putaretur; ut habetur in Clementina *si sumus de sententia Excomunicationis*; & firmant Joannes Andreas *num.*4. Abbas *n.*3. *&* 4. Ancharanus *num.*4. *Versicul. Oportet ergo.*

Objicies. Si quis literas servo scriptas tanquam Decurioni, vel ancillæ tanquam sorori mitteret, non exinde fieret, unum vel alterem libertate donari. *l. Jubemus Codic. de Probationib.* Ergo si Summus Pontifex Excommunicato tanquam subjecto capaci Ecclesiasticæ communionis in bonis spiritualibus Ecclesiæ Indulgentias largiretur, non idcirco eum capacem redderet ad illarum acquisitionem.

Resp. eas leges loqui, ubi non constaret de scientia Domini. Quod si clare constaret, Dominum ex certa scientia servum liberum vocasse, atque ad eundem literas tanquam ad Decurionem, vel ad ancillam tanquam ad sororem literas dedisse, ejus animus sufficienter exprimeretur de donatione libertatis, quam citra dubium assequeretur servus, vel ancilla; libertatis enim concessio unice ex libera Domini voluntate dependet. Quod profecto probat, idem asserendum de Excommunicato in ordine ad Indulgentias, si Summus Pontifex Censuræ dictæ impedimentum agnoscens adhuc vellet eidem Indulgentiæ beneficium impendere.

ARTICULUS II.

An Catechumenus possit lucrari Indulgentias?

DUBIUM procedit de Catechumeno, qui ita votum habeat recipiendi Baptismatis Sacramentum, ut fide Theologica præditus jam sit, & charitate; ubi enim dictæ virtutes deessent, non daretur capacitas ad acquirendas Indulgentias.

Cum Catechumenus vere de culpis contritus, ex voto Baptismatis sit jam Fidelis, atque Ecclesiæ unitus per charitatem, atque purgatus a culpis, videtur pariter pollere capacitate Indulgentiarum. Sic sentiunt Navarrus, Leo, Polanchus, & Bastonus.

Conclusio. Catechumenus nequit Indulgentiarum fructum obtinere. Subscribunt huic Conclusioni Suarius *Disp.*53. *sect.*4. *num.*8. Nugnus in *Additionib. qu.* 27. *art.*3. Cottonius *lib.*2. *controv.*11. Palaus *Tr.*24. *puncto* 8. *n.*2. aliique.

Prob. 1°. Ad comparandas Indulgentias requiritur, ut quis Ecclesiasticæ jurisdictioni, aut potestati subjectus sit. Catechumenus autem ante Baptismatis receptionem Ecclesiasticæ potestati, aut jurisdictioni subjectus non est, ideoque ut notarunt Azorius, in *Institution. Moral.* 1. *parte lib.* 7. *cap.*28. *qu.*3. Menochius *de Arbitr. casu* 29. non ligatur Ecclesiasticis Constitutionibus: nec potest excommunicari, aut interdici juxta Navarrum in *Manuali cap.*17. *n.*13. Ugolinum *de Censuris tabul.* 17. §. 5. *num.* 3., aut ad propriam sectam revertens, potest Apostasiæ pœna multari; quamvis ex suppositione, quod Catechumenus sit recepturus Baptismatis Sacramentum, plura pro eo ab Ecclesia statuta sint: puta, quod certo tempore illud recipiat *Can. Duo* & *Can. de Catechumen. De Consecratione dist.*4. & quod certis diebus quædam faciat, ut *Can. ante Baptism.*, & *Can. ante viginti dies eadem distinct.*, & quod multo tempore non differatur ejus spiritualis regeneratio ut *Can. Quando ead. dist.* Nequit ergo fructum Indulgentiarum obtinere. Confirmatur, magisque explicatur ratio nostræ Conclusionis. Catechumenus capax non est pœnitentiæ a Sacris Canonibus injunctæ pro merito delictorum; non enim ea, quæ contra legem vel Divinam, vel humanam ab iis perpetrata sunt prævie ad Baptismatis receptionem, quod est omnium Sacramentorum janua, Pœnitentiæ Sacramenti virtute possunt expiari, nec per votum illud recipiendi idonei ad eorum expiationem efficiuntur: adeoque nequeunt subdi Clavium potestati, atque judicio Prælatorum Ecclesiæ, dicente Apostolo 1. *ad Corinth.* 5. *vers.* 12. = *Quid mihi de iis qui foris sunt judicare?* = Itaque cum Indulgentiæ pœnæ temporalis absolutionem & pœnitentiarum remissionem

nem a legitimo superiore virtute Clavium factam importent, sequitur, capacitatem ad eas recipiendas in Catechumeno non reperiri

Dices. Peccata Catechumeni ante Baptismum commissa sunt materia poenitentiæ, ut patet in D. Paulo, quem post illius Sacramenti receptionem poenituisse compertum est, quanquam nullum inposterum peccatum lethale perpetraverit: & in Divo Augustino, qui licèt Baptismali charactere insignitus gratiam sanctificantem non amiserit, reliquo vitæ cursu sancte ac laudabiliter consummato, tamen Psalmos Poenitentiales contra parietem positos legebat, jugiter deflens vitæ superioris errata; imo adeo poenitentiæ laboribus vacandum est, ut nunquam ab eis cessandum esse tradiderit idem S. Episcopus (vel quisquis sit Authòr *Lib. de vera & falsa Pænitent.* sub nom. S. Augustini) = *Quid restat nobis*, inquit, *nisi semper dolere in vita, ubi enim dolor finitur, quid relinquitur de venia* = Ex quibus perspicue deprehenditur, Catechumenum posse poenitentiæ legibus obligari, proindeque subjici Ecclesiæ Clavibus.

Resp. aliud esse Catechumenorum peccata ante Baptismum commissa esse materiam virtutis poenitentiæ, aliud est, esse materiam Sacramenti Poenitentiæ. Secundum non evincunt mox adducta Sanctorum exempla, neque suadet Author *Libri de ver. & fals. Pœnit.*, sed solum primum; poenitentia quippe, ut est virtus, latius patet se ipsa, prout est Sacramentum, quandoquidem gratiam sanctificantem comitatur, statui novæ Legis non alligatam, sed cunctis hominibus necessariam ad æternæ vitæ felicitatem comparandam. Cæterum Poenitentiæ Sacramentum proprium est hujus status, supponentis Institutorem Sacramentorum, humanique Generis Reparatorem. Hinc poenitentia prout est virtus, considerata quantum ad sua essentialia, non importat cum Sacramento Baptismatis connexionem (& ideo aliqua ejus opera præviæ ad Baptismatis receptionem fuisse indicta Catechumenis expensum est supra *Cap. 1.° pag.* 127. *col.* 1.ª ut efficax conciperent propositum non peccandi de cætero, atque vitiorum habitus evellerent) alias si connexionem diceret cum Sacramento Baptismatis, nec fuisset in Adamo, neque in Patribus veteris Testamenti. Secus dicendum est de Poenitentia ut est Sacramentum a Sanctis Patribus atque Doctoribus vocata *Secunda tabula post naufragium*, primam Sacramenti Baptismatis præsupponens, velut januam ad reliqua Sacramenta, ut habetur *Cap. Veniens de Presbytero Baptizato*. Ex qua doctrina colligitur, Catechumenos propter peccata subjici non posse Ecclesiæ Clavibus, ac per consequens nec Indulgentias posse percipere, cum Indulgentiæ sint actus potestatis eatundem, imo saltem per extensionem ad Poenitentiæ Sacramenti forum aliquo modo pertineant, ut docet Magister sententiarum in 4. *dist.* 21. & Soto *ibidem qu.* 1.ª *art.* 1.

Prob. 2.° Virtus capitis nequit communicari nisi membris corpori actu unitis. Ut ergo virtus satisfactionis Christi per Indulgentiarum concessionem ex Ecclesiæ Thesauro hominibus communicetur, debent ii Christo Capiti, atque Corpori Ecclesiæ actu uniri. Quod sane de Catechumenis verificari non potest nondum Baptismali lavacro regeneratis, sed velut in Ecclesiæ utero conceptis duntaxat = *Nondum quidem* (inquit D. Augustinus *lib.* 2. *de Symb. ad Catechumen.*, eos alloquens) *adbuc per sacrum Baptisma renati estis, sed per Crucis signum in utero Sanctæ Matris Ecclesiæ jam concepti estis* = ea enim unio fit mediante Baptismate = *Per Baptismum* (inquit D. Thomas in 3. *par. qu.* 86. *artic.* 4. *in corp.*) *homines Christo incorporantur secundum illud ad Galat.* 3°. *Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis* = Ergo Catechumeni non possunt Indulgentiarum fructum obtinere.

Dices. Catechumeni, qui fide & charitate præditi sunt, pertinent ad Ecclesiam. Non ergo apparet, quare a participatione bonorum ejusdem debeant repelli.

Resp. tripliciter homines posse ad Ecclesiam pertinere, ut tradit Bannez 2. 2. *qu.* 1. *art.* 10. Primo numero & merito, ut Christifideles baptizati in statu gratiæ constituti. Secundo numero & non merito, ut Christifideles baptizati, labe tamen peccati lethalis coinquinati. Tertio merito & non numero, & hoc modo Catechumeni, de quibus agimus, juxta inter-

ternam dispositionem, quam habent gratiæ, nec non fidei Theologicæ Ecclesiæ membris aliquo modo connexis, non tamen unione, aut cum ipsis, aut cum toto Ecclesiæ Corpore. Ea autem unio præcise secundum internam dispositionem, sicut sufficiens non est, ut Catechumeni Ecclesiasticæ jurisdictioni subdantur, ita nec ut participent de bonis Ecclesiæ spiritualibus, quæ cadunt sub ejus dispensatione.

Objicies. Catechumeni in gratia & fide ex hac luce migrantes capaces sunt Indulgentiarum, quæ cæteris Fidelibus obeuntibus applicantur. Poterunt ergo in hac vita Indulgentias consequi aliis viventibus concedi consuetas.

Resp. (transmisso antecedentis) Indulgentias, quæ Defunctis applicantur, esse per modum meræ solutionis non exigentis jurisdictionis potestatem supra personas, quibus hoc spirituale subsidium est conferendum, ut dicemus infra *Cap.* 14. *art.*8. ideoque mirum non est, Catechumenos hujusmodi suffragio posse gaudere. Aliter tamen dicendum est de Indulgentia vivorum, quæ est per modum absolutionis, ac per consequens actus potestatis jurisdictionis, qui nequit supra Catechumenos exerceri.

ARTICULUS III.

An & quomodo Prælatus facta generali Indulgentiarum concessione possit illarum particeps esse?

CONclusio 1.ª Possunt Prælati lucrari sibi Indulgentias, pro suis subditis generaliter concessas. Ita sentiunt Innocentius in 4°. *qu.* 3. *art.* 1. *ad* 2^m^. Durandus *qu.* 4. *nu.* 11. Augustinus de Ancona *de Potest. Eccl.* Navarrus *de Jubil. notab.* 20. *nu.* 18. aliique Doctores communiter.

Prob. 1°. Ex Angelico Præceptore, qui in 4. *dist.* 20. *qu.* 1. *art.* 5. *quæstiunc.* 4. inquit = *Prælatus potest uti Indulgentia, quam pro aliis facit, quia aliis subest causa faciendi* = Ergo possunt juxta D. Thomam Prælati lucrari Indulgentias suis subditis generaliter concessas.

Prob. 2.° a ratione. Negari nequit Ecclesiæ Prælato beneficium pro subditis generaliter datum, occurrente eadem indigentia; etenim si incongruum foret, Principem bona communia Reipublicæ cunctis subditis distribuentem, non posse sibi ex eisdem portionem recipere, cum sit potissimum membrum, eademque ac subditi prematur necessitate, durissima esset Summi Pontificis aliorumque Prælatorum Ecclesiæ conditio, si alios nutrientes ex officio, ipsi jejuni remanerent: ac cæteros Christifideles pro relaxandis pœnis temporalibus adjuvantes, sibi auxilium afferre non valerent. Porro eos Indulgentiarum subsidio indigere nemo non novit, testante Isaia *Cap.* 13. = *Omnes nos quasi oves erravimus* = & D. Joanne in Epist. 1.ª = *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus & veritas in nobis non est* = Ergo Prælati Ecclesiæ possunt sibi lucrari Indulgentias concessas generaliter pro suis subditis.

Non omnes tamen Doctores unanimes sunt in exponendo modum, quo Prælatus hujusmodi Indulgentiarum concessionem participat. Corduba *qu.* 13. *de Indulg.* triplicem distinguit Indulgentiam: primam per modum absolutionis, seu remissionis: secundam per modum suffragii, cujus ratio essentialis in Thesauri Ecclesiastici sola communicatione consistit; adeoque Defunctis duntaxat applicandam: tertiam per modum participationis & usus prædicti Thesauri aliquibus commissi, quæ solum locum habeat in Prælatis habentibus potestatem ad Indulgentias concedendas, ut hac via sibi ad pœnæ temporalis levamen opportune provideat, quin opus sit ad id obtinendum, authoritatem propriam aliis committere.

Verum hic modus dicendi non cohæret essentiali Indulgentiæ vivorum conceptui, qui in absolutione positus est; quare novum adinvenire, qui sit simplex participatio, seu usus Thesauri meritorum Christi & Sanctorum, nulli prorsus innititur fundamento. Maxime quia difficultas versatur circa Indulgentiam ex vi generalis concessionis tum a subditis tum a Prælato eam concedente comparandam: quæ profecto, aut pro omnibus foret duntaxat dispensatio, ususque Ecclesiastici Thesauri, (quod Corduba juxta sua principia nequit admittere, vel

vel necesse est omnibus, & per consequens Ipsi Prælato sub conceptu absolutionis correspondere, quod prælaudatus Doctor apertissime negat.

Ne aliter subditis, aliter Prælatis Indulgentiæ conveniant, Vincentius in *Capite Cum ex eo de Pœnit. & Remiss.* Guillelmus *in Specul.* & Archidiaconus *in Cap. Indulgentiæ eod. titulo in 6. l. unica C. ne quis in causa*, & Cajetanus, relati a Corduba *Quæst. citat.* eas putant locum habere in Prælatis concedentibus, eodem modo in specie ac in subditis, diverso tamen in individuo; quia quantunvis nequeant Prælati absolutionis a pœna temporali sibi beneficium impendere, cum non possint aut ligando aut solvendo actum jurisdictionis in seipsos exercere, alia tamen via possunt sibi Indulgentias comparare, committendo vel Confessariis vel aliis personis, ut sibi conferant pœnæ temporalis relaxationem: sicut ex vi delegatæ jurisdictionis a culpis in foro Pœnitentiali Sacramentaliter absolvuntur. Itaque hac admissa opinione, Indulgentia a Prælatis obtinenda esset vera absolutio.

Sed hanc sententiam non approbat Navarrus, ideoque eam acerrime impugnat in *Commentar. de Indulg. & Jubil. notab.*20. *nu* 9. absurdum reputans Prælatos hac via Indulgentiarum fructu gaudere: *Quia sicut nemo*, inquit, *potest seipsum absolvere, vel condemnare: ita nemo potest dare alteri potestatem se absolvendi, vel ligandi: tum quia potestatem quam quis non habet non potest alteri mandare; at nemo habet potestatem seipsum absolvendi. Ergo nemo potest alteri delegare illam: tum quia ratio, qua Papa absolvitur a suo Confessario non est, quia ipse committit ei jurisdictionem id faciendi, sed alia, ut profundius, quam hactenus dictum sit, scrutabimur.*

Cæterum ea, quæ ad prælaudatos Doctores impugnandos affert Navarrus de absolutione a culpis per Summum Pontificem obtinendam, non recipiunt Theologi, ac Pontificii Juris Interpretes, nisi unum vel alterum novitatis amatorem excipias; cum id ratum fixumque sit, Summum Pontificem, electo sibi in Confessarium simplici Sacerdote, potestatem jurisdictionis in seipsum eidem conferre pro foro Sacramentali, cui, non secus ac cæteri Christifideles, in eodem foro parere tenetur. Ex quo colligitur, posse pariter Ecclesiæ Prælatum alteri committere facultatem dandi sibi Indulgentiam, prout expedire judicaverit; & de facto (Estio teste) fertur de Summo Pontifice, quod moriturus, sibiipsi Indulgentiam Plenariam non conferat, sed ab aliis accipiat, quibus id juris commiserit. In eo tamen sententiam a Navarro rejectam falsam judicamus, eo quod ipse putet, Summum Pontificem vel alium Prælatum, ad comparandum sibi fructum concessionis Indulgentiarum generaliter a se factæ, indispensabiliter adjutorio delegatæ potestatis indigere; etenim ibi Sacramentalis absolutio, personarum distinctionem necessario requirens, minime interveniret, vel actio punitiva ad alteram personam dirigenda. Addimus constare ex usu, Summos Pontifices acquirendis Indulgentiis ab eisdem generaliler concessis vacare, independenter a quacunque delegatione alteri facta, sicut vacant aliis, a Prædecessoribus generaliter datis, de quibus eadem militat ratio.

Alii Doctores apud Passerinum *qu.* 21. *num.* 184. sentiunt, Indulgentias a Prælatis generaliter concessas pro suis subditis, ab eisdem acquiri, non quidem ex ordinaria eorundem authoritate in se ipsos exercita, sed ex aliorum potestate, ac voluntate si superiores agnoscant; sin minus ex lege Divina vel Christi voluntate: unde verissimum esse dicunt, Prælatos Indulgentias illas sibi posse comparare, eo modo, quo Legislatores propria præcepta observare tenentur, non obligati ab eisdem legibus, sed a Deo mediante jure naturali.

Utinam hic dicendi modus scopum veritatis attingeret, nec ad probandum intentum incerto prorsus inniteretur principio. Dicant enim amabo ii Authores, unde deprehendatur, Indulgentias hujusmodi a Prælatis obtineri ex superiorum voluntate, aut ex Christi concessione? Quod nam sit ejus rei vel ex ratione vel ex probatis Authoribus fundamentum? Paritas desumta ex lege lata obligante superiorem qui eam tulit, parum aut nihil evincit ad eorum institutum; quod enim Legislator obligetur a lege quantum ad vim directivam, quæ ostendit bonum esse faciendum, atque

atque ad illud dirigat, fundamentum habet in jure naturali, quod vim obtinet eos obligandi, ut inter caput & membra detur conformitas, illudque sibi non contradicat, aliud edocens verbo ac lege, aliud exhibens opere & exemplo; si enim, ut inquit D. Augustinus in *Lib.3. Confession. Cap.8 = Turpis est omnis pars suo universo non congruens* = major foret difformitas, si uno modo caput, alio modo membra se gererent. Cæterum cum Indulgentiarum assecutio in dispensatione Thesauri meritorum Christi & Sanctorum ab Ecclesiæ Prælatis facta fundetur, circumscripta ordinaria, aut delegata eorundem potestate in se ipsos exercita, non daretur fundamentum ad asserendum, Summum Pontificem aliosque Prælatos de generali Indulgentiarum concessione a se facta participare; non enim esset, qui media Clavium potestate Thesaurum meritorum Christi & Sanctorum ad spiritualem eorum utilitatem eis aperiret in terris. His igitur dicendi modis rejectis, sit

Conclusio 2.ª Prælati possunt sibi acquirere Indulgentiam pro suis subditis generaliter concessam, quatenus Indulgentia est absolutio: ita ut actus ille jurisdictionis directe & primario in populum subditum exercitus, de secundario & indirecte ad singulos, atque ad ipsosmet concedentes extendatur. Ita Suarius *Disp.52. sect.1. num.16.*, Passerinus *quæst.21.n.185.*

Prob. 1.º Indulgentia generaliter concessa eandem vim obtinet pro concedente ac pro aliis Christifidelibus subditis: eodem tenore verborum exprimitur: proindeque eadem judicatur Prælati concedentis voluntas tam respectu sui, quam aliorum; ubi enim Summus Pontifex, diversimode Indulgentiam largitur per modum absolutionis, & per modum suffragii, utrunque expresse declarat. Ergo sicut ejusmodi Indulgentia respectu singulorum Christifidelium subditorum est actus absolutionis, ita respectu Prælatorum eandem concedentium.

Prob.2.º Ideo de generali Indulgentiarum concessione non participarent tam Prælati concedentes, quam subditi eodem modo, quia cum Indulgentia dicat conceptum absolutionis erga personas absolventi subjectas, non videtur ipsum Prælatum comprehendere, defectu realis distinctionis inter absolventem & personam a poenis temporalibus absolvendam. Hanc vero distinctionem non exigi, plura exempla planissime demonstrant. Potest superior condere legem, quæ vi directiva eundem Legislatorem afficiat, quod citra jurisdictionis exercitium fieri non potest. Rursus Supremus Legislator potest se ipsum sicut & cæteros subditos in jejunii lege dispensare, occurrente justa ac rationabili causa; hæc autem dispensatio in lege jurisdictionem importat tum in se ipsum, tum in subditos = *Neque ex generali ratione* (inquit Suarius loco supracitato) *actus jurisdictionis repugnat exerceri ab eodem circa se ipsum: neque etiam ex speciali ratione talis actus, scilicet indulgentiæ; quia Pontifex rationabili ex causa potest secum dispensare in humana lege aut in voto, quia neque esse debet deterioris conditionis, ut careat in terris dispensatore, sicut caret superiore: neque etiam est jus aliquod vel ratio sufficiens illum obligans ad hæc exercenda per alium, & non per se ipsum. Quid enim, si nullus esset idoneus, cui posset tale judicium committere? Numquid necessario cariturus esset dispensatione, etiamsi illa indigeret? Maxime quidem, quia actio illa non requirit coactionem* = Quæ robur accipiunt ex *Capite Per Venerabilem Qui filii sint legit.* ubi habetur, posse Principem supremum in temporalibus cum suis filiis naturalibus ita se gerere, ut eos legitimando, ad hæreditatem admittat, cæterasque sæculares dignitates; quod actum virtualis dispensationis erga seipsum importat, ne dum quia filius est aliquid Patris, verum etiam quia præstat, ut possit ab eo fieri hæc hæreditatis institutio. Enim vero statuta distinctione morali in eadem persona penes diversa munera, utrunque potest salvari: & quod eadem persona pro ut Papali aut Regia eminet dignitate, beneficium dispensationis indulgeat: ac ut Pater eidem dispensationi subdatur. Non ergo exigitur realis distinctio inter personam absolventem a poenis temporalibus media Indulgentiarum concessione, ac ab eisdem absolvendam, ac per consequens non obstat, Ecclesiæ Prælatos eodem modo ac suos subditos Indulgentiæ generaliter concessæ fructum obtinere: adeout tanquam Pastores Thesauriq; meritorum Chri-

sti & Sanctorum dispensatores Indulgentiam largiantur: & ut personæ particulares, & alias solvendis pœnis temporalibus obnoxiæ, illis generaliter propriis subditis concessis utantur & gaudeant.

Dices. Nemo potest pro se ipso ferre sententiam, ut *l. Pen. ff. ad Senat. Consult. Trebell.* Ergo Prælatus nequit per generalem Indulgentiæ concessionem factam subditis etiam se ipsum a pœnis temporalibus absolvere.

Resp. tunc verum esse neminem pro seipso posse ferre sententiam, quando sententia judicii formam exposceret, in quo Judex, Actor, & Reus debent convenire, secus ubi hæc non requireretur; & de facto minime est necessaria in concessione Indulgentiarum.

Quæres. An Prælatus habens potestatem despondendi generales Indulgentias, etiam particulari concessione sibi soli duntaxat possit facere remissionem pœnæ temporalis?

Innocentius in 4. *dist.* 20. *art.* 1. *ad* 2.^m, Nugnus *in Supplem dist.* 27. respondent negative, non quidem propter defectum jurisdictionis in se ipsum exercendæ immediate, sed quia causa sufficiens reperiri non valet, prudenter movens Prælatorum judicium, ut juste ac rationabiliter ad hujusmodi concessionem procedant; ea enim debet esse pia, Dei honorem nec non Ecclesiæ utilitatem respiciens, quæ nequit locum habere in Prælatis, aliunde ex officio addictis ad illam causam promovendam.

Hic tamen discursus non placet Suario, qui oppositum propugnat, *Disput. cit.* *num.* 23. = *Cur enim* (inquit) *non potest Prælatus seipsum per Indulgentiam provocare ad illum actum exercendum in utilitatem Ecclesiæ, quem alioquin ex officio facere tenetur? Hæc enim duo non repugnant simul conjungi in eundem actum; sicut potest per Indulgentiam provocare alios Fideles ad illos actus faciendos, quos ex aliis præceptis facere tenentur: & alicui Regi potest concedere Indulgentiam hoc fine, ut per eam provocetur ad suum munus regium recte exercendum. Eo vel maxime, quod licet Prælatus teneatur bonum Ecclesiæ procurare, non tamen per quoslibet bonos actus; multi enim possunt respectu illius esse in consilio, & non in præcepto. Ergo ad illos potest se per Indulgentiam provocare.*

Suarii doctrinam refellere nititur Passerinus *quæst. cit.* *nu.* 191. negatque, eam locum habere in Summo Pontifice. Admittit itaque, posse eundem se ad Ecclesiæ utilitatem promovendam indesinenter excitare, eo tamen sibi præstituto fine, nequaquam posse sibi Ecclesiæ Thesaurum per particularem Indulgentiarum concessionem aperire, cum aliunde ad id obligetur ex officio. Solvit deinde paritatem de aliis Christifidelibus: quia Indulgentias dare, ut subditi torporem, atque negligentiam in ordine ad legum observantiam abjiciant, propriisque obligationibus satisfaciant, cedit in Dei honorem atque Ecclesiæ utilitatem; cæterum torporem ac negligentiam Prælatus a se tenetur abjicere: subditque, debitum Summi Pontificis in procurandis tum honore Dei tum Ecclesiæ utilitate quandam habere infinitatem, legique charitatis æquiparari, obliganti ad Deum diligendum perfectius ac perfectius, ex toto corde & ex tota anima: ideoque sicut non datur actus charitatis, qui sit de consilio; quia nihil facere licet nisi ex Dei dilectione, ex qua non licet impedire intensionem actus dilectionis, vel non diligere Deum quantum possumus ex toto corde & ex tota anima, ita in ordine ad Summum Pontificem nequit actus excogitari bonum Ecclesiæ respiciens, ad quem exercendum non teneatur, cum debeat Ecclesiæ utilitatem toto corde, tota mente ac tota anima promovere: nec sibi licet ab aliquo actu ad Ecclesiæ bonum ordinato cessare, nisi intuitu majoris boni ejusdem; ideoque si Ecclesiæ utilitas sit possibilis, ad eam procurandam obligatur Summus Pontifex.

Verum hac Passerini responsione Suarii ratio minime concutitur; falsum enim est, actus omnes, quibus Summus Pontifex potest se ad Dei honorem atque Ecclesiæ utilitatem excitare, cadere sub Divino Præcepto. Et sane nullum poterit aut ex authoritate, aut ex ratione adduci fundamentum, quare plurimi solum sub Divino non cadant consilio: ideoque adhuc urget prælaudati Doctoris argumentum, quod saltem ad hujusmodi actus exercendos, possit se ipsum per Indulgentiarum concessionem sibi particulariter factam excitare.

Respondemus igitur Dubio. Prælatum habentem potestatem concedendi Indulgen-

gentias sibi soli duntaxat posse facere remissionem pœnæ temporalis; sufficiens enim datur jurisdictio ad hunc actum potestatis Clavium in se ipsum exercendum, ut constat ex probatione secundæ Conclusionis, nec deest causa pia ac proportionata ad id præstandum: cum plura possint ad Dei honorem atque Ecclesiæ utilitatem referri, ad quæ potest se excitare Prælatus ex officio non obligatus.

Dices. D. Thomas in 4. *dist.* 20. *quæst.* 1. *artic.* 5. *quæstiunc.* 4. apertissime docet oppositum = *Dicendum*, inquit, *quod Indulgentia debet ex aliqua causa dari, ad hoc quod aliquis per Indulgentiam ad aliquem actum provocetur, qui utilitatem Ecclesiæ, & in honorem Dei vergat. Prælatus autem, cui cura Ecclesiæ utilitatis propagatione & honoris Divini propagandi est commissa, non habet causam, ut se ipsum ad hoc provocet: & ideo non potest præbere Indulgentiam sibi tantum, sed potest uti Indulgentia, quam pro aliis facit.*

Resp. mentem Divi Thomæ esse, causam utcunque ducentem ad Dei honorem atque Ecclesiæ utilitatem, alias pro generali concessione Indulgentiarum proportionatam, pro particulari in ordine ad ipsum Prælatum concedentem non sufficere: illud expendens, quod ipse ex munere Dei honori atque Ecclesiæ utilitati operam impendere teneatur; & ideo subdit = *Non habet causam, ut se ipsum ad hoc provocet* = Nihilominus cum Summus Pontifex (ut dicebat Suarius) perfectioribus actibus, quos certe ex præcepto exequi non tenetur, eos fines efficacius possit attingere, sequitur, quod ob hanc causam (de qua ibi non loquitur Sanctus Doctor) a particulari concessione sibi facienda minime repellatur. Hanc vero interpretationem consonam esse menti Præceptoris Angelici, ex eo colliges, quod cum sibi eadem quæstiuncula objecisset, Prælatum Ecclesiæ se ipsum non posse Excommunicationis vinculo innodare, ac per consequens nec sibi Indulgentias concedere, respondet: Excommunicationem proferri per modum sententiæ, quam nullus in se ipsum ferre potest, eo quod in judicio non potest idem esse Judex & Reus: Indulgentiam autem non per modum sententiæ dari, sed per modum dispensationis cujusdam, quam homo potest facere ad se ipsum. Agnoscit ergo, causam aliquam dari, ratione cujus possit Prælatus concessionem particularem Indulgentiæ sibi facere = *Dicendum*, inquit S. Doctor, *quod Excommunicatio profertur per modum sententiæ, quam nullus in se ipsum ferre potest, & quod in judicio non potest idem esse Judex & Reus. Indulgentia autem non per modum sententiæ datur, sed per modum dispensationis cujusdam, quam homo potest facere ad seipsum* = Admittit ergo Angelicus, posse Summum Pontificem quandoque sibi soli duntaxat facere remissionem pœnæ temporalis. Adverte hic tamen cum Sylvio in *Supplem. ad* 3. *part. D. Thom. quæst.* 27. *art.* 8. S. Doctorem asserentem loco mox laudato = *Indulgentia non per modum Sententiæ datur, sed per modum dispensationis cujusdam* = nequaquam sentire, Indulgentiam esse nudam solutionem, ac nullo modo absolutionem, sed solum significare, Indulgentiam non dari per modum sententiæ pure & simpliciter absolventis, sed compensationem, seu dispensationem ex Ecclesiæ Thesauro factam etiam importare.

Quæres. An ut Prælatus Indulgentiam generaliter pro subditis suis concessam lucretur, teneatur implere opera injuncta?

Respondemus, Prælatum ad id obligari; quia eodem modo sibi, ac aliis Christifidelibus subditis Indulgentiam impertitur. Ergo eodem modo ac alii pro implendis oneribus in hujusmodi concessione injunctis debet se gerere; non secus ac tempore Quadragesimæ debet a cibis vetitis abstinere, ut impleat jejunii præceptum.

Hinc non admittimus absolute, quod dicit Gabriel: posse Prælatum opus pro Indulgentia injunctum in aliud pro se commutare, dummodo illud sufficientem compleat, aut constituat causam concessionis, cum hoc unice ex ejus voluntate dependeat: sed solum id verum putamus justa existente causa commutationis, puta, si opus a cæteris subditis ponendum non posset ipse peragere.

ARTICULUS IV.

An Regulares possint acquirere Indulgentiam Civitatibus & Oppidis generaliter concessas: & an etiam Advenæ & Peregrini?

COnclusio 1.ª Indulgentias a Summo Pontifice quibuscunque Locis concessas possunt lucrari Regulares, & omnes cujuscunque conditionis homines. Hæc Conclusio est communiter recepta inter Doctores.

Prob. Non deest authoritas in eo, qui concessit; tanta enim est, ut totum Orbem habeat pro Diœcesi, omnesque Christifideles cujuscunque ordinis & dignitatis sint ejus subditi, ac per consequens ligari, & absolvi tum a culpis tum a pœnis temporalibus possint: nec de voluntate ejus dubitandum est, quia verba concessionis, (ut supponimus) generalia sunt pro Civitate, vel Oppido, quæ cunctis habitatoribus possunt applicari. Ergo Indulgentias a Summo Pontifice quibuscunque Locis concessas possunt acquirere sibi Regulares, ac cujuslibet conditionis homines.

Conclusio 2.ª Regulares possunt sibi comparare Indulgentias, ab Episcopis Civitatibus aut Oppidis generaliter concessas. Ita sentiunt Navarrus *Notab.* 31. *n.* 13. Barbosa *Alleg.* 88. *nu.* 27. Palaus *in Tract.* 24. *disput. unica puncto* 3. *num.* 14. Passerinus *quæst.* 20. *num.* 175.

Prob. Ex una parte Regulares sunt pars Civitatis vel Oppidi: ex alia exemtio eorundem a jurisdictione Episcopali non officit Indulgentiarum acquisitioni; etenim statuta in favorem exemtorum nequeunt illis obesse: nec inventa ad augmentum debent ab augmento retrahere, aut operari diminutionem; ut ex textu *l. si ex toto in princip. ff. de Legat.* 2. *si a Milite ff. de Militari testam. L. si Ruffinus C. eod. titul.* Insuper favore concessa non vertuntur in odium *L. Nulla juris ratio* 22. *ff. de Legib. Cap. quod ob gratiam* 61. *Regula juris in* 6. Regulares ergo in favorabilibus ab Episcopali jurisdictione non excluduntur, adeoque possunt lucrari Indulgentias ab Episcopis generaliter pro suis subditis concessas.

Objicies. Interdictum generaliter latum non extenditur ad Regulares aliasque Ecclesiasticas personas juxta Doctorum sententiam, quia hujusmodi leges dictas personas non afficiunt; quod a pari convincit, eos in Indulgentiarum concessionibus non comprehendi.

Resp. materiam Interdicti esse odiosam, adeoque stricte interpretandam; maxime quia, ut advertit Suarius, in hac materia pro Populo laici intelliguntur, prout a Clericis distinguuntur, ut *Cap. Si sententia de sentent. Excommunication. in* 6. & notat etiam Ludovicus Bologninus in *tract. de Indulg. num.* 10. ex Baldo *in l. cunctos populos column.* 7. & 8. *de summa Trinit.* Materia autem Indulgentiarum est favorabilis, adeoque late debet interpretari.

Conclusio 3.ª Vagi, Advenæ & Peregrini possunt acquirere Indulgentias pro locis, in quibus vagantur & peregrinantur. Ita Abbas, Ludovicus Bologninus, Emmanuel Sà, Layman, relati a Palao loco supracitato.

Prob. Dictæ personæ gaudent privilegiis Civitatum aliorumque Locorum, in quibus vagantur & peregrinantur. Ergo repelli non possunt ab Indulgentiis acquirendis eisdem Civitatibus & Locis concessis.

Monet tamen Navarrus, Advenas & Peregrinos ad hujus spiritualis gratiæ effectum acquirendum, ut propriorum Episcoporum licentiam obtineant = *Infertur* (inquit *in Notab.* 31. *n.* 15.) *utile esse consilium, scilicet ut is, qui vult peregrinari, & visere loca pia, muniat se facultate sui Episcopi, ad quærendas Indulgentias Episcoporum alienorum. Secundo infertur, falsum videri id, quod quidam vir certe doctus & acri judicio, in suo Tractatu de Indulgentiis vulgari sermone scripto sine ullo scrupolo affirmat: scilicet, Indulgentias concessas ab Episcopo omnibus etiam exteris, ad suam Diœcesim venientibus prodesse, etiamsi nulla in id facultate suorum Episcoporum sint muniti.*

Sed Navarro minime subscribimus; esto enim Advenæ, Vagi ac Peregrini specialem propriorum Episcoporum licentiam non obtinerent, adhuc possent aliorum Episcoporum foro se submittere, ad quod vel dicta licentia non requiritur, vel sufficit præsumta.

CA-

CAPUT VIII.

DE DISPOSITIONE AD INDULGENTIAS ACQUIRENDAS NECESSARIA.

DIscutiendum est hic 1.° An ad assequendum Indulgentiarum fructum requiratur in subjecto gratia sanctificans? 2.° An præter gratiam sanctificantem opere pretium sit, quod subjectum sit expers cujuslibet peccati venialis? 3.° An præter gratiam sanctificantem necessaria sit sollicitudo satisfaciendi?

ARTICULUS I.

An ad percipiendum Indulgentiarum fructum requiratur actu in subjecto gratia Sanctificans?

AD lucem conciliandam dubio proposito notandum est, ad examen minime revocari: An quis possit fructum Indulgentiarum obtinere extra statum gratiæ & charitatis existens, pro peccatis nondum quantum ad culpam deletis; hæc enim lex pro remittenda pœna temporali culpis debita indispensabiliter observatur, ut donec macula culpæ perseveret, nequeat pœna eidem correspondens Clavium potestate condonari. Verum quia de facto non raro contingit, ita per gratiam sanctificantem culpæ lethalis relaxationem obtineri, nondum remissa pœna temporali, ut denuo in peccatum quis lethale labatur, difficultati manet obnoxium: An homini existenti in peccato lethali Indulgentiarum virtute remitti queat pœna temporalis debita pro peccatis, alias quantum ad culpam remissis, quo sensu procedit hoc dubium.

Conclusio 1.ª Gratiæ sanctificantis status necessarius est ad percipiendum fructum Indulgentiarum. Hæc conclusio est communiter recepta apud Doctores.

Prob. 1.° Fideles, qui perseverant in statu peccati lethalis, sunt membra Ecclesiæ mortua. Hæc autem nequeunt participare influxus ad remissionem pœnæ temporalis, ex membris vivis provenientes = *Membrum* (inquit D. Thomas *in 4. dist. 20. quæst. 1. art. 5.*) *mortuum non suscipit influentiam ex aliis membris vivis: sed ille, qui est in peccato lethali, est quasi membrum mortuum. Ergo per Indulgentias non suscipit influentiam ex meritis vivorum membrorum* = Ergo qui non sunt in statu gratiæ sanctificantis, nullum possunt percipere fructum Indulgentiarum.

Perperam tamen a nonnullis Doctoribus respondetur, D. Thomam esse intelligendum de remissione pœnæ respondentis culpæ, per quam membrum Ecclesiæ mortuum constituitur. Tum quia Angelicus Præceptor repugnantiam non constituit in eo, quod nequeat remitti pœna nondum culpa deleta, sed in eo quod hujusmodi Ecclesiæ membrum non participet de influxu vivorum, ac proinde statum peccati compati non posse cum participatione Indulgentiæ. Tum quia in citato articulo ventilandum sibi proponit: Utrum Indulgentia valeat existentibus in peccato lethali. Sentit ergo ibi, peccati lethalis culpam obesse Indulgentiarum perceptioni, sive aliud peccatum quantum ad culpam sit deletum sive non.

Prob. 2.° Ut pœna temporalis Indulgentiarum virtute relaxetur, exigitur amicitia cum Deo per gratiam & charitatem; Christi enim merita, nec non superabundantes Sanctorum satisfactiones, quæ per Indulgentiarum concessiones ab Ecclesiæ Prælatis dispensantur, debent Christifidelibus juxta illorum intentionem prodesse. Hæc autem alia non fuit, quam amicis atque filiis Dei per adoptionem utilitatem afferre, non vero inimicis Dei, ac filiis Diaboli; unde sicut dici non potest, intentionem Christi fuisse, proprium meritum per Sacramenta communicari ad pœnæ temporalis relaxationem iis, qui in peccato lethali perseverant, ita nec extra Sacramentum una cum superabundantibus Sanctorum satisfactionibus illud eisdem dispensari. Ergo gratiæ status est ne-

necessarius ad acquirendas Indulgentias.

Prob. 3.° Ex usu Ecclesiæ concedendi Indulgentias, in quarum Brevibus hæc forma adhibetur *vere pœnitentibus*; idque observatur, ut notat Suarius, non tantum quia volunt Summi Pontifices solis pœnitentibus Indulgentias elargiri, verum etiam ut ostendant, hanc conditionem esse ex ratione, & natura Indulgentiæ petitam, atque potestatem Clavium esse limitatam ad remittendas pœnas temporales extra Sacramentum personis habentibus veram de perpetratis excessibus in Deum contritionem, seu existentibus in gratia & charitate; ideoque Clemens VI. in Extravaganti *Unigenitus de Pœnit. & Remissionib.* post enunciatas divitias Thesauri a Christo Ecclesiæ suæ relictas, subdit = *Quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei* = significans proinde, neminem posse eo perfrui, qui Deo per charitatis amicitiam minime communicaret. Rursus declarans conditiones ad prædicti Thesauri participationem necessarias, pergit prælaudatus Pontifex = *Propriis & rationabilibus causis . . . . . . vere pœnitentibus & confessis misericorditer applicandum* = & Martinus V. suspectum de erroribus contra Indulgentias ita voluit interrogari; ut habetur ex Constitutione incipiente *Inter cunctas = Utrum credat, quod Papa omnibus Christianis vere contritis & confessis . . . . . possit concedere Indulgentias* = Ergo prævie ad fructum Indulgentiarum acquirendum exigitur ex parte Christifidelium vera contritio, ac per consequens status gratiæ.

Objicies 1.° Deus passim suæ liberalitatis potiora beneficia peccatoribus elargitur, eorum intellectum Divinis inspirationibus illustrando, atque voluntatem gratiæ actualis auxiliis roborando, ad quæ obtinenda plurimum conducunt Ecclesiæ suffragia. Cur ergo Ecclesiæ suffragia non poterunt eisdem communicari ad remissionem pœnarum temporalium, quæ debentur culpis deletis?

Resp. non eandem esse rationem de Divinis inspirationibus, aliisque gratiæ actualis auxiliis, mediis Ecclesiæ suffragiis impetratis, atque a Deo collatis, cui proprium est misereri semper & parcere, ac de Indulgentiis; illa enim optime valent componi cum statu peccati, cum gratiam sanctificantem præcedant, ad eamque disponant: Indulgentiæ vero quantum ad proprium effectum cum eo statu sunt incompossibiles, ac tantum abest, quod possint gratiæ sanctificantis infusionem vel Dei amicitiam præcedere, quin potius debeant ad eam subsequi; unde quanquam possint Christifideles in statu peccati gratiæ actualis dona percipere, secus vero Indulgentiarum effectum.

Objicies 2.° Status peccati lethalis non impedit Ecclesiæ Prælatos, ut valide possint Indulgentias concedere. Ergo neque impedit eorum subditos a valida Indulgentiarum receptione.

Resp. peccatum lethale non tollere potestatem Clavium; quantunvis enim Christifidelis sit culpis gravibus irretitus, nequaquam privatur potestate jurisdictionis, aut potestate conficiendi Sacramenta. Cæterum cum peccatum lethale vinculum charitatis dissolvat, faciatque hominem Dei inimicum, pœnæque æternæ obnoxium, reddit proinde illum indignum remissione pœnæ temporalis, donec infusa gratia sanctificante Dei amicus evadat.

Sed hic oritur dubium, nempe: quo tempore gratia sanctificans in Christifideli ad percipiendum fructum Indulgentiarum requiratur?

Cajetanus in *Opusc. de Indulg. ad Jul. Medic. cap.9.* & in alio *Opusc. de Indulg. quæst. ult.*, gratiam sanctificantem exposcit in subjecto, quando impletur opus injunctum, cujus intuitu Indulgentia data est: adeo ut, si quis in eo instanti justificaretur, quo Indulgentia est percipienda, minime fructum Indulgentiarum participaret; quam sententiam tutiorem vocat, magisque rationi consentaneam. Eandem amplectitur Navarrus in *Comment. de Indulg. & Jubil. notab. 17. num. 7.* Natalis Alexander in *Tom.5. Theolog. dogm. lib.2. Reg. 11.*

Alii verum dicendi modum Cajetani arbitrantur, quando unum tantummodo pium opus in Indulgentiarum concessionibus injungitur, secus ubi multiplex; quia in his casibus, inquiunt, sufficit vel tempore operis principalis, vel ultimi, quo Indulgentiæ consummantur, gratiam sanctificantem in Christifideli reperiri: quamobrem concessa Indulgentia pro jejunio, eique adjecto onere visitationis Exempli cau-

causa Basilicæ S. Petri de Urbe, quanquam in peccato lethali quis jejunaret, dummodo justificatus prædictæ Ecclesiæ visitationem impleret, de Indulgentia ab eodem percipienda non ambigunt.

Conclusio 2.ª Per se loquendo, ac nisi oppositum constet de mente concedentis, non debent opera injuncta pro acquirendis Indulgentiis necessario perfici in statu gratiæ: sed satis est, quod subjectum sit justificatum ea temporis duratione, qua Indulgentia ultimo percipitur. Ita Suarius *disp.52.sect.2.num.7.* Passerinus, & alii quos refert & sequitur Palaus *puncto* 8.*n.*3.

Prob. prior pars 1.° Opus injunctum non se habet ad Indulgentias ut meritum de condigno, exigens in gratia sanctificante radicari, sed velut conditio aut dispositio, non quidem de sui natura, sed ex voluntate concedentis exacta, quæ gratiæ statum non exposcit, si enim opera supernaturalia, gratiæ sanctificantis statu nondum assecuto, possunt esse dispositiones ad gratiam sanctificantem & charitatem, poterunt pariter opera injuncta, quantumvis gratiæ sanctificantis vitalitate destituta, subjectum præparare ad pœnæ temporalis remissionem: ac per consequens non est necesse, ea perfici in statu gratiæ ad acquirendas Indulgentias.

Prob. 2.° Summi Pontifices possunt Christifidelibus Indulgentias impertiri sub conditione operum injunctorum, quin determinent, quod illa in gratiæ sanctificantis statu, vel in peccato impleantur; in hujusmodi enim concessionibus omnes conditiones ad validas Thesauri meritorum Christi & Sanctorum dispensationes concurrerent: authoritas nempe in concedente, & capacitas in recipiente, quia non eodem tempore Indulgentiæ effectus esset percipiendus, quo Christifideles in statu peccati lethalis existunt: nec abesset pietas, aut proportio ex parte causæ; nihil enim pietati ac proportioni causæ detraheretur per hoc, quod opus injunctum fieret extra statum gratiæ & charitatis. Itaque cum de facto Indulgentiarum concessiones ita sint intelligendæ, nisi in Pontificiis Diplomatibus oppositum declaretur, sequitur, non oportere opera injuncta per se loquendo perfici in statu gratiæ.

Prob. altera pars. Ut Indulgentiarum comparetur effectus, aliis præsuppositis requisitis tum ex parte concedentis, tum ex parte causæ, tum ex parte recipientis, exigitur, quod subjectum incapax non sit ob lethale peccatum, quando Indulgentia obtinenda est. Ergo sufficiens erit status gratiæ, quandiu Indulgentia consummatur.

Diximus in Conclusione *per se loquendo* seu attenta natura Indulgentiarum, quia si opus injunctum impleretur, quum Indulgentia consummatur, esset utique tunc necessaria gratia sanctificans in subjecto, quando opus peragitur; non quia opus illud per se id postularet, sed quia eadem temporis duratione fieret, ac consummaretur Indulgentia, quæ suum effectum communicare non potest subjecto, nisi supposita culpæ remissione, ac per consequens gratia sanctificante; quamobrem ubi hujusmodi opus, successive perficiendum, in peccato lethali inchoari contingeret, dummodo quando ultimo perficeretur, subjectum esset in statu gratiæ, id satis esset ad lucrandam Indulgentiam.

Non diffitemur insuper verosimillimam esse opinionem eorum (quam nos non improbamus) qui docent, requiri, ut opera injuncta in statu gratiæ perficiantur, quando opera injuncta talia sunt, ut ad finem a concedente Indulgentias intentum non conferant, nisi fiant in statu gratiæ: ut si finis esset Deum Christiano Populo propitium reddere &c. & ideo injungerentur jejunia, Ecclesiarum visitationes, preces, & similia; tunc enim cum Deus profecto non placetur operibus mortuis, necessarium esse videtur, ut opera illa fiant in statu gratiæ, alioquin nihil conferrent ad finem: & proinde non videtur, quod sit concedentis intentio, eos Indulgentias lucrari, qui in statu peccati ea opera faciunt, sicut & eos, qui per actum ex fine vel alias vitiatum adimplent; & ideo dicemus *Cap. sequent. art.*4. per opus ex circumstantia intrinsece malum non impleri obligationem de operibus injunctis. Cæterum comprobatam Conclusionem nostram tuemur, inspectis Indulgentiis secundum se, quando opera injuncta utilia sunt ad finem, pro quo Indulgentiæ Fidelibus conferuntur, etiamsi non fiant in statu gratiæ, puta, si Indulgentiarum finis sit subventio pauperum, puerorum instructio, Liminum Apostolorum honor, Hierosolymæ recuperatio.

Obji-

Objicies 1.° Deus non placatur operibus mortuis. Oportet ergo, quod opera injuncta pro Indulgentiis vivant per gratiam sanctificantem.

Resp. admittendo Deum operibus mortuis minime placari: ex hoc autem non probatur, opera injuncta pro Indulgentiis debere vivere per gratiam & charitatem; non enim per se requiruntur, ut Deus nobis reddatur propitius, sed tanquam conditiones & dispositiones volitæ a concedente, ut pœna temporalis per Clavium potestatem relaxetur.

Objicies 2.° In formis concessionum innuitur semper necessitas implendi opera injuncta in statu gratiæ & charitatis: idque eruitur ex hac forma in Literis Apostolicis reperta = *Vere pœnitentibus & confessis, qui Ecclesiam visitaverint* = ubi prævie ad opus injunctum requiritur contritio, quæ vel essentialem vel necessariam connexionem importat cum gratia sanctificante. Opera itaque injuncta in concessionibus Indulgentiarum debent fieri in statu gratiæ.

Resp. non eundem ordinem observari in factis, qui proponitur in verbis hujusmodi concessionum: adeoque quanquam status gratiæ & charitatis requiratur ad percipiendum Indulgentiarum fructum, idque illis verbis designetur *Vere pœnitentibus*, non tamen necessario poscitur, illum præhaberi ante opera injuncta. Quod confirmat Christifidelium praxis, hujusmodi concessionum legitima interpres; concessa siquidem Indulgentia Jubilæi, prius plerunque eleemosynæ ac jejunii opus impletur, deinde onus Confessionis Sacramentalis. Porro si statum gratiæ opera injuncta deberent præcedere, aut in eo fieri, prius Christifideles Confessioni vacarent, quam jejunio, ac eleemosynæ in pauperes erogandæ.

Objicies 3.° Sicut civilis Thesaurus nequit exceptis causis civilibus dispensari, ita nec spiritualis ac vitalis Ecclesiæ nisi pro causis seu operibus vitalibus, informatis nempe vitalitate gratiæ sanctificantis, est enim ex vivis Christi Sanctorumque piis operibus congregatus. Ut ergo applicetur, petit impleri opera eidem proportionata, cujusmodi non sunt facta in peccato lethali. Et profecto si vivit Christus Summus Sacerdos, Indulgentiarum Dispensator præcipuus: si vivunt Sancti, ex quorum suprabundantibus satisfactionibus cumulatur Thesaurus, vivere necesse est in opere concessioni Indulgentiarum adjecto, quærentem illarum fructu gaudere.

Nec argumentum dilues (inquit Natalis Alexander) si respondeas: doctrinam in argumento allatam locum habere, quando Prælatus Indulgentias despondere sub conditione implendi opera injuncta in statu gratiæ, quæ si eo modo non præcipiantur fieri, necessaria est duntaxat authoritas in dante, charitas in recipiente, & pietas in causa: majus enim inde robur adjicitur ad firmandam pro opere injuncto gratiæ habitualis concomitantis necessitatem; pietas enim ipsa operis, nisi sit viva, vera pietas non est. Addit, opus injunctum aliqua debere utilitate gaudere, ut habetur ex Glossa in *Extravag. Antiquor. de Pœnit. & Remissionib.* Utile autem dici nequit opus extra gratiam habitualem ac charitatem impletum.

Resp. in eo dari paritatem inter civilem Reipublicæ, ac spiritualem Ecclesiæ Thesaurum, quod sicut ille pro causa civili, ita iste pro spirituali debeat erogari, non tamen pro opere supernaturali habente vitalitatem supernaturalem a gratia sanctificante receptam; etenim sicut fieri possunt Indulgentiarum concessiones independenter ab hujusmodi operibus, ita citra eorundem vitalitatem a gratia sanctificante communicatam. Nec oppositum evincitur, ex quo eam habuerint opera satisfactoria Christi & Sanctorum in Ecclesiæ Thesauro reposita, quæ in Indulgentiarum concessionibus dispensantur: quia etiam in Sacramentis mortuorum viva Christi merita applicantur Christifidelibus, quin opus sit ex parte recipientium fructum eorundem Sacramentorum, opera vivificata per gratiam sanctificantem fieri. Cum quo optime stat discrimen a Suario observatum inter merita Christi applicata per Sacramenta, & applicata per Indulgentias: quod per ea Sacramenta datur quandoque prima gratia justificans, ac per consequens non semper status charitatis in subjecto præsupponitur, sed solum prævia dispositio supernaturalis attritionis in subjecto est sufficiens: per Indulgentias vero non applicantur merita Christi ad communi-

can-

eandam gratiam ſanctificantem, ſed ad alium effectum, neceſſario prærequirentem ad ſui receptionem eandem gratiam.

Nec poſſumus admittere, quod aſſerit Natalis Alexander: opus pietatem veram non redolere, niſi ſubjectum vivat per gratiam ſanctificantem; aliunde enim habet opus, quod ſit pium, aliunde quod ſit vivum. Ad primum ſatis eſt, ſi ſit bonum bonitate morali ex objecto & fine, & Deo quodammodo honorificum. Ad ſecundum opus eſt, ut a charitate cum gratia ſanctificante neceſſario connexa imperetur: proindeque poteſt abſolute in peccatore opus vere pietatem redolens reperiri, quanquam eo vitalitatis genere, quod ab Adverſariis contenditur, vivificatum non ſit; non enim repugnat peccatores permultos actus virtutis circa materiam non admodum difficilem elicere, quia licet virtutes ſine gratia ſanctificante perfectum ſtatum non obtineant, propriam tamen retinent ac ſervant naturam & quidditatem. Et profecto quantum ad fidem theologicam perſpicue definitur a Tridentino *ſeſſ.6. can.* 28. his verbis = *Si quis dixerit, amiſſa per peccatum gratia, ſimul & fidem ſemper amitti: aut fidem, quæ remanet, non eſſe veram fidem, licet non ſit viva: aut eum, qui fidem ſine charitate habet, non eſſe Chriſtianum, anathema ſit* = quantum vero ad morales acquiſitas, ratio efficaciſſima id ſuadet, ejuſmodi enim virtutibus homo ob lapſum in peccatum lethale non exuitur, donec multiplicatis actibus malis illæ per habitus vitioſos contrarios expellantur. Hinc etiam admiſſo, debere utilitatem in opere injuncto pro Indulgentia reperiri, ut habetur ex Gloſſa, non tamen requiritur, quod tale opus ſit meritorium vitæ æternæ, aut ſatisfactorium pro pœna temporali, quia non hoc modo pro Indulgentia requiritur: bene vero quatenus utile eſt fini intento a Summo Pontifice, ac diſponens peccatores ad pœnitentiam, perfectamque converſionem in Deum ut ultimum finem ſupernaturalem.

ARTICULUS II.

An præter gratiam ſanctificantem requiratur, quod ſubjectum ſit expers peccati venialis, ad percipiendum fructum Indulgentiarum?

CUM peccatum veniale ſit, ac dicatur illud, quod ex ſe veniæ ac remiſſionis principium, nempe gratiam ſanctificantem non excludit, poteſt in hominibus juſtis reperiri, quin eorundem juſtitiæ repugnet; ideoque docet Tridentinum *ſeſſ.6. cap.* 11. = *Licet in hac mortali vita quantumvis ſancti & juſti in levia ſaltem, & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur peccata, quandoque cadant, non propterea deſinunt eſſe juſti; nam juſtorum illa vox eſt, & humilis, & verax: dimitte nobis debita noſtra* =

De peccato ergo veniali, quod poteſt ſe habere ad opera injuncta vel antecedenter vel concomitanter, nondum deleto quantum ad culpam, antequam Indulgentia conſummetur, inquirimus: An obſtet Indulgentiarum perceptioni? De eo ſiquidem prout inficit opera injuncta, agendum erit infra *Cap. ſeq.*ti *Articulo* 4.°

Concluſio. Peccatum veniale abſolute non impedit fructum Indulgentiarum: niſi duntaxat in ordine ad debitum pœnæ reſpondens culpæ, quæ non ſupponitur deleta ante Indulgentiæ conſummationem. Ita Bellarminus in *lib.*1.° *de Indulg. cap.* 13. Sylvius *in Supplement. quæſt.* 27. *art.* 1.° *qu.*1.a

Prob. 1.a pars. Peccatum mortale poteſt deleri quantum ad culpam & pœnam ſine veniali: & de facto quandoque ita remittitur. Ergo peccatum veniale abſolute non obſtat Indulgentiarum perceptioni.

Prob. altera pars. Impoſſibile eſt remitti debitum pœnæ temporalis nondum deleta culpa, ex qua ortum habuit dictum debitum. Ergo per Indulgentias non remittitur reatus pœnæ temporalis peccati venialis, qui deletus non ſupponitur quantum ad culpam.

Dices. Ex hac ratione sequitur, neminem ex adultis acquirere posse integrum Indulgentiæ Plenariæ fructum: etenim exigeretur efficax propositum vitandi inposterum seu per totam vitam cuncta peccata venialia, quia eo efficaci proposito non præmisso, nemo sibi posset de totali earundem culparum remissione polliceri. Hujusmodi autem propositum concipere, est impossibile, sicuti impossibile est omnia peccata venialia vitare, docente Tridentino *sess. 6. can. 23.* = *Si quis, hominem semel justificatum, dixerit, posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet mater Ecclesia, anathema sit* =

Resp.ri potest 1.° ex quorundam Authorum doctrina, quod quanquam moraliter omnia peccata venialia collective nequeant vitari per longum tempus, tamen physice impossibile non est, cum non deficiant arbitrio vires ad id præstandum; quæ profecto possibilitas physica, sicut sufficiens est, ut adultus cuncta venialia vitare teneatur, ita ut efficax concipiat propositum non peccandi venialiter de cætero: ac proinde ut indispositus non sit ad acquirendam integre Indulgentiam Plenariam, licet in aliquo eorum certo deficiet.

Sed hæc responsio sustineri non potest; impossibilitas siquidem moralis, potestati physice contraposita ad aliquid agendum, aliud non est, quam maxima difficultas ad illud exequendum. Dici autem non potest, adultum maximam difficultatem duntaxat habere ad vitanda cuncta peccata venialia, quia Concilium Tridentinum anathemate perculsit asserentem: posse hominem justum citra speciale Dei privilegium ab omnibus culpis venialibus abstinere per totam vitam. Addimus, quod ubi dantur vires sufficientes ad aliquid faciendum ex parte principii, spectat ad Divinam Providentiam, extrinseca impedimenta removere, ut principium in actum suis viribus proportionatum erumpat, si non in omnibus personis, saltem in aliquibus. Nullus autem ex hominibus etiam eximia sanctitate præditis, qui hactenus extiterunt, fuit expers, vel per longum tempus, vel per totam vitam a peccati venialis contagio, præter Beatissimam Virginem Mariam, ex speciali privilegio. Non ergo ex gratiæ viribus communiter collatis potest dari sufficiens principium ad vitanda cuncta peccata venialia per longum tempus. Tandem gratia adultis communiter collata nec ligat, nec extinguit concupiscentiæ fomitem, qui non ligatus nec extinctus seminarium est innumerabilium fere motuum insurgentium, & allicientium ad malum, ad quos vincendos, citra quamlibet minimam culpam, continua exigitur vigilantia atque advertentia ad omnes circumstantias: & gratia impotens fomitem ligare & extinguere, non tribuit sufficientem virtutem ad continuo vigilandum, atque ad advertendum ad omnes circumstantias. Itaque adultus nedum moraliter, sed etiam physice impotens est, ad vitanda cuncta peccata venialia ex viribus gratiæ communis. Ea ergo insufficienti solutione rejecta

Resp. 2.° ex nostra ratione perperam inferri impossibile esse, adultum posse percipere integrum Indulgentiæ Plenariæ fructum, ob defectum propositi vitandi omnia peccata venialia; ad hunc enim actum eliciendum, sufficit, quod possit omnia & singula ea peccata, prout occurrunt, vitare, ad quod sufficiunt vires gratiæ communiter adultis collatæ. Idque ut magis declaretur, observa, posse adultum verum & efficax propositum elicere circa ea, quæ potest facere vel viribus propriis, vel viribus gratiæ communiter datis. Porro citra controversiam est, adultos vel viribus propriis, vel viribus gratiæ ea posse peragere, quæ non faciendo peccant, ubi enim ad aliquid deest potestas, omissio libera non est, sed necessaria, proindeque non peccaminosa; quamobrem peccatum ipsum & obligatio illud evitandi apertissime nos edocent, adultos potestatem habere ad ipsum vitandum, possequе ac debere id ipsum proponere. Peccant autem, non quod omnia collective peccata non vitent per longum tempus, aut per totam vitam, cum nullum extet præceptum particulare omnia collective vitandi, sed quia a singulis, prout occurrunt & cadunt sub lege, nequaquam se abstinent; hæc siquidem non in communi culpas veniales prohibet, sed in particulari, juxta peculiarem uniuscujusque rei materiam. Ex quo sequitur, quod licet nequeant cuncta venialia per totam vitam, aut per longum tempus vitari, ut Tri-

Tridentini authoritas allata, ac rationes expositæ satis evincunt, unumquodque tamen illorum, prout de facto occurrit, possimus non committere. Non negamus Fideles in ejusmodi legum observatione infallibiliter defecturos, nulla tamen est designabilis, ad cujus observationem, prout obligat in casibus particularibus occurrentibus, arbitrii vires non sufficiant. Ex quo pariter fit, quod cum voluntatis propositum liberi arbitrii viribus omnino commensuretur, verum possimus concipere propositum non peccandi de cætero, seu vitandi citra ullam exceptionem quodcunque peccatum veniale divisive, prout in particulari occurrit, & lege prohibetur: propositum vero ad eorundem collectionem terminatum, sive ad omnia collective, in nullo adhuc vage deficiendi, stultum foret elicere, quia circa illa sic sumta nulla lex constituitur, nec eadem sic sumta quandoque occurrunt, adeoque foret de re non supponente. In hoc itaque sensu recipimus, quod quis juxta communem & præsentem providentiam valeat vere firmiterque proponere, se cuncta peccata venialia absolute & sine termino vitaturum, cuncta inquam divisim prout occurrunt, & lege prohibentur, non tamen copulative & simul, quo pacto neque occurrunt, neque a lege respiciuntur: eoque elicito cum perfecta eorundem venialium contritione, si quis ad Ecclesiam devote visitandam accedat animo Indulgentiam Plenariam percipiendi, asserere non ambigimus, eum certo hujusmodi concessionis fructu integre gaudere. Sed ut hoc propositum ad integrum Indulgentiæ Plenariæ beneficium acquirendam necessarium, magis magisque declaretur

Instabis. Eadem ratio est de voto, ac de efficaci proposito vitandi cuncta venialia per totam vitam, aut per longum tempus. Porro hujusmodi votum nedum in ordine ad peccata venialia collective, verum etiam divisive & prout occurrunt, esset invalidum ac nullum. Idem ergo dicendum est de proposito earundem culparum.

Resp. assignando disparitatem inter votum & propositum, sitam in eo, quod votum, ut prudenter emittatur, & per consequens obligationem inducat, debet ita suum objectum respicere, ut non sit admodum difficile, nec certum afferat periculum in eo deficiendi. Quanquam vero possibile sit omnia venialia vitare divisive sumta, prout occurrunt, nihilominus id valde arduum est, & alias est infallibile, liberum hominis arbitrium in aliquo defecturum; quamobrem imprudenter & nulliter ageret is, qui ejusmodi voto se Deo manciparet. Cæterum cum propositum minori determinatione quam votum suum respiciat objectum, prout scilicet est absolute possibile, atque aliam supra materiam præceptam obligationem non inducat, imprudens actus non esset, sed prudens & obligatorius, si quis firmiter proponeret omnia peccata, prout occurrunt, vitare: quanquam difficillimum id sit, aut infallibile, quod non erit. Unde quidam Doctores asserunt, ad legitime vovendum, spem rei futuræ, quam Deo promittimus, desiderari: ad verum autem firmumque propositum hujusmodi spem non exigi, sed possibilitatem absolutam rei futuræ sufficere; ut D. Petri exemplo declaratur, qui a Christo de sua negatione monitus poterat, debebatque, nolle tale peccatum perpetrare, seque illud non commissurum efficaciter proponere; quantunvis certo crederet, ut debuit, aliter omnino futurum esse. Addunt Theologi, communiter hanc doctrinam ad peccata etiam lethalia extendentes, non officere veritati & firmati propositi in lethalium Sacramentali Confessione emittendi ad Sacramenti Pœnitentiæ fructum percipiendum, pœnitentem credere atque vehementer timere, se de cætero peccaturum, atque in eo minime permansurum, adhuc enim posset de præsenti oppositum efficaciter proponere: & quando ita se gerit, nequit tanquam indispositus a Sacramentali absolutione repelli.

ARTICULUS III.

An ad Indulgentias acquirendas præter gratiam & charitatem requiratur sollicitudo satisfaciendi?

CUm constet ex dictis *Cap. antecceden. Artic.* 3. proprium Indulgentiatum effectum non esse Pœnitentias Sacramentales prout medicinales & purgativas, sed solum prout solutivas pœnæ temporalis, in foro Dei taxatas pro criminum qualitate, relaxare, dubium non est, quod satisfaciendi studium per opera pœnalia sive in Confessione Sacramentali injuncta ex Sacerdotis præcepto, sive sponte assumta, ad peccatorum reliquias penitus delendas, spiritualesque animæ languores sanandos, adhuc obtenta justificatione superstites, necessario requiratur; adeoque in præsentiarum examini committitur dictum satisfaciendi studium, prout satisfacere idem est, ac solvere pœnam temporalem: An scilicet hujus animi & studii, hujusque satisfactionis tanta sit necessitas, ut illo neglecto, vel ea satisfactione nec animo nec opere exercita, Indulgentiarum fructus obtineatur? Diximus an tanta sit necessitas studii satisfaciendi &c. hoc enim magnopere suademus, nec abjiciendum arbitramur etiam ab iis, qui Indulgentias lucrari conantur, cum nemo sibi possit certo de earum assecutione polliceri.

Proponitur sententia Cajetani & Recentiorum.

Duos Christifidelium ordines in gratia & charitate existentium distinguit Cajetanus in *Tract.* 10. *de Suscipientib. Indulg. quæst.* 1., primum eorum, qui propter vitæ superioris errata duris student pœnitentiæ laboribus, vel a Confessariis injunctis, vel propriæ voluntatis arbitrio susceptis, puta jejuniis, aliisque corporis macerationibus, ut quod debent Divinæ Justitiæ propriis operibus persolvant: alterum vero illorum, qui satisfaciendi studio parum addicti leves sibi exoptant a Confessariis Pœnitentias injungi, nullo adhibito conatu, ut congruam saltem Deo satisfactionem exhibeant, nihil aliud volentes, quam proprias conscientias expiare a culpis, atque ab æternæ damnationis sententia, gratiæ sanctificantis statu assecuto, declinare.

Hac præmissa distinctione, docet Cajetanus, tantam satisfaciendi sollicitudinem, quantam quis potest adhibere, necessario ad acquirendas Indulgentias postulari; adeout ea deficiente, etiam ii, qui gratiæ statum assecuti sunt, non possint illarum fructum comparare: additque, dictam sollicitudinem aliquando per æquivalens compensari, sed raro, sicut forte contingeret, ubi causa despondendi Indulgentias adeo excellens opus exigeret, ut animi præparationem, atque satisfaciendi studium excederet = *Nec intelligo*, inquit, *hanc præparationem ad satisfaciendum ita strictè, quin per aliquod æquivalens aut majus suppleri possit: ut patet ex hoc, quod contingit, quandoque causam, pro qua datur Indulgentia, tale ac tantum exigere opus, ut excedat præparationem ad satisfaciendum, puta, si detur Plenaria pro actu, quo se exponit morti pro Christo, aut perpetuæ mancipationi alicujus pii servitii, aut aliquo hujusmodi: & tunc causa Indulgentiæ ex parte concedentis tenet locum causæ rationabilis tantæ Indulgentiæ: & ex parte suscipientis supplet locum dispositionis reddentis dignum amicabili satisfactione. Secus autem est, si daretur Plenaria pro visitante aliquam Ecclesiam; nam dato, quod causa esset rationabilis ex parte concedentis, visitatio tamen ipsa non supplet vicem præparationis ad satisfaciendum, quum nec illi æquivaleat, nec excedat* = Ad declarandum vero, quod suus dicendi modus veritati consonet, atque difficultatibus evellendis contra Indulgentiarum valorem excitatis viam aperiat, subdit = *Scito, quod juxta hunc dicendi modum, solvuntur omnes quæstiones, tam de nimis largo Dei foro, quam de omittendis suffragiis pro plenarie absolutis in morte, quam de admiratione sapientum, & de oblocutionibus detrahentium, & excitantur Christifideles ad pœnitentiæ opera. Nec aliquid adimitur efficaciæ Indulgentiarum, sicut nihil adimitur efficaciæ Sacramentorum, ex hoc quod oportet accedentes ad illa, esse digne dispositos, si fructuosa sibi*

bi esse volunt : soli siquidem indigni Indulgentiæ, ab illius fructu juxta hunc dicendi modum excluduntur = Cæterum de hac Cajetani sententia veterum Doctorum patrocinio destituta ita loquitur Bellarminus in *Lib.* 1. *de Indulg. cap.* 13. = *Nullum legi Authorem, qui Cajetanum sequatur, præter Bartholomeum Fumum in summa, quæ Armilla dicitur Verbo Indulg. num.* 13., & Eminentissimus Lambertinus *Tom.* 3. *notificat. in Notif.* 12. = *Ab aliis Auctoribus hæc sententia non est communiter recepta, neque nos illam amplectimur, cum nobis opiniones singulares non arrideant; & cum nullum sit Breve Pontificium concessionis Indulgentiarum, a quo prædicta conditio*, nempe propositi satisfaciendi Deo propriis operibus pœnalibus, *requiratur* =

Eandem sententiam adeo rigide expositam defendi non posse, meritoque ab omnibus impugnari, testatur alii Doctores, inter quos Eusebius Amort in suo opere novissime typis edito *de Orig. Prog. val. & fruc. Indulgentiar.* 1. 2. *sect.* 4. liquido enim ex Cajetani verbis deprehenditur, ejus sensum esse, satisfaciendi sollicitudine destitutum nec integrum Indulgentiæ fructum neque ejus partem posse lucrari; hunc tamen rigorem temperant asserentes, neminem utique ex Fidelibus Indulgentiæ Plenariæ fructum percipere, qui non studeat Deo congrue satisfacere, sed semper aliquid remissionis pœnæ temporalis obtinere propter operum injunctorum sollicitudinem, juxta Bullarum tenorem adhibendam: ideoque arbitrantur, Plenariam Indulgentiam earum pœnarum excessum duntaxat relaxare, qui attenta hominum imbecillitate exolvi impossibilis, vel admodum difficilis sit. Ex quo sequitur, Plenariæ Indulgentiæ operam dantem, teneri per se ipsum reliquæ parti pœnarum per bona opera satisfacere, si velit totaliter a pœnæ temporalis debito liberari = *De Indulgentiis* (inquit Eusebius laudatus) *quæ dantur pro vivis sic sentio: eas videlicet pie suscipientibus valde utiles esse, & summopere commendamus. Ratio est, quia sicut culpa peccati per absolutionem Sacramentalem remittitur, sic pœna peccato debita per Indulgentias relaxatur; sicut tamen ad validam absolutionem requiritur in pœnitente debita per veram contritionem dispositio, sic ad obtinendum plenarium Indulgentiarum fructum, per modum prævie dispositionis in suscipiente, requiritur firmum propositum ac serius conatus satisfaciendi pro suis peccatis etiam in hac vita de congruo. Dico de congruo: si enim requireretur satisfactio condigna, frustraneæ forent Indulgentiæ; dum vero requiro satisfactionem de congruo, eam videlicet, quæ spectata cujuslibet conditione ac debilitate, non est moraliter impossibilis, aut nimis ardua, relinquo Indulgentiis eximiam suam vim, ut nempe humanam infirmitatem suppleant, & satisfactionem congruam ex Thesauro Ecclesiæ æquent cum peccatorum meritis, alioquin non abolendis, nisi juxta satisfactionum nostrarum, aut satispassionum condignitatem. Cæterum si quis hoc satisfaciendi de congruo studium neglexerit, ne illi quidem Indulgentias prorsus sine fructu abire assero, quia opera pro lucrandis Indulgentiis præscripta, etiamsi levissima sint, aliquantulam tamen satisfactionum nostrarum de congruo portiunculam continent, digna proinde, quibus ex Thesauro Ecclesiæ juxta ratam totius congruitatis major, quam ex seipsis haberent, valor accedat. Ex hoc ipso autem ingenti Indulgentiarum multitudini, quæ his ultimis temporibus excrevit, adhuc servatur authoritas, quia vilescere non potest, quod nunquam sine copioso fructu est: simul autem excitatur vigor Disciplinæ Ecclesiasticæ, & bonorum operum studium, dum non usque ad socordiam nostram, ac vitæ blandioris mollitiem contemperantur.*

Statuitur præter gratiam & charitatem ad acquirendas Indulgentias non requiri necessario satisfaciendi studium neque congruam satisfactionem.

Conclusio. Ad acquirendas Indulgentias non exigitur necessario satisfaciendi studium aut congrua satisfactio, ut volunt Cajetanus, aliique recentiores. Ita post D. Thomam in 4. *dist* 20. *quæst.* 1. *artic.* 3. *quæstiunc.* 2.ª sentiunt Suarius *disp.* 52. *sect.* 9. *num.* 2. Corduba *lib.* 5. *quæst.* 30. *de Indulg.* Bellarminus *lib.* 1. *de Indulg. cap.* 3. aliique apud Passerinum *qu.* 77. *num.* 550.

Prob.

Prob. 1.° Ex Constitutione *Unigenitus de Pœnit. & Remiss.* Clementis VI., ubi definitur, potestatem dispensandi Ecclesiæ Thesaurum, Petro ejusque Successoribus Romanis Pontificibus divinitus convenire, etiam ad integram & adæquatam pœnæ temporalis remissionem, his verbis = *quem quidem Thesaurum non in sudario repositum, non in agro absconditum, sed per Beatum Petrum Cœli Clavigerum ejusque Successores suos in terris Vicarios commisit Fidelibus salubriter dispensandum . . . . . . nunc pro totali, nunc pro partiali remissione pœnæ temporalis pro peccatis debitæ* = Porro totalis pœnæ temporalis remissio virtute Clavium per dispensationem Thesauri meritorum Christi & Sanctorum obtinenda, congruam non requirit satisfactionem aut studium satisfaciendi: alias verum non esset, Petro ejusque Successoribus Romanis Pontificibus fuisse commissam potestatem dispensandi Ecclesiæ Thesaurum, pro totali remissione pœnæ temporalis peccatis debitæ, ut in prælaudata Constitutione Clemens Pontifex nititur definire ac declarare. Plenaria siquidem Indulgentia, quæ cum totali coincidit, eam pœnam non remitteret, quæ per satisfactionem moraliter possibilem juxta Adversarios luenda omnino esset. Ad acquirendas Igitur Indulgentias præter gratiam & charitatem non exigitur necessario satisfaciendi studium, aut congrua satisfactio.

Confirmatur, magisque declaratur ratio nostræ Conclusionis. In ea Clementis VI. Constitutione fit mentio causæ essentialiter requisitæ ad Indulgentias = *Propriis & rationabilibus causis*; sicut in alia Martini V. incipiente *in Eminenti*, & in Literis Decretalibus Leonis X. ad Cardinalem Cajetanum, quarum initium est, *Per præsentes*, ubi pariter, plenissima supponitur in Summo Pontifice potestas in ordine ad remittendam Indulgentiarum beneficio quancunque pœnam temporalem. Rursus, quia datur necessitas status gratiæ, ut Christifideles percipiant Indulgentiarum fructum, hoc innuitur vel iis verbis *Vere pœnitentibus*, ut in Constitutionibus Clementis VI. & Martini V., vel similibus puta *Qui charitate jungente membra sunt Christi*, ut in prælaudatis Literis Decretalibus Leonis X. Nullibi autem sermo est de studio satisfaciendi, aut congrua satisfactione. Ergo id non exigitur necessario ad acquirendas Indulgentias; & ideo D.Thomas in 4. *dist* 20. *quæst.* 1. *artic.* 3. *quæstiunc.* 1.ª de Indulgentiarum valore disserens, docet, eas suum assequi effectum citra quamlibet satisfactionem a Christifidelibus exhibendam; allatis enim Argumentis in contrarium, inquit = *Sed contra* 2.*Corinth.*2.*Nam & ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi, Glossa idest ac si Christus donasset. Sed Christus poterat relaxare absque omni satisfactione pœnam peccati: ut patet Joann.* 8. *de muliere adultera. Ergo Papa potest, qui non est minoris potestatis quam Paulus fuit* = Non ergo exigitur necessario ad acquirendas Indulgentias satisfaciendi studium aut congrua satisfactio, ut volunt Cajetanus & Recentiores.

Respondent Adversarii, admittendo Summi Pontificis potestatem illa amplitudine gaudere, ut dictum est; non tamen ejus voluntatem esse, totalem remissionem pœnæ temporalis concedere, citra congruam satisfactionem aut satisfaciendi studium.

Cæterum hac responsione non evincitur Adversariorum intentum: quia si Summus Pontifex vel satisfaciendi studium, vel congruam satisfactionem pro comparandis Indulgentiis exposceret, id profecto ex earum concessionibus erueretur, sicut colligitur, quædam pia opera pœnitentibus injungere, ad earundem effectum obtinendum, quarum defectu ex Thesauri Ecclesiæ dispensatione fructus minime comparatur. Tantum vero abest, quod alterutram ex illis conditionibus requirat, quin potius deprehenditur oppositum; 1.° quia spondet omnibus, *se plenam omnium peccatorum remissionem elargiri*: quod idem est, ac quancunque satisfactionem, pro debito pœnæ temporalis a pœnitentibus Deo exhibendam Christi Sanctorumque superabundantibus meritis compensare. 2.° Bonifacius VIII. a nonnullis personis interrogatus, ut suam mentem aperiret super Indulgentia Plenaria concessa visitantibus Basilicas Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli de Urbe anno MCCC. ac quolibet anno Sæculari recurrente, declaravit: secundum totam Pontificiæ potesta-

tis

tis plenitudinem, se pœnarum temporalium relaxationem elargiri = *Plenissimam* (inquit) *quantum Claves Ecclesiæ se extendere possunt* = quam formulam deinde alii Summi Pontifices Bonifacii Successores adhibuisse compertum est. Cum ergo Claves Ecclesiæ possint quancunque satisfactionem remittere, id ipsum Plenarias Indulgentias ex eorum voluntate de facto præstare, dicendum est. 3.° Ex Concilio Lateranensi IV. Capite *Cum ex eo* habetur = *Per indiscretas & superfluas Indulgentias, quas quidam Prælati facere non verentur . . . . . pœnitentialis satisfactio eneruatur* = Porro, si Ecclesiæ Summorumque Pontificum sensus foret, per Indulgentias condonari duntaxat pœnas, pro quibus solvendis satisfactio aut nimis ardua, aut ea, quæ esset moraliter impossibilis, verum non esset, per eas indiscrete concessas, pœnitentialem satisfactionem eneruari; illa siquidem ætate non nisi tenuis, attentaque humanæ conditionis fragilitate, faciliter implenda injungebatur. Rursus, expenso more concedendi Indulgentias, qui supra Sæculum septimum invaluit, reperimus, adeo contrarium menti Ecclesiæ & Summorum Pontificum fuisse pro dispositione ad Indulgentias acquirendas indispensabiliter requisita, congruam satisfactionem exposci, ut cum exactissima in vindicandis Reorum excessibus antea floruerit disciplina, ac Christifideles humiliter ac promte luctuosis pœnitentiæ canonicæ laboribus se subjecerint, parcissimus tunc fuerit Indulgentiarum usus; deinde eorum fervore deficiente, liberalius se gesserit pia Mater Ecclesia, quemadmodum apparet ex pœnitentiarum redemtionibus Sæculo octavo & sequentibus fieri consuetis: ac tandem cum post Sæculum duodecimum, fere nullum vigeret satisfaciendi studium juxta veterum Canonum instituta: adeout Sacerdotes in Sacramentali Confessione pœnitentium duritiam ad illius disciplinæ onera subeunda emollire, aut flectere non valerent, tunc tandem cœperit Thesaurus meritorum Christi & Sanctorum per Indulgentiæ Plenariæ concessiones cumulatius dispensari. Hinc remissum, ac penitus extinctum satisfaciendi studium occasionem præbuit Ecclesiæ, uberiores atque frequentiores Indulgentias concedendi, ut congruis satisfactionibus alias exhibendis, Christi Sanctorumque satisfactionibus ex Ecclesiæ Thesauro applicatis suppleretur; quæ consuetudo nequaquam fuisset inducta, si Indulgentiarum virtus, juxta Summorum Pontificum mentem, a satisfaciendi studio, vel a congrua satisfactione dependeret. Non ergo mens Summorum Pontificum est, ita Indulgentias pœnitentibus concedere, ut necessario velint pro earum assecutione eos satisfactoriis operibus vacare.

Prob. 2.° Si aut sollicitudo satisfaciendi, aut congrua satisfactio exigeretur ad acquirendas Indulgentias, essent profecto ipsarum Indulgentiarum concessiones piæ fraudes Fidelium: etenim partialis viginti annorum Indulgentia pœnitentiæ a Canonibus eo temporis spatio definitæ condonationem, Plenaria totalem pœnæ temporalis relaxationem promitteret: cum revera ubi non daretur satisfaciendi sollicitudo, vel congrua satisfactio, aut non valeret omnino, aut remissionem decem annorum duntaxat, vel illam, quæ impossibilis esset aut nimis ardua, relaxaret. Omnem autem fraudem ab Ecclesiæ prædicatione operepretium est ablegare; ait enim Angelicus Præceptor loco citato = *Quidam dicunt, quod hujusmodi Indulgentiæ non tantum valent quantum prædicantur . . . . . . sed hoc videtur valde periculosum dicere. Sicut enim dicit Augustinus in Epistola ad Hieronym., si in Sacra Scriptura deprehenditur aliquid falsitatis, jam robur authoritatis Sacræ Scripturæ perit: & similiter si in prædicatione Ecclesiæ aliqua falsitas deprehenderetur, non essent documenta Ecclesiæ alicujus authoritatis ad roborandam fidem* = Sollicitudo ergo vel congrua satisfactio non requiritur, ut percipiatur fructus Indulgentiæ.

Solvuntur Argumenta Cajetani.

Objicies 1.° Nullus indignus aliena satisfactione, valet consequi Indulgentiam pro remissione pœnæ temporalis sibi debitæ; Indulgentia enim ex alienis satisfactionibus confert dictæ remissionis effectum. Quilibet autem gratia & charitate præditus satisfacere negligens pro reatu pœnæ temporalis, indignus est alienis satisfactionibus, per potestatem Clavium applicandis; ami-

amicitiæ ſiquidem ratio poſtulat (ita arguit Cajetanus) amicorum eſſe idem velle ac nolle, ac proinde, ſi ego pro me, quum ſane poſſim, ſatisfacere detrectarem, æquum eſt, amicum pariter onus a me ſubeundum non implere; non enim juſte & amicabiliter peterem, ut ſi ab onere exhibendæ ſatisfactionis declinarem, alius ex charitate id ſubiret, quia merito poſſem inter eos recenſeri, de quibus Matthæi 23. v. 4. dicitur = *Alligant onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem ſuo nolunt ea movere* = Ergo pro acquirendis Indulgentiis exigitur ſollicitudo ſatisfaciendi.

Reſp. negligentem ſatisfacere non eſſe abſolute indignum alieno adjutorio, quo a pœna temporali luenda ſublevetur; ſufficienti quippe gaudet condignitate, ſi ſit in ſtatu gratiæ. Hinc verum non eſt, quod amicus renuens onus propriæ ſatisfactionis perferre, non poſſit alieni adjutorii beneficium experiri: imo eſt maxime amicitiæ ſupernaturali charitatis conſentaneum, quod amicus in implenda ſatisfactione deficiens, ab alio ſublevetur = *Alter alterius* (inquit Apoſtolus *ad Galat. 6.*) *Onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti* = Lex autem Chriſti, de qua loquitur Apoſtolus, eſt lex charitatis. Quam ſolutionem his verbis tradit Dominicus Soto *diſt. 21. quæſt. 2. art. 3.* = *Propterea quod amicus meus ſit negligens in ſuis negotiis, non eſt indignus, cui ego ſuccurram: imo inter amicitiæ jura, & hoc venit, ut amicus amici defectus ſuppleat etiam ſpirituales, atque adeo ſola gratia, quæ facit amicos Dei; facit eos dignos, quibus Eccleſia ſubſidia Chriſti impertiatur. Præſertim quod, dum ſuſcipiens Indulgentiam facis aut ſolvit, quod in Indulgentia præcepit Pontifex, jam adhibet diligentiam ad ſuorum remiſſionem debitorum* = Ex quo colliges, quam immerito Euſebius Amort *ſect. citata* §. 87. inter ſuæ ſententiæ patronos Dominicum Soto recenſeat, dicens = *Revera hanc ſententiam* (nempe de congrua ſatisfactione ut proſint Indulgentiæ) *mitigatam, non impugnari ab aliis Theologis, oſtenditur ex eo, quod Dominicus Soto, ſententiam mitigatam ipſemet defendit, ut patebit ex ejus textu infra referendo* = apertiſſime enim conſtat, Sotum loco a nobis citato id docere, quod nedum Cajetani, verum etiam Recentiorum ſententiæ adverſatur. Quid enim eſt aſſerere, amicitiæ jura poſtulare, ut amicus alterius amici defectum ſuppleat in onere ferendæ ſatisfactionis: ac ſolum gratiam ſanctificantem Dei amicos facientem, reddere dignos Chriſtifideles ad percipienda Eccleſiæ ſubſidia, niſi tam ſatisfaciendi ſtudium quam congruam ſatiſfactionem, pro Indulgentiis acquirendis non exigi? Non enim verum eſſet, ſolam gratiam facientem Dei amicos reddere eos dignos ad perceptionem ſubſidiorum Eccleſiæ, ſi proprii laboris in ſatisfaciendo admitteretur neceſſitas.

Objicies 2.° Totalem pœnæ relaxationem non perciperet Fidelis, qui nullum habens impedimentum contritus de culpis Sacramentalem abſolutionem obtineret. Nec ergo id percipi poterit per virtutem Indulgentiæ Plenariæ, licet quis quocunque obice carens actum veræ perfectæque contritionis eliceret. Tum quia Pœnitentiæ Sacramentum eſt efficacius atque excellentius Indulgentia. Tum quia Deus præcipuus Theſauri Eccleſiaſtici diſtributor, liberalior eſt quocunque Summo Pontifice Indulgentias concedente. Itaque, ſi independenter a congrua ſatisfactione, licet Deus liberaliter ſe gerat in Sacramento Pœnitentiæ, adhuc non acquiritur tota pœnæ temporalis relaxatio; nec pariter extra Sacramentum mediis Indulgentiis idem ſpirituale beneficium comparatur.

Reſp. diſparitatem in eo ſitam eſſe, quod Pœnitentiæ Sacramentum per ſe & ex ſua inſtitutione non ordinatur ad pœnarum temporalium, ſed ad culparum remiſſionem (quanquam ejus virtute ex conſequenti, aliqua hujuſmodi pœna relaxetur; ut diximus ſupra *cap. 6 art. 1.°*) cæterum Indulgentia per ſe & primario ordinatur ad illum effectum conferendum, ſuppoſitis tum proportione ex parte cauſæ, tum voluntate ex parte Prælati concedentis; ideoque nullo exiſtente impedimento reatus culpæ ex parte ſubjecti, integrum atque totalem ſuum effectum communicat. Cum quo optime ſtat, Pœnitentiæ Sacramentum Indulgentiarum virtutem excedere,

re, majoremque Deum in illo quam in his liberalitatem exercere, quia remissio culpæ obtenta per gratiam sanctificantem, nobilius atque excellentius beneficium est, quam sit quælibet uberrima temporalium pœnarum remissio facta per Indulgentias.

Objicies 3.º In forma concessionis Indulgentiarum dicitur = *Plenam* vel *septem annorum remissionem concedimus vere Pœnitentibus* = adeoque illis, quibus virtus pœnitentiæ inest, & affectus satisfaciendi Deo pro culpis. Tales autem dici nequeunt ii, qui nolunt propriis operibus pœnalibus Deo satisfacere: alias Indulgentiarum concessio foret non liberalis, sed potius prodiga Thesauri Ecclesiæ dispensatio. Pœnitentes itaque, pœnæ temporalis remissione per Indulgentias donandi, juxta Summorum Pontificum mentem dicendi sunt, qui Deo per opera pœnalia student satisfacere.

Resp. ea verba non significare affectum satisfaciendi Deo per opera pœnalia, cum exclusione satisfactionis alienæ applicandæ ex Ecclesiæ Thesauro, sed potissimum odium, ex amore Dei summe dilecti conceptum, contra anteacta vitæ excessus, quo quis serio próponit, se ad eos de cætero minime rediturum = *Dicitur quis vere pœnitens* (inquit Navarrus Cajetani sententiæ patronus in *notab.* 17. *nu.* 9.) *cum omnia & singula peccata lethalia ita ob Dei amorem principaliter displicuerint, quod ob nullum bonum quærendum, malumque vitandum, ea denuo admittere proponat* = Hujusmodi autem odium coincidit cum vera cordis contritione, quæ cum involvat propositum compensandi injurias Deo irrogatas vel propriis operibus pœnalibus vel alienis satisfactionibus, sufficiens est ex propria virtute, ut ea mediante habeatur dispositio ad effectum Indulgentiæ comparandum; quamobrem in antiquis concessionibus habebatur mentio de Contritis = *Plenam suorum peccatorum* (inquit Innocentius III. in Decreto Concilii Lateranensis edito pro adjuvantibus Hierosolymitanam Expeditionem) *de quibus fuerint corde contriti & confessi, veniam indulgemus* = Et Martinus V. Constitutione supralaudata de Hussitica hæresi suspectum jussit interrogari = *Utrum credat, quod Papa omnibus Christianis vere contritis & confessis ...... possit concedere Indulgentias in remissionem peccatorum* = Ubi non debet sine observatione præteriri, Martinum V. non præcepisse interrogari de ea hæresi suspectum, num crederet, quod Summus Pontifex omnibus Christianis vere satisfacientibus propriis operibus pœnalibus, vel dictæ satisfactionis propositum habentibus, possit Indulgentias despondere? sed *vere contritis & confessis*. Quod profecto demonstrat, ex parte subjecti posci necessario contritionem, seu statum gratiæ & charitatis ad percipiendum Indulgentiarum fructum, non vero studium satisfaciendi a Cajetano expositum necessario desiderari; idque notavit D. Thomas in *quodlib.* 2.º *quæst.* 8. *art.* 16. = *Charitas recipientis*, inquit, *designatur in hoc quod dicitur, omnibus vere pœnitentibus & confessis, non dicit & satisfacientibus: quia Indulgentia non excusat a contritione & confessione, sed cedit in locum satisfactionis* = Hinc falsum est, pœnitentes vere & proprie dici non posse eos, qui non curant propriis operibus pœnalibus Deo satisfacere pro pœna temporali, dummodo velint, eo modo quo possunt, Deo solvere quod debent. Cum enim non unus a Christo modus satisfaciendi fuerit institutus, impœnitentes dicendi non sunt ii, qui aliquem ex illis eligerent, sed potius prudentes, si Indulgentiarum subsidio suæ debilitati subvenirent. Nec Indulgentiarum concessio inde censenda foret prodiga Thesauri Ecclesiæ dispensatio, quia, ut inquit Passerinus, *qu. cit. n.* 553. = *si Christus non fuit prodigus, fundendo suum sanguinem etiam pro indignis, multo minus est prodigus Summus Pontifex, si alias justis concedit facilem modum satisfaciendi, ex hoc simul alliciens eos ad veram pœnitentiam, a qua ex fragilitate abstinerent forsan, si per propria opera necessitarentur satisfacere pro gravibus peccatis*.

Ex tradita vero responsione non recte colligeretur, quamlibet contritionem, etiam minimam, vel statum gratiæ sufficere ad totalis, seu Plenariæ Indulgentiæ fructum obtinendum; siquidem supposita contritione duntaxat de lethalibus, retentoque affectu ad peccatum veniale, deficeret ad illum percipiendum necessaria dispositio, non ob negligentiam satisfaciendi

Deo per opera pœnalia, sed quia impossile est, pęnam relaxari nondum deleto culpæ reatu: ideoque ad Plenariam Indulgentiam integre comparandam, contritionem emitti necesse est de culpis quantunvis minimis, seu odium efficax de illis concipi, quatenus sunt offensæ Dei summe dilecti, cum proposito, quod pari polleat extensione & efficacitate in ordine ad peccata vitanda de cætero juxta dicta *Art. antec.*

Objicies 4.° In qualibet bene instituta Republica, etiamsi rationabilis adesset causa ad communem Thesaurum dispensandum Civibus ære alieno gravatis, illius tamen distributione censeretur indignus, qui ex bonis suis ad satisfaciendum creditoribus posset supplere. Ob eandem ergo rationem satisfacere negligens, indignus putandus est Ecclesiastici Thesauri dispensatione.

Resp. dato, indignum reputari participatione Thesauri Reipublicæ potentem ex propriis pecuniis satisfacere creditoribus; fortasse enim quod illis, ad solvendum debitum, esset collatum, subtraheretur pecuniarum aliarumque rerum temporalium inopia laborantibus: non tamen inferri potest, idem dicendum esse de dispensatione Thesauri Ecclesiæ mediis Indulgentiarum concessionibus, quia satisfacere negligentes per propria opera pęnalia, ex una parte essent amici Dei, ac proinde viva Ecclesiæ Christi membra, in cujus unitate fundatur valor Indulgentiarum = *Ratio* (inquit D. Thomas *dist. citata qu. 1. artic. 3. quæstiunc. 1.°*) *quare valere possint* Indulgentiæ, est *unitas corporis mystici, in qua multi in operibus pœnitentiæ supererogaverunt ad mensuram debitorum suorum, & multas etiam tribulationes sustinuerunt patienter, per quas multitudo pœnarum poterat expiari, si eis deberetur*=quare sicut quis ratione prædictæ unitatis satisfactionis subsidium aliorum Christifidelium assequeretur, quanquam esset negligens ad satisfaciendum per propria opera pęnalia, ita Indulgentiarum beneficio gauderet. Eo vel maxime, quod cælestium divitiarum cumulus in Ecclesiæ Thesauro ad Christifidelium utilitatem congregatus, quantunvis liberaliter Christifidelibus sine personarum discrimine dispensaretur, infinitis adhuc egentibus superesset, ut innuit Clemens VI. in Extravaganti *Unigenitus de Pœnit. & Remissionib.* = *De cujus consumtione* (nempe Thesauri Ecclesiæ) *seu minutione non est aliquatenus formidandum, tam propter infinita Christi merita, quam pro eo, quod quanto plures ex ejus applicatione trahuntur ad justitiam, tanto magis accrescit cumulus meritorum.*

Alia Recentiorum Argumenta convelluntur.

Objicies 1.° Juxta antiquam Ecclesiæ consuetudinem non dabantur Indulgentiæ, nisi ob diuturnos gravissimosque pęnitentiæ labores defatigatis; ideoque D. Cyprianus Sanctos Confessores deprecans *Epist. XI. ad Martyres & Confessores* data, qui Lapsis petierant pacem dari, ut in dandis Indulgentiarum Libellis eos duntaxat Episcopis commendarent, quos pœnitentiam, juxta censuram Canonum injunctam, mox impleturos animadverterent = *Peto*, inquit, *ut eos, quos ipsi videtis, quos nostis, quorum pœnitentiam satisfactioni proximam conspicitis, designetis nominatim libello, & sic ad nos fidei ac disciplinæ congruentes literas dirigatis*, & *Lib. de Lapsis* de Indulgentiarum utilitate differens inquit = *Si precem toto corde quis faciat, si veris pœnitentiæ laboribus ingemiscat, si ad veniam delicti sui Dominum justis & continuis operibus inflectat, misereri talium potest, qui misericordiam suam protulit dicens: Cum conversus ingemueris tunc salvaberis ... ... potest ille Indulgentiam dare, sententiam suam potest ille flectere. Pœnitenti, operanti, roganti potest clementer ignoscere, potest in acceptum referre, quidquid pro talibus, & petierint Martyres & fecerint Sacerdotes* = Ergo cum Indulgentiæ, quæ juxta novam Ecclesiæ Disciplinam dantur, eundem valorem obtineant ac antiquæ; conceduntur enim passim sub hac clausula = *In forma Ecclesiæ consueta* = nequeunt prodesse nisi iis, qui congruam satisfactionem emiserint.

Resp. ad Argumentum, quod est Adversariorum Achilles: aliud esse, quod Ecclesiæ Disciplinam demonstrat in dandis Indulgentiis: aliud, quod earundem valorem intrinsecum & potestatem concernit.

Si

Si Disciplinam Ecclesiæ attendamus, fateri necesse est, non fuisse prioribus temporibus potissimum Cypriani ætate datas Indulgentias regulariter, quin prius Christifideles per opera ac Pęnitentiæ labores magna ex parte pro commissis criminibus satisfecissent: & hoc ob prudentem quandam œconomiam; animadvertens enim Ecclesia plurimos charitatis ardore succensos ob vitæ superioris flagitia satisfactionibus Canonicis libenter sese subjicere, maluit tunc congruam satisfactionem exigere (quod & ab iis criminibus admittendis tunc ætatis Christifideles magis magisque retrahebat) quam Canonum rigorem totaliter per Indulgentiarum dispensationem relaxare. Cæterum hoc non reputabatur necessarium ad intrinsecum earundem Indulgentiarum valorem, cum ab hac disciplina recesserint tunc etiam aliquando Episcopi. Perfectam communicationem eum Pœnitentiæ congruæ relaxatione Victori Presbytero a Therapio Episcopo indultam, nondum expletis luctuosæ Pęnitentiæ laboribus, ratam habuit D. Cyprianus: & quanquam id temere factum æstimaretur, noluit tamen Victorem recipi ad Consistentiam, (quæ erat ultima statio a pęnitentibus subeunda) ut quod supererat satisfactionis persolveret = *Legimus* (inquit S. Antistes in *Epistola* LIX. *ad Fidum* data) *literas tuas, Frater charissime, quibus significasti de Victore quodam Presbytero, quod ei, antequam pęnitentiam egisses, & Domino Deo, in quem deliquerat, satisfecisset, temere Therapius Collega noster immaturo tempore, & præpropera festinatione pacem dederit. Quæ res nos satis movit, recessum esse a decreti nostri auctoritate, ut ante legitimum & plenum tempus satisfactionis, & sine petitu & conscientia plebis, nulla infirmitate urgente, ac necessitate cogente pax ei concederetur: sed librato apud nos diu consilio, satis fuit objurgare Therapium Collegam nostrum, quod temere hoc fecerit, & instruxisse, ne quid tale de cætero faciat. Pacem tamen quomodocunque a Sacerdote Dei semel datam non putavimus auferendam, ac per hoc Victori communicationem sibi concessam usurpare permisimus* = Irritam profecto eam pacem fuisse, assereret Cyprianus, si illi duntaxat valide Indulgentiam consequerentur, qui luctuosis operibus occupati proxime satisfactionem omnem impleturi erant. Imo quanquam idem S. Antistes acerrimus fuerit Ecclesiasticæ Disciplinæ propugnator, tamen ex justis causis, congruam satisfactionem prævie ad Indulgentiarum assecutionem, minime censuit prætermittendam; & ideo licet in ea fuerit sententia, ut satisfactioni proximis Indulgentia duntaxat concederetur, tamen nova imminente persecutione sub Gallo & Volusiano, ad Christianæ Fidei ac Religionis exitium, Lapsis omnibus, approbavit, indiscriminatim pacem atque remissionis satisfactionem conferri: ut Corporis Christi participatione protecti alacriores se pararent ad prælium atque gloriosissime, Christianæ Religionis adversariis devictis, per Martyrii lauream triumpharent = *Merito* (inquit D. Cyprianus *in Epistola LIV. ad Antonianum* data) *trahebatur dolentium pœnitentia tempore longiore, ut infirmis in exitu subveniretur, quandiu quies & tranquillitas aderat, quæ differre diu plangentium lacrymas, & subvenire sero morientibus in infirmitate pateretur. At vero nunc non infirmis, sed fortibus pax necessaria est, nec morientibus, sed viventibus communicatio a nobis danda est, ut quos excitamus & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, sed protectione Sanguinis & Corporis Christi muniamus: & cum ad hoc fiat Eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra adversarium volumus, munimento Dominicæ Saturitatis armemus. Nam quo modo docemus, aut provocemus eos in Confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi Sanguinem denegamus? aut quo modo ad Martyrii poculum idoneos faciemus, si non eos prius, ad bibendum in Ecclesia poculum Domini, jure communicationis admittimus? Interesse debet, Frater charissime, inter eos, qui vel apostataverunt, & ad seculum, cui renunciaverant, reversi gentiliter vivunt, vel ad hæreticos transfugæ facti contra Ecclesiam parricidialia quotidie arma suscipiunt: & inter eos, qui ab Ecclesiæ limine non recedentes, & implorantes jugiter ac dolenter Divina & paterna solatia, nunc se ad pugnam paratos esse,*

esse, & pro Domini sui nomine, ac pro sua salute stare fortiter & pugnare profitentur. Hoc in tempore pacem nos non dormientibus, sed vigilantibus damus: pacem non ad quietem, sed ad aciem damus. Si secundum quod eos audimus, & optamus, & credimus, fortiter steterint, & adversarium nobiscum in congressione prostraverint, non pœnitet pacem concessisse tam fortibus: imo Episcopatus nostri honor grandis & gloria est, pacem dedisse Martyribus, ut Sacerdotes, qui Sacrificia Dei quotidie celebramus, hostias Deo & victimas præparemus = Rursus S. Cornelius Papa Indulgentiam dedit Trophimo Episcopo, qui Gentilium simulachris sacrificium obtulerat; non quia congruam satisfactionem implevisset, sed ex aliis rationibus, & potissimum quia plurimi cum ipso Trophimo ad Ecclesiæ gremium reversi fuissent; cumque ob id aliter vulgatum traduceretur Sanctus Pontifex, ita in Epistola prælaudata vindicatur a D. Cypriano = *De Trophimo, de quo tibi scribi desiderasti, non ita res est, ut ad te pertulit rumor, & mendacium malignorum. Nam sicut antecessores nostri sæpe fecerunt, colligendis fratribus nostris, charissimus frater noster Cornelius necessitati succubuit: & quoniam cum Trophimo & satisfaciente, & pœnitentia deprecationis errorem pristinum confitente, & fraternitatem, quam nuper abstraxerat, cum plena humilitate & satisfactione revocante, auditæ sunt ejus preces, & in Ecclesiam Domini non tam Trophimus, quam maximus fratrum numerus, qui cum Trophimo fuerat, admissus est: qui omnes regressuri ad Ecclesiam non essent, nisi eum Trophimo comitante venissent. Tractatu ergo illic cum Collegis plurimis habito, susceptus est Trophimus, ut laicus communicet; non secundum quod ad te malignorum literæ pertulerunt, quasi locum Sacerdotis usurpet* = Nec Adversariorum intentum evincit clausula non raro in concessionibus Indulgentiarum reperta. *In forma Ecclesiæ consueta*; ea siquidem verba, ut tradit Lavorius *de Indulg. p. 2. cap.* 14., nihil aliud significant, quam Indulgentias vere pœnitentibus concedi, seu vere contritis.

Objicies 2.° Summi Pontifices Indulgentias elargientes peccare non præsumuntur. Porro a culpa excusari non possent, si in earum concessionibus conditionem congruæ satisfactionis præterirent; communis enim Doctorum sententia est, Pontifices ac Episcopos peccare, si tam prodige atque indiscrete despondérent Indulgentias, ut satisfactionis studium negligeretur = *In arbitrio dantis Indulgentiam* (ait Divus Thomas *Dist. citata quæst.* 1. *artic.* 3. *quæstiunc.* 2.ª) *est taxare quantum per Indulgentiam remittatur; si tamen inordinate remittat: ita quod homines quasi pro nihilo ab operibus pœnitentiæ revocentur, peccat faciens tales Indulgentias* = Idem infert Hostiensis *in Summa tit. de Remissionib. cap.* 5. ex Concilii Lateranensis IV. Decreto = *Concilium Lateranense* (inquit) *arctavit Episcopos, ne propter remissiones indiscretas & superfluas contingat contemni Claves, & satisfactionem pœnitentiæ enervari. Ergo Prælati, qui hoc fecerunt, agant pœnitentiam* = Ergo conditio congruæ satisfactionis per opera pœnalia a Prælatis concedentibus Indulgentias necessaria est, ne invalidæ & inordinatæ sint dispensationes ex Thesauro meritorum Christi & Sanctorum concessæ, ac per consequens ut earum fructus comparetur.

Resp. Doctores utique asserere ob inordinatas Indulgentias, scilicet superfluas atque indiscretas, a culpa excusari non posse Ecclesiæ Prælatos, nequaquam tamen (excepto causæ proportionatæ defectu) illas esse validitatis robore destitutas existimare: imo si eorum dicta & rationes expendamus, excluditur potius, quam adstruitur congruæ satisfactionis necessitas; D. enim Thomas arbitratur, per Indulgentias hujusmodi indiscretas Christifideles a Pœnitentiæ oneribus revocari = *Ita quod*, inquit, *homines quasi pro nihilo ab operibus pœnitentiæ revocentur* = quas nihilominus validas esse testatur, subdens = *Nihilominus quis Plenariam Indulgentiam consequitur* = Porro si Indulgentiæ congruam satisfactionem necessario requirerent juxta DD. potius Fideles pœnitentiam peragerent, quam ab ea revocarentur; ea quippe seclusa, nequaquam integre ac totaliter, juxta Recentiorum doctrinam, Indulgentiæ concessæ fructus perciperetur. Cohærenter ad Concilii Lateranensis De-

cre-

eretum fatetur Hostiensis, per Indulgentiarum virtutem pœnitentialem satisfactionem enervari, quod idem est ac dicere, auferri indirecte obligationem implendi pœnitentiam ut vindicativam, seu prout solutivam pœnæ temporalis: alias ea subsistente, nihil prorsus pœnitentialis satisfactionis enervaretur.

Objicies 3.° Hanc legem novimus a Deo constitutam, ut nemini pœnæ temporalis debitum remittatur, quin dignos pœnitentiæ fructus exhibuerit: ideoque Matthæi 3.° *v.* 8. dicitur = *Progenies viperarum quis demonstravit vobis fugere a ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ* = Idem innuitur Lucæ 13. *v.* 5. = *Si pœnitentiam non egeritis, omnes simul peribitis* = & Actor. 3. *v.* 19. = *Pœnitemini, & convertimini, ut deleantur peccata vestra* = Ab hac autem lege nequit Summus Pontifex dispensare. Ergo citra satisfaciendi studium ac congruam satisfactionem, nequit percipi fructus Indulgentiarum.

Resp. dato (sed non concesso) ex locis Sacræ Scripturæ objectis erui præceptum satisfaciendi Deo pro pœna temporali, adhuc verum esset Fideles acquirentes Indulgentias peccatorum pœnitere; quantunvis enim per opera propria pœnalia minime satisfacerent, adhuc Deo id, quod eo præcepto injungitur, exhiberent = *Ad illud quod objicitur* (dicit S. Bonaventura in 4. *dist.* 20. *artic.* 1. *quæst.* 2. ad 3.^m) *quod tenetur ad faciendum dignos fructus pœnitentiæ, dicendum, quod facere dignos fructus pœnitentiæ est dupliciter, scilicet vere, & interpretative: & ille dicitur dignos fructus pœnitentiæ facere, qui non solum per se ipsum, sed etiam per suffragium alienum habet sufficiens pretium ad solvendum debitum* = Nec tamen verum esset, Summum Pontificem directe & immediate in Jure Divino dispensare, sed debitum pœnæ temporalis relaxare, ex quo ortum ducit obligatio satisfaciendi Deo pro dicta pœna, ut dictum est *Cap.V. art.* 4.

Objicies 4.° A tempore Apostolorum usque ad Sæculum duodecimum nulla fuit a Sede Apostolica concessa Indulgentia Plenaria ab omnibus Christifidelibus cujuscunque ætatis, sexus, conditionis in Oriente & Occidente degentibus acquirenda: adeoque innumerabiles pene personæ fuissent destitutæ tam salutari remedio, se eximendi a satisfactionibus Deo exhibendis pro pœna temporali. Vel ergo Ecclesia fuit minus pia, Sanguinem Christi filiis suis non dispensans, & ipsiusmet Ecclesiæ Thesaurum clausum retinens: aut certe in Indulgentiis Plenariis eam virtutem non agnovit. Maxime quia post invectum morem dandi generaliter Plenariam, veteres Doctores existimarunt propter Indulgentias minime pœnitentiæ labores esse omittendos.

Resp. Ecclesiam optime etiam ante Sæculum duodecimum Indulgentiæ Plenariæ virtutem, quam nos exposuimus, agnovisse; expediens tamen judicavit, fervente adhuc Christifidelium devotione Canonum pœnitentialium rigorem retinere, quo subinde deficiente, satius duxit Ecclesiæ Thesaurum mediis Indulgentiis liberalius quam antea aperire, quam illos Canonum pœnitentialium onere prægravatos satisfactioni obnoxios relinquere, quod maxime Ecclesiæ œconomiam commendat. Doctores vero antiqui existimantes propter Indulgentias personales satisfactiones nequaquam esse omittendas, nihil aliud volunt, quam eas obtinere volentes, pœnitentiæ operibus applicare, ut a scoria ac a peccatorum reliquiis purgentur, quod Indulgentiarum virtute minime potest comparari; ut dictum est *cap.* 5. *Art.* 3.° non vero quod eisdem ad pœnæ temporalis remissionem indigeant. Eo vel maxime, quod proloquium illud, cujus meminit S. Thomas *dist. cit. art.* 3. *quæstiunc.* 2.ª erat communiter receptum = *Indulgentiæ simpliciter tantum valent quantum prædicantur, dummodo ex parte dantis sit authoritas, ex parte recipientis charitas, ex parte causæ pietas, quæ comprehendit honorem Dei & proximi utilitatem* = Ex mente igitur Doctorum antiquorum non probatur, inter conditiones ad percipiendum fructum Indulgentiarum necessario requisitas congruam satisfactionem recenseri, ab iis præmittendam, qui exoptant illis ditari.

Objicies 5.° cum Eusebio Amort. Si Indulgentiæ citra satisfaciendi studium virtute gauderent remittendi pœnas temporales, illud duntaxat in materia satisfactionis versaretur discrimen inter Catholicos & Hæ-

& Hæreticos, quod illi affererent, Plenariam a Christo mediante Summo Pontifice relaxationem obtineri, sub conditione quadam pia opera peragendi: e contra isti propugnarent, Plenariam Indulgentiam a Christo recipi circumscriptis piis operibus etiam a Summo Pontifice injungendis. Quod certe dici non potest, alias Catholici non invicte sed frivole contra Hæreticos decertarent pro adstruendis pœnitentialibus operibus, ad assequendam vitam æternam necessariis. Studium ergo satisfaciendi requiritur, ut Fidelibus prosint Indulgentiæ.

Resp. inquirendo, quomodo in dogmate de satisfactione Deo pro peccatis a Christifidelibus exhibenda Sententiæ contrariæ propugnatores differant ab Hæreticis? Reponent, Hetherodoxos pœnæ temporalis debitum omnemque satisfactionem exolvendam a recenter justificatis ablegasse, ne fiat injuria Theandrico Christi cruori liberaliter profuso ad expianda nostra delicta: ipsis ex adverso statuentibus, non semper justificatis per gratiam sanctificantem, in Pœnitentiæ Sacramento Sacerdotum ministerio communicatam, peccata quantum ad pœnam condonari: ideoque necessarium esse ex parte Christifidelium propriæ satisfactionis conatum. Ex quo inferunt, quod etiamsi Summorum Pontificum liberalitate fiat concessio Indulgentiæ Plenariæ, non posset obligatus ad pœnam temporalem subeundam, eo satisfaciendi studio prætermisso, de totalis fructus perceptione sibi polliceri; quibus armis muniti, invicte contra Hæreticos pro Indulgentiarum valore ac potestate contendunt. Quare ergo nos non pari, imo majori facilitate certabimus, si tradita communi cum Adversariis Catholica de impiorum justificatione doctrina, ita de Indulgentiis sentimus, ut quanquam satisfactionem pœnitentialem, prout est medicinalis, necessario ad purgationem scoriæ peccatorum admittamus, quæ nequeat applicatis Christi & Sanctorum meritis suppleri, eam tamen ut vindicativam propugnamus, posse totaliter (nisi obstet culpæ reatus) Indulgentiæ Plenariæ virtute, citra alterius satisfactionis necessitatem, integre relaxari? Quod magis Clavium potestatem commendat, ac perversam contra Indulgentiarum dogma Hæreticorum doctrinam jugulat, ac penitus evertit.

Obiicies 6.° Quantumvis fiant plenissimæ Indulgentiarum concessiones, atque Fideles obligationes præscriptas implere satagant, Summi Pontifices tamen Pœnitentialium operum studium in earum concessionibus maximopere commendant; quamobrem Sixtus V. in suis Apostolicis Literis editis anno MDXC. inquit = *Placanda est ira Divina pœnitentia, contestante Scriptura: Deum oblatis sibi austeris precibus, jejuniis; eleemosynis sæpe posuisse iras; hinc in Urbe ordinavimus supplicationes ut inveniamus misericordiam &c.* = & Clemens VIII. in aliis ejusmodi Literis editis anno MDXCII. ait = *Deum per pœnitentiam placandum esse existimavimus. Dignos itaque pœnitentiæ fructus faciamus, & in Quadragesimali tempore ad pensum sanctæ institutionis aliquid addamus, corda nostra scindamus, & in oratione, jejunio, cæterisque pietatis operibus unanimiter perseverantes, ut mutuis pœnitentiæ suffragiis adjuvemur* = Item habetur in aliis Literis editis ab Urbano VIII. anno MDCXXVIII., ab Innocentio XI. MDCLXXXI., ab Alexandro VIII. anno MDCLXXXIX., & pressius in Declaratione Innocentii XII. pro anno Jubilæi MDCC. his verbis = *Proponatur Fidelibus utilitas, quam ex magna hac Indulgentia consequuntur; qualiter videlicet illius virtute ac operatione remittantur illæ pœnæ, quas homo Divinæ Justitiæ debet, modo, Divinæ gratiæ condigna satisfactione cooperetur; doceatur ergo populus, quod licet per Sacramentum Pœnitentiæ culpa & æterna pœna remittatur, nihilominus post remissionem delictorum debitum temporalis pœnæ, adeoque grave onus satisfactionis remaneat, quod copiosis eleemosynis, rigorosis jejuniis, & longis ac difficilibus operibus pœnitentiæ, ut tempore veterum fervidorum Christianorum factum esse liquet, ex Canonibus Pœnitentialibus, aut horrendis pœnis purgatorii solvi deberet; cum vero talia sufferre humanæ infirmitati nimis grave foret, ideo Vicarius Christi tales satisfactiones per Indulgentias minuit* = Quod profecto minime fieri oporteret, si Indulgentiæ Plenariæ omnem pœnam temporalem, citra nostræ congruæ satisfactionis subsidium, pœnam temporalem ex se relaxarent.

Resp.

Resp. verum esse, quod Summi Pontifices satisfaciendi studium in Indulgentiarum concessionibus non raro expresse commendent; non quia id omnino necessarium existiment ad plenum earum fructum acquirendum, sed ut Fideles exuant veterem hominem cum actibus suis, ac novum superinduant per virtutum exercitia: quia inde facilius actum fervidæ perfectæque contritionis vel charitatis eliciunt, quo ab omni peccati etiam venialis labe purgati, tum Deum sibi reddunt propitium, tum integrum Indulgentiæ Plenariæ fructum comparant: qui faciliter minime obtineretur, si opera poenitentiæ a Summis Pontificibus commendata præterirent.

Objicies 7.° Si Indulgentiæ ita valerent, ut inde satisfactionis alias exhibendæ onus cessaret, cederent potius in Ecclesiæ damnum, quam ædificationem: plures siquidem ex Catholicis ansam arriperent sese tradendi vitæ laxiori, sperantes unica Indulgentia Plenaria solvere quodcunque debitum poenæ temporalis: ideoque lata via aperiretur ad abusus, atque vitiorum illecebras. Quod profecto minime sequeretur, si debitum poenæ temporalis eo majora poenitentiæ opera necessario ad integram sui solutionem exposceret, quo ex pluribus gravibusque criminibus consurgeret: esset enim peccandi frænum, & licentiæ retinaculum. Itaque ut Fidelium damnum vitetur, atque Ecclesiæ ædificationi consulatur, dicendum est, pro acquirendis Indulgentiis satisfaciendi studium ex parte illas recipientium, seu congruam satisfactionem necessario desiderari.

Resp. Indulgentias per se peccatores ad statum gratiæ revocare, ad contritionem de culpis eliciendam, ad pia opera peragenda, ac per consequens fovere virtutes, Divinarumque Legum observantiam, quibus Ecclesiæ ædificationi prospicitur: non enim conceduntur nisi *vere Contritis*, ac ex justa & rationabili causa, quæ ut plurimum ex piis operibus aut constituitur, aut completur. Quamobrem non earum, sed hominum vitio foret adscribendum, si quis spe obtinendi integrum Indulgentiæ Plenariæ fructum illectus, laxiorem vivendi methodum amplecteretur: sicuti non in Poenitentiæ Sacramentum refunderetur, si quis se vitiorum omnium coeno coinquinaret, ob fiduciam obtinendi cunctarum culparum remissionem, per unicam Sacramentalem absolutionem: uterque enim perinde se gereret ac ille, qui antidoti virtute fretus venenum audacter sumere non dubitaret.

CA-

CAPUT IX.

DE USU INDULGENTIARUM.

UNICUM Articulum hoc caput complectitur: comparamus enim tantummodo usum Indulgentiarum ad perfectionem vitæ Christianæ propter Heterodoxos, ac Pseudomysticos, qui omnem adhibent conatum, ut studio perfectæ charitatis deditos ab acquirendis Indulgentiis amoveant.

ARTICULUS UNICUS.

An Usus Indulgentiarum perfectæ charitati adversetur?

AD Controversiæ statum exponendum duo observanda præmittimus; 1.^m perfectionem charitatis importare intimum amorem affectivum unientem hominem cum Deo = *Unumquodque* (inquit D. Thomas 2. 2. *qu.* 184. *art.* 1. *in corp.*) *dicitur perfectum, inquantum attingit proprium finem, qui est ultima rei perfectio. Charitas autem est, quæ unit nos Deo, qui est ultimus finis humanæ mentis: Quia qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo: ut dicitur* 1. *Joann.* 4. *& ideo secundum charitatem specialiter attenditur perfectio Christianæ vitæ* = Quibus vero modis charitas ad suæ perfectionis complementum pertingere queat, declarat luculenter idem Angelicus Præceptor in *Quæst. citata art.* 2. *in corpore*, his verbis = *Perfectio vitæ Christianæ in charitate consistit. Importat autem perfectio quandam universalitatem, quia ut dicitur in tertio Physicorum: Perfectum est, cui nihil deest. Potest ergo triplex perfectio considerari. Una quidem absoluta, quæ attenditur non solum secundum totalitatem ex parte diligentis, sed etiam ex parte diligibilis, prout scilicet Deus tantum diligitur, quantum diligibilis est: & talis perfectio non est possibilis alicui creaturæ, sed competit soli Deo, in quo bonum integraliter, & essentialiter invenitur. Alia autem est perfectio, quæ attenditur secundum totalitatem absolutam ex parte diligentis, prout scilicet affectus secundum totum suum posse, semper actualiter tendit in Deum: & talis perfectio non est possibilis in via, sed erit in patria. Tertia autem est perfectio, quæ neque attenditur secundum totalitatem ex parte diligibilis, neque secundum totalitatem ex parte diligentis, quantum ad hoc, quod semper actu feratur in Deum; sed quantum ad hoc quod excludantur ea, quæ repugnant motui dilectionis in Deum: sicut Augustinus dicit libro octoginta trium quæstionum: Quod venenum charitatis est cupiditas, perfectio nulla cupiditas: & talis perfectio potest in hac vita haberi, & hoc dupliciter. Uno modo, inquantum ab affectu hominis excluditur omne illud, quod contrariatur charitati, sicut est peccatum mortale: & sine tali perfectione charitas esse non potest, unde est de necessitate salutis. Alio modo, inquantum ab affectu hominis excluditur non solum illud, quod est charitati contrarium, sed etiam omne illud, quod impedit, ne affectus mentis totaliter dirigatur ad Deum, sine qua perfectione charitas esse potest, puta, in incipientibus, & proficientibus.*

Hinc propter diversos perfectionis modos facile possunt varia Sacræ Scripturæ loca ad concordiam revocari. Ubi enim dicitur ad *Philipp.* 3 *v.* 12. = *Non quod jam acceperim, aut jam perfectus sim*, & 1.^a *ad Corinth. cap.* 13. *v.* 10. = *Cum venerit, quod perfectum est* = de perfectione ejusdem in alia vita interpretamur. Alibi vero significatur in unoquoque justo perfectionem reperiri: ut 1.^a *Joann.* 2. *v.* 5. = *Qui servat verbum ejus, in hoc charitas Dei perfecta est* = & hic sermo est de perfectione charitatis, in ordine ad exclusionem eorum, quæ dictæ virtuti inspectæ præcise quantum ad suam naturam adversantur. Alibi tandem ad perfectionem incitamur, uti ad peculiarem quorundam justorum gradum: ut Matthæi 19. *v.* 21. = *Si vis perfectus esse, vade, & vende*

quæ

quæ habes, & da Pauperibus, & habebis thesaurum in Cœlo: & veni, sequere me = in quibus locis fit sermo de charitatis perfectione (de qua procedit hoc dubium) in ordine scilicet ad exclusionem peccati lethalis, & etiam eorum, quæ mentem retrahunt, ne ad Divina homo feratur, illisque adhæreat duntaxat, quantum patitur vitæ præsentis conditio. Quanquam vero secunda ac tertia charitatis perfectio nunc descripta, cum priori collata, sit perfectio secundum quid, valeatque potius imperfectio nuncupari, absolute tamen utraque perfectio est; quælibet enim in suo ordine pro conditione vitæ præsentis totalitatem & complementum attingit.

Observandum secundo est, non esse a perfectione charitatis alienum, ad æternam patriæ Beatitudinem hic in via jugiter aspirare: ideoque D. Paulus Apostolus exoptabat mori, ut quantocyus Christi consortio frueretur = *Coarctor e duobus* (inquit ad *Philipp. 1.° v.23.*) *desiderium habens dissolvi, & esse cu n Christo, multo magis melius, permanere autem in carne necessarium propter vos* = Idque pariter dicendum est, quantunvis hujusmodi desiderium ex aliquo amore concupiscentiæ oriretur. Alias charitas perfecta spei theologicæ amorem excluderet, quod reprobatum novimus in propositionibus Archiepiscopi Cameracensis duodecimo Cal. Martii anno MDCIC. Et profecto vir sanctus atque studio perfectæ charitatis deditus erat Regius Propheta, & tamen hujus præmii concupiti amore ductus, quod Dei præcepta servantibus promittitur, se in id ferri fatetur = *Inclinavi cor meum* (inquit *Psalm.118. v. 112.*) *ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem* = Non minori sanctitate, ac perfectione fulgebat Moyses, ob eximia virtutum opera a Sanctis Patribus maxime commendatus, & tamen propter ejusdem Beatitudinis amorem magis elegit affligi cum Populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem = *Aspiciebat enim in remunerationem* (ut inquit Apostolus *ad Hebræos cap.11. v.26.*) quem Apostoli locum D.Thomas *Lect.5. in Epist. citat.* expendens ait = *Aspiciebat oculis fidei in remunerationem, quam scilicet ex hoc sperabat, unde fides est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium*

Et ratio potest assignari; quilibet enim justus studio perfectionis addictus ita ex amore spei theologicæ ad æternam Beatitudinem possidendam anhelat, ut eam ultimate in Deum tanquam in ultimum finem per amorem supernaturalis amicitiæ, nempe charitatis referre non desinat. Quod autem ita a virtute spei theologicæ elicitur, atque in finem ultimum supernaturalem actualiter refertur, nullo modo potest perfectioni charitatis adversari

His observatis, cum inconveniens non sit, una cum perfectione charitatis in præsenti vitæ statu reatum pœnæ temporalis debitæ pro peccatis anteactæ vitæ conjungi, non immerito inquiritur: An Indulgentiarum usus perfectioni charitatis officiat?

Favet parti affirmativæ Lutherus, qui in publica concione ad populum habita anno MDXVIII. inter cæteros, quos ore sacrilego eructavit errores, asseruit: Indulgentias hominibus duntaxat imperfectis, qui nolunt bona facere, aut mala sustinere, utilitatem afferre: nihil tamen in melius promovere

Conclusio. Usus Indulgentiarum nullo modo adversatur perfectæ charitati. Hanc Conclusionem propugnant Cajetanus *To. 1. Tract.16. quæst.2.* Suarius *disp.49. sect.5. num.4.* Corduba *qu.40.*

Prob. 1.° Ex Constitutione Leonis X. incipiente *Exurge Domine* edita decimoseptimo Cal. Julii anno MDXX., qua inter errores Lutheri hæc sub numero 22. proscribitur = *Sex generibus hominum Indulgentiæ nec sunt necessariæ, nec utiles, videlicet mortuis, seu morituris, ... , his qui meliora operantur &c.* = Ergo cum studio perfectæ charitatis addicti inter eos, qui meliora operantur, valeant recenseri, utilitatem possunt ex usu Indulgentiarum percipere.

Prob. 2.° Non dedecet personas studio perfectæ charitatis deditas, ob amorem æternæ Beatitudinis, illud Dominicæ orationis effatum usurpare = *Dimitte nobis debita nostra* = Nec ergo alienum erit a perfectione charitatis, mediis a Deo ad hujusmodi remissionem institutis, & ab Ecclesia propositis incumbere, ut sunt Indulgentiæ. Tum quia, opera ad eas comparandas injuncta & requisita, bona sunt ex

genere suo & meritoria, ac etiam ex parte finis, utpote quæ ordinantur ad majorem animæ puritatem, removent impedimenta, quæ retardant ingressum Regni Cœlorum = *Stat quod aliquid facere* (inquit Cajetanus loco citato) *pro Indulgentia satisfactoria sit meritorium, non solum ex genere operis, puta subvenire Ecclesiæ, aut orare, sed ex intentione facientis, qui movetur ex charitate ad hoc ut impedimenta sui ingressus ad alteram vitam tollantur* = Imo majorem fructum percipi ex hujusmodi operibus quam ex aliis, testatur Gerson in *Opusculo de Indulg. consid.* 12. ubi ait = *Fructuosior & acceptabilior est Deo & hominibus operatio talibus innitens Indulgentiis, quam altera cæteris paribus non innitens* = Tum quia, ea opera imperfecta non sunt; non enim impediunt alia perfectiora pietatis exercitia: nec carent perfectione suæ lineæ, cum possit vacans Indulgentiis in eorum executione ita se gerere, ut nihil omittat, quod ad complementum perfectæ charitatis desideretur. Ergo usus Indulgentiarum nullo modo adversatur perfectioni charitatis.

Nec valet, si dicas: modum satisfaciendi Deo, mediis Indulgentiis pro pœna temporali debita peccatis, imperfectum dici in genere satisfactionis, quia ei remissio pœnæ temporalis corresponderet non juxta, sed supra proprii laboris mensuram. Non valet, inquam, facile enim rejicitur dicendo: hunc remissionis pœnæ temporalis excessum non inferre perfectæ charitatis detrimentum. Alias idem oporteret admitti de Sacramentis: necnon de incruento Altaris Sacrificio, cum pariter in iis supra cujuscunque labores ex opere operato fiat pœnæ temporalis relaxatio. Quamobrem quantunvis verum sit, Indulgentias lucrantem non perfecte satisfacere Deo, exhibitis satisfactionibus ex Ecclesiæ Thesauro, modus tamen hic satisfaciendi absolute dici non debet imperfectus, quia non importat positivam, aut privativam imperfectionem, sed duntaxat negativam, non excludentem solutionem ad æqualitatem, quæ aliunde ex propriis operibus pœnalibus posset exhiberi = *Satisfactio* (inquit Suarius loco citato) *in rigore connotat habitudinem ad hominem operantem, in quo sensu verum est, eum, qui lucratur Indulgentiam, non perfecte satisfacere; illa vero, ut dixi, tantum est imperfectio negativa, quæ non excludit, quin talis satisfactio exhiberi possit: nec aliud quidpiam ad perfectionem necessarium est.*

Colliges ex dictis, merito Sacram Supremam & Universalem Inquisitionem hanc Michaelis de Molinos propositionem (cui nonnulli ex Pseudomysticis adhærent) inter cæteras, sub die 28. Augusti MDCLXXXVII. sub numero 16. reprobasse = *Non convenit Indulgentias quærere pro pœna peccatis propriis debita, quia melius est, Divinæ Justitiæ satisfacere, quam Divinam Misericordiam quærere; quoniam illud ex puro Dei amore procedit, & istud ex amore nostri interessato: nec est res Deo grata & meritoria, quia est velle crucem fugere* = Quæ propositio si vera esset, occludendum foret ostium Divinæ Misericordiæ pluribus Sacræ Scripturæ oraculis nobis repromissæ: Justitiæ rigor ultra Dei voluntatem in hominum desperationem esset ampliandus: oporteret plurima Conciliorum Decreta penitus eliminare, atque cunctas Literas Apostolicas Indulgentiarum abrogare; quod profecto si dicatur, nihil est Lutheri ejusque Assectarum menti accomodatius: nihilque sensui Ecclesiæ ac Theologorum magis dissonum. Indulgentias siquidem non curare, velleque propriis operibus pœnalibus de condigno pro pœnarum reatu satisfacere, potest fortasse non leve præsumtionis indicium ingerere: e converso, mediis Christi Sanctorumque superabundantibus satisfactionibus Dei Justitiam compensare, atque misericordiam expetere & implorare, præclarum est humilitatis testimonium, quæ virtus spiritualis nostri ædificii fundamentum dicitur, monente D. Augustino *Serm.* 10. *de Verbis Domini* = *Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis: & quantum quisque vult, & disponit superimponere molem ædificii, quanto erit majus ædificium, tanto altius fodit fundamentum. Et fabrica quidem, cum construitur in superna consurgit qui autem fodit fundamentum ad ima deprimitur. Ergo & fabrica ante celsitudinem humiliatur, & fastigium post humiliationem erigitur* = Et quanquam In-

Indulgentiarum usus nostram utilitatem proxime respiceret, supernaturale tamen, charitatis meritum non adimeret: quia Indulgentiarum beneficium regulariter Fidelibus non impenditur, nisi dependenter ab exercitio piorum operum, quæ si ex charitate fiant, obtinent sane tum gratiæ, tum æternæ Beatitudinis augmentum.

Objicies 1.° Perfectis viris consonum est ad acquirendam peccatorum remissionem quantum ad pœnam Deo solvendam, exercitia mortificationum eligere: imperfectorum vero conditio & proprietas est, ab illis declinare. Qui autem Indulgentiis comparandis vacant, sese a subeunda cruce mortificationis avertunt, Christique exemplum imitari detrectant, qui, ut monet D. Petrus. Epist. 1. cap. 2. v. 21. = *Passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus* = Porro ea, quæ imperfectorum propria sunt, viris in charitate perfectis convenire non debent. Ergo Indulgentiarum usus officit perfectioni charitatis.

Resp. duplici modo nos posse operam dare Indulgentiis. Primo, ita studium & curam in illis constituentes, ut cætera bonorum operum officia positive excludamus, quibus possumus eradicare vitia, & plantare virtutes. Secundo, si animum ita intendamus Indulgentiis acquirendis, ut quantum est ex earum usu, non excludamus media, quæ positive ad intentam perfectionem conducunt; in quo sensu præsens dubium examini committimus. Primus modus proprius non est perfectorum, sed imperfectorum, illi enim in hoc potius ab istis differunt, quod propter Indulgentias facilius pœnitentiales satisfactiones ut solutivas pœnarum temporalium amplectuntur = *Quamvis enim fortasse aliqui* (ut dicit Suarius n. 3.) *ea occasione, satisfactiones aliquas, vel pœnitentiæ opera pro peccatis suis facere omittant, id tamen est per accidens; & ego opinor, spirituales viri, dum Indulgentias lucrantur, potius in se magis excitantur, & promtiores redduntur ad pœnitentiæ opera*.

Objicies 2.° Christifideles ad acquirendas Indulgentias excitari, provenit ex amore sui seu Beatitudinis concupitæ, tanquam boni proprii amantis. Hic autem amor perfectioni charitatis opponitur: & ideo Apostolus 2.ª *ad Timoth. cap. 3. v. 2.* perditæ gentis conditionem prædicens, inquit = *Hoc autem scitote, quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa, erunt homines seipsos amantes cupidi &c.* Ideoque Angelicus Præceptor in expositione loci prælaudati ex Apostolo *lect. 1.*, inquit = *Cupiditas primo ponitur, quia est radix omnium malorum* = Ergo cum nihil magis perfectioni charitatis opponatur, quam amor proprius, dicendum est, ex amore sui seu Beatitudinis concupitæ, Indulgentiis acquirendis vacare, consonum non esse perfectioni charitatis.

Resp. dupliciter amari posse bonum proprium. Primo, tanquam id in quo diligens quiescit, quo modo respicitur, ut finis ultimus diligentis, ac per consequens ut finis ultimus etiam Dei amati, qui ut medium ad ejusmodi finem ordinatur. Secundo, ut bonum quo quiescit, & hoc pacto non se habet ut finis amati, sed potius amoris. Primo modo cum amore sui perfectio charitatis non stat: & de hoc qua loquitur Apostolus loco citato: nec ex hujusmodi amore Indulgentiæ comparantur; amor enim hic *ædificat Civitatem Babylonis*, ut verbis utar Augustini in lib. 14. *de Civit. Dei cap. 28. faciens amorem sui usque ad contemtum Dei*. Aliter dici debet de alio amore boni proprii seu Beatitudinis, etiamsi aliquid concupiscentiæ involvat; in eo quippe amans non ultimate quiescit, hunc enim amorem cæteraque omnia per charitatem, *quæ Dei Civitatem ædificat usque ad contemtum sui*, in Deum summe & super omnia dilectum actualiter refert. Igitur sicut hic amor supernæ Beatitudinis non adversatur, imo cohæret perfectioni charitatis, ita ex eo quærere Indulgentiarum utilitatem.

Quæres. An magis perfectioni charitatis consonum sit, velle in Purgatorio pœnas luere, quam potius in statu vitæ præsentis mediis Indulgentiis Divinam Justitiam compensare?

Sotus in 4. *dist. 21. qu. 1. art. 1.* inspecto præcise Purgatorio quantum ad acerbitatem pœnæ sensus, melius esse arbitratur, illud eligere, quam in præsenti vita per Indulgentias velle Divinam Justitiam compensare: secus vero si Purgatorium quantum ad pœnam damni, seu privationem

beatificæ Visionis consideretur = *Si in pœnis*, inquit, *Purgatorii solum pœnam sensus contemplaremur, profectò ingentis excellentisque esset pœnitentiæ indicium, velle cruces illas pro Deo perpeti, quas quis meruit. Si tamen consideretur pœna damni, quæ est a Divino conspectu retardari, multo majoris dilectionis signum est, velle hominem ab illo carcere brevissime dissolvi, & esse cum Christo.*

Nos vero respondemus: perfectioni charitatis magis congruere, velle hic mediis Indulgentiis Divinam compensare Justitiam, quam in Purgatorio pœnam luere. Quanquam enim verum sit, magis esse conforme perfectioni charitatis, cæteris paribus, velle in hac vita per opera pœnalia Deo satisfacere ad pœnæ temporalis expiationem, quam lucrari Indulgentias, propter majus augmentum meriti vitæ æternæ, satisfacienti dicto modo correspondens, quam quærenti Indulgentiarum subsidium; ut docet D. Thomas in 4. *dist.* 20. *qu.* 1. *artic.* 2. *quæstiunc.* 2. his verbis = *Dicendum, quod quanvis istæ Indulgentiæ multum valeant ad remissionem pœnæ, tamen alia opera satisfactoria sunt magis meritoria, respectu præmii essentialis, quod in infinitum majus est, quam dimissio pœnæ temporalis* = Non tamen velle satispati in Purgatorio, sive alterutra sive utraque pœna; deficeret enim ibi expleto statu viæ tum pabulum, tum meritum charitatis, tum etiam cum Christo conformitas: nec aliquid in proximi utilitatem ex ea tolerata pœnarum acerbitate redundaret. Magis ergo est charitati consonum, eligere in præsenti vita Deo per Indulgentias velle solvere pœnas temporales, quam pœnas luere in Purgatorio.

Hinc corruit id quod ait Passerinus *Qu.* 124. Soto subscribens = *Sotus consideravit solum excessum acerbitatis pœnæ: & bene dixit, quod hoc solo spectato, majoris charitatis est, velle satisfacere per pœnas illas acerbissimas* Purgatorii, *quam solvendo per Indulgentias* = Corruit, inquam, quia pœnas in Purgatorio tolerare, est satispati pro debito pœnæ temporalis, non vero satisfacere; cum ex dictis *Cap.* 1. *art.* 2. constet, ad satisfaciendum statum viæ necessario desiderari.

C A-

CAPUT X.

DE OPERIBUS AD ACQUIRENDAS INDULGENTIAS INJUNCTIS IN COMMUNI

CUM juxta morem Sedis Apostolicæ ii, quibus Indulgentiæ conceduntur, piis quibusdam operibus onerentur, de illis in communi agemus in hoc Capite, inquirentes 1.° An in concessione Indulgentiarum necessario debeat injungi opus pium: & an earum concessio fieri queat pro opere mere interno? 2.° An ignorantia vel impossibilitas exequendi opus injunctum obstet Indulgentiarum assecutioni? 3.° An opus injunctum possit per alium impleri? 4.° An per actum venialiter peccaminosum ratione circunstantiæ impleatur obligatio de operibus injunctis? 5.° Qua intentione fieri debeant opera injuncta ad acquirendas Indulgentias? 6.° An per opera alias præcepta satisfieri queat obligationi de operibus injunctis? 7.° An uno eodemque opere possint plures Indulgentiæ simul comparari? 8.° An quis sæpius opus injunctum peragens, possit pluries eandem Indulgentiam obtinere?

ARTICULUS I.

An in Concessione Indulgentiarum necessario debeat injungi opus pium: & an earum concessio fieri queat pro opere mere interno?

CONclusio 1.ª Non est absolute & per se de necessitate Indulgentiarum, ut concedantur sub conditione operis pii ad earum effectum obtinendum. Ita Suarius *Disput.52. sect.4. nu.3.* Passerinus *qu.29. num. 249.*

Prob. Si per se & absolute necessario exigeretur opus pium pro Indulgentiis concedendis, vel hoc esset ex parte causæ, vel ex parte effectus earundem. Neutrum autem hanc evincit necessitatem. Non primum; potest enim justa causa in hujusmodi concessionibus intervenire citra onus operis pii: vel ut animi mœrore tabescentes erigantur in spem obtinendi salutem, ut se gessit Apostolus cum Fornicario Corinthio, ne scilicet abundantiori tristitia absorberetur: vel per modum cujusdam liberalis donationis; unde nihil est in urbe familiarius, quam quod Indulgentiæ dentur pro mortis articulo: & in Sacello Pontificio finita concione aut Missa: vel ad preces personarumque dignitate aut aliquo præclaro munere decorantur; & ideo supplicantibus Confessoribus Christi, superioribus Sæculis, pœnitentiæ canonicæ relaxatione Lapsos donarunt Episcopi. Non secundum, relaxatio siquidem temporalis pœnæ per se aliam in Christifidelibus dispositionem non exigit præter remissionem culparum lethalium, gratiæ sanctificantis virtute comparatam. Ergo per se & absolute necessario non exigitur opus pium pro Indulgentiis concedendis, neque ex parte causæ neque ex parte effectus earundem.

Dices. Quare ergo in Summorum Pontificum Indulgentiarum concessionibus piorum operum passim indicitur obligatio, si ejusmodi conditio per se & absolute non poscitur?

Resp. quod quantumvis absolute verum sit, non connecti necessario applicationem & dispensationem Thesauri meritorum Christi & Sanctorum cum piis operibus, finis tamen intentus in hujusmodi dispensationibus regulariter, aut ex se sufficiens non est, aut nequit obtineri, quin opus aliquod piam causam, justam atque proportionatam constituat. Hinc ergo oritur, quod ut in plurimum non fiant ex Thesauro meritorum Christi & Sanctorum Indulgentiarum concessiones sine operibus injunctis, quibus magis earum valori & Christifidelium utilitati consulitur. Rem illustrat Suarius *loco citato num. 5.°* = *Dicendum est*, inquit, *injunctionem alicujus*

jus pii operis interdum esse necessariam, ut Indulgentia concedi valeat, nimirum quando causa Indulgentiæ talis est, ut sine interventu talis operis, vel non sit sufficiens, vel non possit convenienter ad finem Indulgentiæ applicari. Declaratur, supponendo requiri ad Indulgentiam ex parte finis aliquam piam causam proportionatam, ut infra dicemus. Hæc ergo causa aliquando supponitur in re jam existens; tamen sæpe contingere potest, ut causa, quæ supponitur, per se non sufficiat, ut Indulgentia simpliciter concedatur, satis sit autem, ut detur sub conditione talis vel talis operis. Sicut causa, quæ interdum affertur ad dispensandum in voto, aliquando potest esse insufficiens ad absolutam dispensationem, sufficere autem ad tollendum votum sub tali vel tali onere. Sic ergo dicimus injungere aliquod opus pium, interdum esse posse necessarium, quia sine illo causa Indulgentiæ non esset sufficiens. Aliquando vero contingit finem Indulgentiæ pendere in futurum, ut quando conceditur Indulgentia ad obtinendum a Deo aliquod beneficium: & tunc fere semper est necessarium aliquod pium opus, ut talis Indulgentia possit ad hujusmodi finem applicari; non enim potest Indulgentia esse utilis ad impetrandum a Deo tale beneficium, nisi ipsi Fideles ratione Indulgentiæ aliquam orationem fundant, vel aliquod pium opus faciant, quo Deum excitent ad id præstandum. Unde quia frequentius conceduntur Indulgentiæ propter hujusmodi fines: & quia etiam hic modus concedendi Indulgentiam, exigendo aliquod pium opus, securior est, & Fidelibus utilior, ideo regulariter a Pontificibus observatur.

Conclusio 2.ª Pro actu pio mere interno potest concedi Indulgentia. Ita Passerinus *qu.30. num.251.*

Prob. 1.º Actus pius quanquam mere internus sit, tamen ad Dei honorem & Ecclesiæ utilitatem conducit; est enim actus virtutis, qui proinde ad Indulgentiarum concessionem requisitus posset causam piam & justam vel complere vel constituere. Ergo pro actu pio mere interno potest fieri Indulgentiæ concessio.

Prob. 2.º Ex praxi Sedis Apostolicæ, tum Indulgentias elargiendi piorum virorum Congregationibus certo temporis intervallo singulis diebus mentalis orationis exercitio vacantibus: tum donandi Plenaria Christifideles in mortis articulo constitutos, Sanctissimum Jesu nomen saltem corde invocantes, si illud ore non possent exprimere. Ergo pro actu mere interno potest concedi Indulgentia.

Objicies 1.º Ecclesia nequit de actibus mere internis certum proferre judicium. Ergo non potest eos tanquam conditiones ad Indulgentias requisitas injungere; alias limites propriæ jurisdictionis excederet. Quod adeo verum est, ut quantumvis nonnulli Doctores asserant, Ecclesiam ad opus internum eliciendum posse obligare, quando cum exteriori connectitur: ac propugnent per consequens, posse Ecclesiam internam attentionem ad Divini officii pensum devote persolvendum saltem indirecte præcipere, non tamen docent, posse illud citra talem connexionem injungere. Cum ergo concessiones Indulgentiarum sint actus Ecclesiasticæ jurisdictionis, non poterunt fieri pro actibus piis mere internis.

Resp. (quidquid sit de potestate Ecclesiæ super actus mere internos,) non esse extra sphæram jurisdictionis Ecclesiasticæ se extendere ad hoc, ut determinet conditiones internas pro obtinendo effectu mere interno, quæ etsi humanam lateant cognitionem, non tamen Deum intime cordium secreta penetrantem. Itaque Summus Pontifex Indulgentias concedens pro actibus mere internis, conditiones determinat ad earum fructum percipiendum requisitas; & sicut potest Indulgentias elargiri citra quodlibet opus injunctum, si aliunde a causa pia & justa moveatur, ita conditiones actuum internorum exigere, quin ei opus sit de illis judicare; satis enim est, id a Deo cognosci, a quo actus hujusmodi non implentibus Indulgentiæ effectus minime communicatur.

Objicies 1.º Perspicuum est, ex quo Sacramentum sit signum sensibile rei sacræ sanctificantis animam, actiones Sacramentales externas atque sensibiles exposcere, ipsum integraliter constituentes. Cum ergo concessiones Indulgentiarum Sacramentis assimilentur, quatenus Pœnitentia Sacramentalis quodammodo in aliud pium opus com-

commutatur, hoc debet esse externum atque sensibile.

Resp. quod inspecta natura Sacramenti, etiam ab aliquo interno cognoscitur dependere: idque potest in Pœnitentiæ Sacramento declarari, quod pendet ab animi dolore sive contritionis sive attritionis supernaturalis. Hoc tamen inter Sacramenta & Indulgentias versatur discrimen, quod illa sunt signa effectuum quos causant, Indulgentiæ vero rationem signorum non obtinent: imo etsi prout ab Ecclesiæ Prælatis conceduntur, sint actiones sensibiles, nihilominus prout se tenent ex parte Christifidelium, qui de earum fructu participant, sunt potius passiones, in condonatione reatus pœnæ temporalis consistentes; ideoque possunt Ecclesiæ Prælati pro earum concessione sive actus externos, sive mere internos postulare.

ARTICULUS II.

An ignorantia vel impotentia exequendi opus injunctum obstet Indulgentiarum assecutioni?

Duobus modis pia opera in Indulgentiarum concessionibus possunt Summi Pontifices Christifidelibus commendare. Primo mere adhortando, ut se gessit Gregorius XIII., Plenariam remissionem in forma Jubilæi despondens Fidelibus pro felici successu belli Flandrici ad Fidei Catholicæ exaltationem suscepti, eos monens, ut publicis interessent supplicationibus; quod non raro hujusmodi aliisque causis occurrentibus Summi Pontifices præstitere. Tunc autem ea opera exequi non est necesse ad effectum acquirendi Indulgentias; lex enim consilii non est obligatoria. Secundo ad quædam opera obligando, sub conditione Indulgentiæ obtinendæ, quæ proprie opera injuncta dicuntur.

Conclusio. Omissio operis injuncti ex ignorantia vel impotentia illud exequendi obstat Indulgentiæ assecutioni. Ita D. Bonaventura in 4. *dist.* 20. *part.* 2. *q.* 4. Palaus *in Tract.* 24. *disp. unica puncto* 9. *nu.* 1. Passerinus *q.* 33. *n.* 267. aliique communiter.

Prob. 1.° Authoritate D. Thomæ, qui *Quodlibeto* 2. *artic.* 16. inquit = *Dicendum . . . . . quod si secundum formam Papalis Literæ Indulgentia concedatur accipientibus crucem in subsidium Terræ Sanctæ, Crucesignatus statim habet Indulgentiam, etiamsi decedat, antequam iter arripiat, quia sic causa Indulgentiæ erit non iter, sed votum itineris. Si autem in forma Literæ contineatur, quod Indulgentia detur his, qui transierint ultra mare, ille, qui decedit antequam transeat, non habet Indulgentiam, quia non habet Indulgentiæ causam* = Ergo omittens vel ex ignorantia vel ex impotentia opus injunctum, juxta mentem Angelici Præceptoris, non haberet Indulgentiæ causam; ac per consequens hujusmodi omissio obstaret Indulgentiæ assecutioni.

Prob. 2.° Quum Indulgentia pia exercitia peragentibus conceditur, spirituale beneficium promittitur sub conditione operis onerosi. Quod autem cadit hoc modo sub promittentis concessione, eo non impleto obtineri non potest, itaut concessio habeatur pro non facta *L. pecuniam ff. si cert. pietr. l. necessario* §. *quod si pendere ff. de perit. & com. rei vend.* Ergo omissio operis injuncti vel ex ignorantia vel impotentia obstat Indulgentiæ assecutioni.

Prob. 3.° Quod Indulgentiæ valerent etiam iis, qui opera injuncta non perficerent vel ex impotentia vel ex ignorantia, vel alias, deberet colligi ex intentione eas concedentium; si enim de hujusmodi voluntate non constaret, corrueret profecto fundamentum asserendi, in his eventibus percipi fructum Indulgentiarum. Illam vero intentionem non habere Summos Pontifices Thesaurum meritorum Christi & Sanctorum dispensantes, perspicue colligitur ex eo, quod volentes Indulgentias illis prodesse, qui nequeunt injuncta jejunia, aut præscriptas Ecclesiarum visitationes adimplere, declarant, se tribuere facultatem Confessariis alia pia opera determinandi; ut observatur in Jubilæis. Quod sane superfluum foret, imo nonnullis personis valde onerosum, si alias de eorum intentione constaret excipiendi ab implendis hujusmodi oneribus ignorantia laborantes, aut ex alia causa impotentes. Ergo ex intentione concedentium Indulgentias non colligitur, eas

eas prodesse Fidelibus, qui vel ex ignorantia vel impotentia nequeunt implere opera injuncta.

Objicies 1.° Non videtur quis pœna privationis fructus Indulgentiarum multandus ob non impletum opus injunctum ex inadvertentia aut ignorantia; id enim quod culpa caret, in damnum vocari non convenit: nec oppositum de Summis Pontificibus est præsumendum. Omissio ergo operis injuncti, dummodo sit ex ignorantia vel impotentia, non obstat Indulgentiæ assecutioni.

Resp. falsum esse, non assecutionem Indulgentiæ in eo eventu habere rationem pœnæ: tum quia nulla præsupponeretur culpa: tum quia nulla daretur privatio fructus earum, cum nullum daretur debitum illum percipiendi.

Objicies 2.° Conditio habetur pro completa, quando per aliquem non stat, quod impleatur *l. Jure Civili ff. de Condistionib. & demonstration. l. Nepos* 14. *Prob dolor* 125. *in fine ff. de Verbor. signif.* quare servus sub conditione libertate donatus, eam assequitur, quando per eum non stetit adimpletio conditionis ad id requisitæ. Itaque si quis ex oblivione, aut ignorantia invicibili non potuit opus ad Indulgentias acquirendas præscriptum peragere, adhuc earum fructum perciperet. Maxime quia tanquam Axioma receptum est communiter hoc proloquium: voluntas tam apud Deum, quam apud homines pro facto computatur. Ubi ergo adest voluntas lucrandi Indulgentiam, quantumvis opus injunctum ex ignorantia aut impotentia minime perficiatur, adhuc ejus fructus obtineretur.

Resp. conditionem haberi pro impleta juxta leges mox prælaudatas, quando conditio utcunque requiritur: secus vero apposita ut meritum aut quasi meritum in ordine ad præmium obtinendum; etenim tunc se habet per modum conventionis, in qua non solum animus, sed etiam executio operis attenditur, qua conditione non purificata, ex quacunque causa impedimentum consurgat, perinde se habet, ac si conventio minime facta fuisset. *l. Pecuniam ff. si certe petat*. Idque potissimum locum habet in mixtis & casualibus conditionibus *l. in Testament.* 2. *de Conditionibus*. Certum autem est, non aliter quam per modum conventionis & meriti aut quasi meriti requiri opus injunctum ad Indulgentias comparandas. Neque huic nostræ doctrinæ allatum Axioma adversatur: etenim illud verum est, quando tota ratio meriti, totusque valor unice in actu voluntatis consistit, secus quantum ad beneficia oblata a Principe sub conditione operis onerosi; quamobrem licet coram Deo quantum ad præmium essentiale, perinde ac factum, voluntas illud peragendi, acceptetur, non tamen quantum ad accidentale = *Neque in beneficiis Principis voluntariis & sic conditionatis & modificatis* (inquit Lavorius *par.* 1. *cap.* 21.) *voluntas reputatur pro facto; voluntas enim coram Deo pro facto reputatur quoad essentiale præmium, quoad accidentalia præmia seu beneficia secus, etiam quoad homines*.

Objicies 3.° Ubi alicujus requisiti defectus Sacramenti Baptismatis receptionem impediret, votum satis esset ad participandum primarium ejus effectum, nempe gratiam sanctificantem; ut habetur *Cap. Debitum de Baptismo*; ubi legitur, Judæum quendam, qui seipsum in mortis articulo constitutum baptizaverat, ad cœlestem Beatitudinem evolasse, non quia Sacramentum illud rite suscepisset (cum nemo sibi illud valide possit ministrare) sed propter votum suscipiendi Baptisma. Votum ergo recipiendi Indulgentiam adjunctum impotentiæ peragendi opus præscriptum, sufficiet ad ejus fructum consequendum.

Resp. votum recipiendi Sacramentum Baptismatis secundum se consideratum non inducere effectum, qui tribueretur illud in re suscipientibus: idque confirmare votum recipiendi Indulgentiam, etiam adjunctum impotentiæ exequendi opus præscriptum non sufficere ad ejus fructum recipiendum. Diximus: *Votum recipiendi Sacramentum Baptismatis secundum se consideratum*, quia si haberet annexum actum contritionis vel charitatis cujuscunque peccati lethalis, gratiæ santificantis statum induceret. Et in hoc sensu dicit Innocentius III. in laudato Capite = *Si talis* (nempe Judæus, qui votum illud & cordis contritionem de peccatis conceperat) *continuo decessisset, ad cœlestem Patriam protinus evolasset*=hujusmodi enim

actus

actus metaphyficam incompoffibilitatem, dicit cum ftatu peccati, adeoque culparum lethalium remiffionem afferret.

Objicies 4.° Eft fatis commune ac vulgare proloquium: *Ad impoffibile nemo tenetur*, & ideo, dum quis impotens eft abfolute ratione vel infirmitatis, vel alterius impedimenti fupervenientis ad opus in Sacramentali Confeffione pro fatisfactione præceptum, non manet ad illud obligatus durante impotentia, quantumvis Sacramenti effectu minime fraudaretur. A pari ergo fuppofita impotentia ad opus injunctum in conceffionibus Indulgentiarum, adhuc poterit Chriftifidelis de illis participare. Et de facto recurrente anno Jubilæi, fi quis pro acquirenda Indulgentia Plenaria cum aliis favoribus adjectis, poft iter Romam verfus fufceptum, ea omnia opera, quæ in Jubilæo injungi confueverunt, perficere non poffet, impedimentum ex eo non oriretur ad affequendum id, quod in tam ampla Sedis Apoftolicæ conceffione confertur.

Refp. admittendo, impotentem ad opus ab ejus obligatione excufari, quatenus nec culpam contraheret, nec pœnam promereretur; ex hoc tamen inferri non poteft, præmium fub certa conditione propofitum affecuturum illum, qui injunctum onus non fubiret. Nec exemplum de fatisfactione Sacramentali probat oppofitum; fructus enim Sacramenti Pœnitentiæ prævie ad eam communicatur, nec a dicta fatisfactione tanquam a conditione neceffario & indifpenfabiliter obfervanda dependet. Quod de anno Jubilæi profertur, verum eft, quia expreffe Summi Pontifices declarant, iter Romanum aggreffos, impeditos tamen juftis ex caufis a vifitatione Ecclefiarum præfcripta, ab illius Indulgentiæ participatione nequaquam arcere; ut habetur ex fequenti forma in Bullis Jubilæi apponi confueta = *Quoniam evenire poteft, ut ex iis, qui hac de caufa iter aggreffi fuerint, vel ad Urbem fe contulerint, aliqui in via, aut etiam in ipfa Urbe, morbo, vel alia legitima caufa impediti, aut morte præventi, præfinito dierum numero non completo, ac ne quidem fortaffe inchoato, præmiffa exequi, ac Ecclefias & Bafilicas hujufmodi obire nequeant. Nos pie prompteque illorum voluntati, quantum in Domino poffumus, benigne favere cupientes, eofdem vere pœnitentes & confeffos, prædictæ Indulgentiæ & remiffionis participes perinde fieri volumus, ac fi Ecclefias & Bafilicas prædictas diebus a Nobis præfcriptis reipfa vifitaffent.*

Colliges 1.° ex dictis, non acquiri Indulgentiæ fructum omiffa parte notabili operis; forma enim, fub qua Indulgentia conceditur, eft indivifibilis, ficut eft de genere indivifibilium conditio: ita ut fcindi nequeat, fed abfolute & fimpliciter impleri debet *L. cui ff. de conditionib.* Verum fi ex concedentis intentione deprehenderetur divifibilitas, ut contingit in Urbani IV. conceffione pro recitantibus Divinum Officium in Octava Fefti Corporis Chrifti; aliter foret afferendum, quia tunc ficut tota Indulgentia toti operi, ita pars parti ejufdem correfponderet.

Colliges 2.° omittentem partem minimam operis injuncti, puta, unam vel alteram Salutationem Angelicam in Recitatione Rofarii B. V. Mariæ ex inadvertentia aut impotentia totum illud explendi, Indulgentiam percipere, quia parum pro nihilo reputatur.

Dices. Omiffa forma legis, actus corruit: ea quippe non impleta, tota res mutatur, & cenfetur abrogata, *per L. Jul. 9. §. fi quis rem ff. ad exhibendum & l. feia de Auro.* Quod intelligitur etiam, ubi forma non fervatur in minimis juxta Tiraquellum *de Retractat. Convent. §. 4. glofs. 6. num. 31.*

Refp. quidquid fit de Regulis allegatis ad forum contentiofum fpectantibus, eifque etiam admiffis citra ullam limitationem in foro fpirituali, & refpectu remiffionis pœnæ temporalis Deo debitæ pro peccatis, adhuc in cafu noftro nihil obftaret dictæ Indulgentiarum affecutioni: quia verum effet abfolute & fimpliciter operis injuncti conditionem impleri; dictat fiquidem ratio naturalis, quod minimum fit pro nihilo habendum. Infuper aliud eft, aliquid effe de integritate fubftantiæ, aliud de forma effentiali operis. Ob defectum partis minimæ, puta, unius Salutationis Angelicæ refpectu Rofarii, nihil ad illius formam fpectans deficeret, quæ fita effe videtur in meditatione Myfteriorum Chrifti & B. V. Mariæ.

Hic tamen adverte, minimam partem esse talem non secundum se acceptam, sed comparative ad totum opus injunctum; omissio enim unius vel alterius Salutationis Angelicæ, quam diximus non impedire assecutionem Indulgentiæ integrum Rosarium recitantibus concessæ, obstaret, si ea Indulgentia fieret pro recitantibus ter eandem Salutationem Angelicam, quia quanquam in se quid minimum esset, comparative tamen ad totum illud opus foret pars notabilis.

ARTICULUS III.

An Opus Injunctum in Indulgentiarum Concessione possit per alium impleri?

SI Indulgentiæ forma ita exprimeretur, ut opus injunctum adimplens posset vel ille, vel alter pro quo illud peragitur, Indulgentiæ fructum obtinere, ut in quibusdam antiquis concessionibus declarabatur, tunc citra dubium posset quis Indulgentiam per opus injunctum ab alio impletum lucrari, seu posset opus pro alio perficere, ut ille immediate Indulgentiam compararet. Non tamen verum esset, implentem opus injunctum posse operari pro alio ad lucrandam illi Indulgentiam, idest, ipsum operantem illam lucrari non sibi, sed alteri = *Si fieret sic Indulgentia* (inquit D. Thomas *dist.* 20. *quæst.* 1. *artic.* 5. *quæstiunc.* 3.) *ille qui facit, vel pro quo hoc facit, habeat tantam Indulgentiam, valeret ei pro quo fit: nec tunc iste, qui facit opus, daret alteri Indulgentiam, sed ille, qui Indulgentiam sub tali forma facit* = Aliud enim est, ut bene advertit Suarius *disput.* 52. *sect.* 7. *num.* 6. facere opus loco alterius, ut ille immediate Indulgentiæ fructum percipiat, aliud vero operantem Indulgentiæ fructum lucrari non sibi sed alteri.

Hinc colliges, falsum esse quod asserit Eusebius Amort. *in tract. de Orig. & progr. Indulg. in Quæstion. & Resolutionib. practic. quæst.* 38. ita sentiens, neminem alteri Indulgentiam vivorum posse applicare, ut ab hac regula antiquarum Expeditionum Indulgentias excipiat. Quanquam enim Indulgentiarum forma in antiquis Sacris Expeditionibus adhibita eos, qui usque ab bellum Sacrum proficiscerentur, vel eo milites propriis sumtibus alendos destinarent, complecteretur, alienum tamen erat a mente Summorum Pontificum milites alienis sumtibus ad bellum Sacrum missos Indulgentiam Plenariam pro mittentibus lucrari, cum utrique opus Pontificia Lege præscriptum vel proficiscendi, vel mittendi militem implerent, ac per consequens immediate Indulgentiæ Plenariæ beneficium obtinerent.

Dubium itaque in hoc Articulo examini committitur, quum formula, quæ nunc communiter usu recepta est, usurpatur = *Qui hoc vel illud opus fecerit, tantam Indulgentiam lucrabitur*.

Conclusio. Quærentes Indulgentiarum fructum percipere tenentur opus in earum concessionibus injunctum per se ipsos implere. Hanc Conclusionem defendunt Suarius in *Tom.* 4. *disp.* 52. *sect.* 7. Henriquez *lib.* 7. *cap.* 10. *num.* 5. Rodriq. in *Bulla Cruc.* §. 8. *num.* 14. Armilla verbo *Indulgentia num.* 19. relati a Passerino *qu.* 32. *num.* 258. aliique Doctores communiter.

Prob. In concessionibus Indulgentiarum præscribitur opus personaliter implendum; hoc enim indicant ea verba vel similia, quæ in Literis Apostolicis solent apponi = *Devote oraverint : Sacramenta susceperint : Ecclesiam devote visitaverint : Processioni interfuerint*. Porro opus ut personaliter implendum nequit fieri per alium, alias non purificaretur conditio juxta formam a concedente Indulgentias præscriptam. Ergo quærentes Indulgentiarum fructum percipere, obligantur per se ipsos opus injunctum implere.

Objicies. Cappellanus, aut Rector Beneficii non agit contra obligationem in Cappellaniæ authoritate Episcopi erectæ: aut in Beneficii fundatione impositam, celebrandi Sacrum, si ad hoc munus obeundum alium substitueret Sacerdotem: ut docent communiter Pontificii Juris interpretes, consone ad responsionem Sacræ Congregationis Concilii *ad cap. 6. de Reformat. sess.* 25. apud Garziam p.e 7.a *de Beneficiis cap. p. num.* 87. quæ anno 1572. in Parmensi censuit = *Episcopum non posse cogere obtinentem Cappellaniam, ut ipsemet celebret, licet in ejus fundatione dis-*

disponatur, *quod Rectores Beneficii celebrent*: *nam ipsis oneribus Missarum recte per substitutum satisfit*. = Ergo percepturus Indulgentiam faceret id, quod in earum concessione injungitur, si opus præscriptum per alium impleret.

Resp. institutionem hujusmodi Cappellaniæ esse Beneficium simplex, adeoque onus celebrandi Missæ Sacrificium in illius fundatione injunctum posse per se aut per alium impleri: nisi aliunde de personali obligatione constaret; Cappellanus enim inspicitur tanquam minister ad offerendum Missæ Suffragium, æque percipiendum vel a viventibus, vel a Defunctis, sive ab ipso, sive ab alio celebretur; quo circa non tam intenditur ab institutore Cappellaniæ minister eligendus, quin potius Missæ celebrandæ Suffragium: proindeque alterius Sacerdotis institutio ad id exhibendum prædictæ obligationi minime opponeretur. In concessione vero Indulgentiarum, dicimus, non intendi opus secundum se, sed prout ponendum ab eo, qui ejus effectu exoptat gaudere; alias minime impleretur juxta formam in Literis Apostolicis a Summis Pontificibus Indulgentias concedentibus præscriptam.

Pro hujus Articuli coronide observa, in sententia P. Andreæ Mohor Ordinis S. Francisci, quæ exponitur in libro inscripto: *Portiuncula Theologica*: Conclusionem propositam nequaquam Indulgentiam Assisii *Portiunculæ* nuncupatam comprehendere, cum ibi Doctor laudatus asserat, prædictam Indulgentiam per opus injunctum ab alio impletum posse obtineri: & pro fundamento praxim Christifidelium eam Ecclesiam visitantium adducens, inquit, = *Sacrista Assisiensis nonnunquam octo, novem, & decem millia testimoniorum impressorum tradidit iis, qui a viris Principibus, atque aliis missi fuere ad illud Templum, ut eam Indulgentiam lucrifacerent non sibi, sed illis, a quibus ablegati fuerant, appropriandam* = Mallem tamen ad illius sententiæ patrocinium efficacius argumentum afferri, quod sane non ex vulgi opinione constituitur, sed ex Pontificiis Diplomatibus aperitur.

ARTICULUS IV.

An per Opus venialiter peccaminosum ratione circumstantiæ impleatur obligatio de opere injuncto?

Opus injunctum cum sit ac dicatur quodcunque prærequisitum ab Ecclesiæ Prælatis pro acquirendis Indulgentiis, potest quandoque bonitatem, aut malitiam a circumstantiis sortiri. Circumstantiæ autem sunt in duplici differentia: aliæ quæ extrinsece & mere concomitanter se habent ad actum; & istæ non reddunt opus injunctum venialiter peccaminosum, nec fructum Indulgentiarum impediunt, ut dictum est *Cap. 8. Art. 2.°*: aliæ vero sunt accidentia seu conditiones ita extra illius essentiam, ut tamen quodammodo illud intrinsece tangant & afficiant, ac important ordinem convenientiæ ad rationem; quia sicut in ordine entitativo qualibet substantia creata præter perfectionem essentialem a forma communicatam & esse substantiale, aliam obtinet ex propriis accidentibus, ita in ordine morali actus, seu opus humanum præter bonitatem, vel malitiam essentialem ab objecto desumtam, aliam habere potest accidentalem a circumstantiis illud intrinsece afficientibus participatam: & hoc dupliciter. Primo ex voluntario perfecto, quum videlicet advertitur opus propter talem circumstantiam malum esse, & tamen voluntas ab ejus exercitio minime retrahitur. Secundo ex voluntario imperfecto, quando exercetur opus non advertendo ad malitiam circumstantiæ.

Per actum seu opus venialiter malum satisfieri obligationi de opere injuncto, propugnat Suarius *Disp. 52. sect. 6. num. 3.* = *Supposita*, inquit, *Potestate concedendi Indulgentias hoc modo, quoties in ipsa concessione nihil declaratur, sed tantum opus ipsum ex suo genere bonum postulatur, ita est interpretanda illa conditio, quia verba ipsa nihil amplius requirunt: & cum concessio favorabilis sit, ample est interpretanda, nec debemus adjungere onus, quod Dispensator non explicavit. Neque enim repugnat, tale*

opus fieri intentione sufficiente ad lucrandam Indulgentiam, & nihilominus admiscere tali operi circumstantiam aliquam moraliter malam, ut si quis oret animo lucrandi Indulgentiam, seu petendi & impetrandi quod Pontifex intendit, & nihilominus irreverentiam aliquam, vel distractionem admittat, ratione cujus, oratio peccaminosa fiat, saltem venialiter. Item si cum intentione illa habeat aliam peccaminosam, ut inanem gloriam & ostentationem, quæ non solum concomitanter se habeat, sed etiam influat in actum, ita ut communicet illi malitiam; non enim necessario excludit alteram intentionem, & consequenter non impedit, quominus conditio requisita ad Indulgentiam humano modo, & cum sufficienti voluntate impleatur = Idem asserunt Cardinalis de Lugo *disp.* 27. *nu.* 84. Palaus *tract.* 24. *puncto* 9. *num.* 5. Fillucius *tract.* 8. *cap.* 6. aliique, quos affert Passerinus *quæst.* 39. *num.* 352.

Alii Doctores tamen non adeo latam ingredientes viam finem Summi Pontificis Indulgentias concedentis attendunt, quasdam advertunt fieri posse Indulgentiarum largitiones, intuitu percipiendi subsidium temporale, vel ad hostes Christiani nominis conterendos, vel ad ædificanda & reparanda Templa, ad Cultum Christianæ Religionis Deo exhibendum, vel ad Hospitalia erigenda pro pauperibus alendis & ægrotis curandis: quibus acquirendis non obstare, docent, si opus injunctum mala circumstantia vitiatum sit: quasdam vero vel ad placandum Deum nostrorum criminum vindicem, vel ad Principum concordiam, vel Hæresum extirpationem impetrandam, posse ordinari, ad quas comparandas, opera undequaque bona requirunt. Ita Bellarminus *Lib.* 1.° *de Indulg. cap.* 13. Layman *lib.* 5. *tr.* 7. *cap.* 6. *num.* 4. Ysambert. *in Tom.* 3. *disp.* 6. *art.* 3. *quæst.* 1.

Conclusio 1.ª Per opus venialiter peccaminosum ratione finis, vel alterius circunstantiæ illud intrinsece afficientis ex voluntario perfecto volitum, non satisfit obligationi de opere injuncto. Ita Passerinus *Quæst. citata num.* 318. *& sequentib.*

Prob. Opus venialiter peccaminosum ratione circunstantiæ ex voluntario perfecto volitum ex malitia voluntatis exercetur, atque faciliter potest evitari. Imperceptibile autem est ita operantem dictam obligationem implere, spiritualique Indulgentiarum beneficio donari; hoc enim esset intuitu mali operis absolute, & simpliciter talis, quod faciliter posset evitari, a Summis Pontificibus Dispensatoribus Thesauri meritorum Christi & Sanctorum veluti remunerationem accipere. Cum ergo hoc alienum sit a Summorum Pontificum aliorumque Prælatorum mente, dicendum est, per opus ita venialiter peccaminosum ratione finis, vel alterius circunstantiæ intrinsece illud afficientis non satisfieri obligationi de opere injuncto.

Conclusio 2.ª Per opus venialiter peccaminosum ratione dictæ circunstantiæ ex voluntario imperfecto volitum, satisfit obligationi de opere injuncto.

Prob. Opus venialiter peccaminosum ratione circunstantiæ intrinsece illud afficientis, ex voluntario imperfecto volitum, non procedit ex malitia voluntatis & ex proposito, perfectaque deliberatione, sed ex infirmitate, vel naturæ imbecillitate, quæ licet hoc vel illud, non tamen quodcunque, gratiæ auxiliantis viribus communiter collatis, possimus evitare; quamobrem rationi consonum est, si dicamus, illud implendæ obligationi operis injuncti non obstare: quodque ita Summi Pontifices, aliique Ecclesiæ Prælati substantiam operis exigant, ut non obligent ad circunstantias prædictas & modos ejusdem = *per exclusionem* (ut verbis utar Passerini) *etiam omnis imperfectionis in agendo, quæ proveniat ex ignorantia vel inconsideratione, vel non attentione leviter culpabili, vel ex circunstantia leviter mala quomodocunque ex imperfecta voluntate, & libertate aut imperfectione.*

Objicies contra primam Conclusionem. Circumstantia mala ex perfecto voluntario volita opus præceptum inficiens, non tollit, quin illud impleatur. Reus enim culpæ ob quadragesimale jejunium non impletum non esset reputandus is, qui ita a vetitis cibis abstineret, ut jejunio inanis gloriæ finem apponeret. Insuper opus factum cum illa circumstantia venialiter mala Deo placere potest: ideoque præmium ab eo obtinuisse compertum est; habetur enim Exodi 1.° Deum remunerasse Obste-

tri-

trices Ægiptiacas propter servatos incolumes Hebræorum masculos, quantunvis id a circumstantia mendacii minime potuisset excusari. Ergo per opus mala circumstantia vitiatum impletur obligatio operis injuncti ad Indulgentias acquirendas.

Resp. per jejunium etiam factum ex fine inanis gloriæ impleri præceptum, quod est de actione illa quantum ad substantiam considerata: secus vero obligationem pro acquirendis Indulgentiis, quæ est de opere virtuoso; quod esse non potest, si habeat malam circumstantiam ex parte finis directe volitam. Ex quo vero Obstetrices Ægyptiacæ præmium aliquod receperint ob servatos incolumes Hebræorum masculos, non infertur, opera mala vel ratione finis vel alterius circumstantiæ intrinsece actum afficientis, Deo placere; plures enim & diversi actus in prædictis Mulieribus notandi sunt, timoris Dei: benevolentiæ erga populum Judaicum: & mendacii coram Pharaone prolati, ut absconderent veritatem, quod profecto concomitanter se habuit ad prædictos actus; ideoque quanquam timendo Deum, & amando populum Judaicum, remunerationem temporalem obtinuerint, non tamen propter mendacium, aut propter opus alias ex objecto bonum & ex circumstantia malum = *Obstetrices* (inquit D. Thomas 2. 2. *quæst.* 110. *art.*3. *in solutione ad* 2.m) *non sunt remuneratæ pro mendacio, sed pro timore Dei, & benevolentia, ex qua processit mendacium: unde signanter dicitur Exodi* 1.° *& quia timuerunt Obstetrices Deum, ædificavit illis domos; mendacium vero postea sequens non fuit meritorium*.

Dices. Sicut timor Dei aliquam dicit proportionem cum præmio a Deo obtinendo, esto per concomitantiam peccatum illud habuerit, ita opus injunctum ex objecto bonum proportionem dicit cum Indulgentia, quanvis accidentalem ex circumstantia reciperet malitiam. Ergo quemadmodum præmium fuit Obstetricibus collatum, propter timorem Dei, quin eidem obstiterit malitia mendacii, ita propter opus injunctum ex objecto bonum, esto ex circumstantia accidentaliter malum, potest Indulgentiæ beneficium obtineri.

Resp. exemplum illud timoris Dei solum evincere, actum venialiter malum, concomitanter se habentem ad opus factum animo acquirendi Indulgentiam, nihil officere, quin Indulgentia comparetur, non enim tale opus redderet malum. Cæterum opus mala circumstantia intrinsece vitiatum esset absolute & simpliciter malum. Nec verum est, opus illud esse absolute bonum substantialiter in sua linea morali ratione objecti, malum vero duntaxat accidentaliter ratione circumstantiæ, quandoquidem non attingeretur a voluntate sub ratione boni, sed sub ratione mali = *Voluntas* (inquit D. Thomas in 2. 2. *quæst.* 19. *artic.*7. *ad* 2.) *non potest dici bona, si sit intentio mala causa volendi; qui enim vult dare eleemosynam propter inanem gloriam consequendam, vult id quod de se est bonum sub ratione mali, & ideo prout est volitum ab ipso est malum; unde voluntas ejus est mala*.

Ex quo colliges, quomodo rejicias, quod posset objici pro sententia Bellarmini & aliorum, scilicet: Indulgentias concessas ob temporale subsidium in Ecclesiæ instaurationem, vel aliam causam piam impendendum comparari, etsi injunctum opus undequaque bonum non fieret; tale quippe opus aliqua circumstantia mala intrinsece afficeretur, nullamque proinde bonitatem moralem obtineret. Maxime quia Indulgentiæ non dantur pro operibus mere exterioribus, sed quatenus sunt virtutum exercitia; ideoque D. Bonaventura loquens de Indulgentiis olim pro porrigentibus manus adjutrices dari consuetis a Summo Pontifice in 4. *dist.* 20 *par.*2. *quæst.*4. *ad* 1.m *Non dat Indulgentiam* (inquit) *pro eleemosyna exteriori, considerans datam, sed fructum, videlicet quia a radice bonæ voluntatis procedit*.

ARTICULUS V.

Qua intentione fieri debeat opus injunctum ad acquirendas Indulgentias?

Percipi posse Indulgentias sine suscipientis intentione, si Summus Pontifex ob causam piam ac rationabilem, quæ per opus injunctum compleri non indigeret, absolute nullaque adjecta conditione Ecclesiæ Thesaurum meritorum Christi & Sanctorum

& Sanctorum, absolvens Christifideles a pœnis temporalibus, dispensaret, asserere non diffitemur; cum enim unus alteri possit suas satisfactiones applicare hujus rei penitus inscio, cur idipsum ex Ecclesiæ Thesauro præstare non poterit Summus Pontifex, etiamsi subditus de dicta applicatione nihil penitus cogitaret? Unde Passerinus *qu.38. nu.294.* = *Non est dubium*, inquit, *quod pœna potest remitti sine actu, & cognitione obligati ad pœnam: & Indulgentia ipsa etiam aliquando ita potest acquiri, ut si alicui concessum sit indultum, ut sibi a Confessario tribuatur Indulgentia tempore mortis, potest Confessarius et, qui jam est extra sensus, illam communicare*.

Aliter tamen dicendum est, ubi opus injungitur propter finem acquirendi Indulgentias. Ad quod clarius explicandum, observa, nomine intentionis hic non significari determinate voluntatis actum, qui fit efficax amor finis, unde provenit mediorum electio, sed generaliter voluntatis propositum sive deliberationem, juxta quam intentionis acceptationem ea, quæ ex proposito fiunt, peragi dicuntur ex intentione: ea vero quæ fiunt casu, fieri dicuntur præter intentionem; ut habetur ex Aristotele *Lib. 3. Ethic. cap.2* & *lib.6. cap.9.* Intentio autem prout nunc sumitur, alia est formalis, alia virtualis, & alia interpretativa. Formalis est, quando quis ita aliquod opus exequitur, ut per actum voluntatis explicitum illud velit ad aliud ordinare. Virtualis, ubi actus voluntatis ordinantis opus in finem ita præcessit, ut vel in opere incepto vel in mediis ad eundem finem ordinatis perseveret. Interpretativa, cum nullus actus absolutus de facto in operante existit nec influit, sed duntaxat illum esse interpretamur.

His observatis, Layman *lib.5. tract.7. cap.6. n.5.* Salas *de Legib. disp.17. sect.5.* Diana *part.5. tract.12.* Cardinalis de Lugo aliique apud Passerinum *quæst. citat. num.293.* admittunt intentionis necessitatem, ad peragendum opus injunctum in Indulgentiarum concessionibus requisitum; putant tamen sufficere duntaxat interpretativam generalem, per quam quilibet facere præsumitur actum, eo modo, & titulo, quo sibi utilior est, ut respondit Papinianus *L. cum ex pluribus in fine ff. de sol*; & dicunt Jurisperiti, Baldus in *Cap. quia verosimile de præsumt.* Cravera *consl.118.*

Nostra tamen Conclusio sit. Opus injunctum ad acquirendam Indulgentiam debet necessario fieri ex intentione formali vel virtuali. Ita Corduba *lib.5. de Indulg. q.25.* Rodriquez *par.1. Summæ cap.184. n.7.* Suarius *disp.52. sect.6. num.7.* Quintanadvenas *de Jubilæo Tract.8. dub.8.* aliique.

Prob. 1.° Opus injunctum ex se indifferens est, ut ad Indulgentiam acquirendam potius dirigatur, quam ad alium finem. Hæc enim est operis ex se indifferentis conditio, ut petat per aliud determinari; quamobrem sicut quia ablutio potest vel ad corporis sanitatem, vel ad opus Sacramentale ordinari, exigitur intentio Ministri, vel formalis, vel virtualis, ut fiat tanquam operatio propria Sacramenti Baptismatis, qua gratia primo regenerans nos in filios Dei adoptivos conferatur, ita, ut opus injunctum acquirendis Indulgentiis inserviat, prædicta intentio requiritur, qua ad hunc effectum ordinetur. Ergo Ecclesiæ visitatio cum fieri possit, vel ad audiendum Sacrum, vel ad alium finem obtinendum (idque servata proportione de cæteris operibus in Indulgentiarum concessionibus injunctis dicendum est) non sufficit eam utcunque fieri, sed fieri necesse est ex proposito assequendi fructum Indulgentiarum.

Dices. Ad determinationem operis injuncti pro Indulgentiis, sufficit intentio interpretativa; cordate siquidem eam adesse intelligimus, ex quo præsumimus, opus illud poni, eo modo quo agenti est utilius. Nec videtur hujusmodi intentio rejicienda. cum in aliis rebus a Juris Pontificii Interpretibus approbetur *Cap. Qui tacet de Regul. Juris in 6.*, quando agitur de causa alicujus, qui enim tacet, videtur consentire, quanquam nullum actum eliciat; atque ob id Matrimonia a Parentibus contracta pro filiis coram ipsis tacentibus, valida judicantur *Cap. Unicum §. final. de Dispensatione Impuber. in 6.°* propter consensum, quem jura præsumunt. Imo in pluribus aliis contractibus, promissis stare compellitur contrahens, propter consensum pariter præsumtum, etiamsi consensum internum se præbuisse negaret.

Resp.

Resp. actum, quo opus injunctum determinatur ad finem Indulgentiarum, oportere vere a parte rei in agente reperiri, alias prædicta determinatio necessario requisita corrueret. Porro actus interpretativus (ut communiter a Doctoribus declaratur) non in operante, sed in solo intellectu interpretantis existit. Rursus, actus pro tali ordinatione necessarius debet esse absolutus, ut valeat in opus influere. Actus vero interpretativus solum est conditionatus, quatenus ex suppositione quod opus injunctum exercens media Ecclesiæ visitatione, se percipere posse Indulgentiæ concessæ fructum, intelligeret, eundem profecto per expressam intentionem consequi niteretur. Itaque sufficienter constat; actum mere interpretativum non sufficere, ut opus injunctum factum a subdito determinetur ad acquirendas Indulgentias. Fatemur, quandoque jura actum internum, seu positivam intentionem propter taciturnitatem præsumere, saltem cum de utilitate tacentis pertractatur; maxime suppositis aliis circumstantiis occurrentibus, quæ ad hujusmodi præsumtionem fundamentum adjicerent, puta, ubi filiis tacentibus parentes contraherent. Cæterum si ea non esset filiorum voluntas, seu verus intentionis actus non eliceretur à filiis, legitimum non esset Matrimonium in actu secundo, nec ulla coram Deo contraheretur obligatio, esto tanquam legitimum verumque haberetur in foro Ecclesiæ; directio enim in finem debet esse actus voluntarius, qui proinde non debet ex aliorum præsumtione, sed ex propriæ voluntatis operatione regulari = *Voluntarium* (inquiunt PP. Salmanticenses Scholastici in *Tom.3.tract.10.disp.4.dub.1.* §.3.) *non dependet ex aliorum præsumtione, sed ex reali exercitio propriæ voluntatis: & ideo in ordine ad illos effectus, vel contractus, qui ex proprio voluntario dependent sicut dependet Matrimonium, præsumtio nihil operatur* = Quæ doctrina adeo vera est, ut etiamsi in nonnullis contractibus per ipsum Jus personarum consensus suppleri queat, illi tamen non erunt validi propter contrahentium consensum præsumtum, sed ob veram & realem voluntatem Superioris constituentis jus, cui in ordine ad prædictos effectus inferiorum voluntas omnino subjicitur, ac ea, quæ est superioris, tanquam inferiorum reputatur. Quanquam vero ea, quæ de nullitate contractuum propter consensum præsumtum, vera sint, potest tamen Judex humanus compellere contrahentes, ut eodem modo se gerant, ac si verus consensus adfuisset; etenim Jura humana, non tam debent attendere id, quod revera & coram Deo est, sed id quod esse humano modo perhibetur, ne detur locus simulandi internum consensum, aut dissensum, quorum certa atque infallibilis cognitio soli Deo scrutanti renes & corda reservatur. Ex quo habes, posse fortasse in foro exteriori interpretari atque præsumi, fieri ac determinari opus in ordine ad finem Indulgentiarum (puta si visitaretur Ecclesia die, qua Indulgentiæ Thesauro decoratur) reipsa tamen ita non esse, seclusa intentione formali vel virtuali, ac per consequens vere & realiter Indulgentiæ fructum in foro Dei nequaquam obtineri.

Prob. 2.° Ad obtinendam remissionem pœnæ temporalis mediis operibus pœnalibus necessario requiritur, ea fieri ex intentione formali vel virtuali dicti finis; unde dictum est *Cap.1. art.2.* peragentem opera pœnalia non sibi præstituto fine virtutis pœnitentiæ, nequaquam Deo satisfacere. Ergo ad acquirendam Indulgentiam certa pia opera perficientibus concessam, non sufficit utcunque ea fieri, sed necessario exigitur peragi ex intentione formali vel virtuali obtinendi Indulgentiam.

Objicies 1.° Unusquisque ex generali intentione propriam quærit beatitudinem; ut habetur ex D Augustino *Enarratione 2.ª in Psalm.32.* ideoque vult id, quod sibi melius est, ac præcipue quod removet impedimentum æternæ Beatitudinis possessionem retardans, cujusmodi est Indulgentia. Non ergo requiritur intentio formalis aut virtualis ad impledum opus injunctum pro Indulgentia.

Resp. generalem intentionem beatitudinis in communi non esse ex se aptam ad determinandum operantem, ut quotiescunque opus injunctum exequitur, velit illud ad Indulgentiarum finem dirigere; ea quippe applicabilis est ad opposita bona, ac non raro ex ea quærunt homines, quod sibi pejus est, quanquam appareat melius.

Objicies 2.° Injunctio operis pro Indulgentia

tia acquirenda est per modum præcepti. Quemadmodum ergo ad præceptorum observantiam satis esset actum quantum ad substantiam exhibere, citra intentionem formalem aut virtualem satisfaciendi præcepto, ita, ut expleatur obligatio peragendi opus injunctum.

Resp. opus injungi a concedente Indulgentias, nedum per modum præcepti, sed etiam per modum conventionis ipaciscitur enim quodammodo Prælatus cum subditis, ut si illud ex fine Indulgentiarum exhibeant, earundem fructum sibi comparent. Fieri autem opus nequit ob dictam causam sine intentione formali aut virtuali.

Objicies 3.° Suffragium alteri applicatum prodesse compertum est etiam inscio talis applicationis: idque verum est nedum quantum ad fructum ex opere operantis, verum etiam quantum ad effectum ex opere operato; ut patet in incruento Altaris Sacrificio. Idem ergo dicendum erit de Indulgentiæ concessione; Christi enim satisfactio per Missæ Sacrificium eodem modo nobis applicatur, ac per Indulgentias.

Resp. exemplum suffragii, & potissimum Sacrificii Missæ alteri applicati minime contra nostram Conclusionem urgere. Cum enim ad istud homo mere passive se habeat, sola requiritur passiva capacitas. Cæterum ad Indulgentiarum effectum sub conditione operis injuncti obtinendum, non se habent homines mere passive, sed active, & prout humano modo operantur: qui modus haberi non potest, nisi præcesserit actus voluntatis, quo effectus ille acceptetur. Quod exemplo remissionis culparum potest declarari; ut enim adultus gratiam sanctificantem atque culparum remissionem assequatur (juxta Providentiæ Dei ordinariæ legem) opus est, quod actum propriæ voluntatis eliciat, quo velit illam recipere, atque a peccatorum maculis purgari, ut non obscure docet Angelicus Præceptor 1 2 *quæst.* 113. *artic.* 3. *in corp.* = *Justificatio impii*, inquit, *fit Deo movente hominem ad justitiam*; *ipse enim est, qui justificat impium, ut dicitur Rom.* 3.° *Deus autem movet omnia secundum modum uniuscujusque, sicut in naturalibus videmus, quod aliter moventur ab ipso gravia, & aliter levia propter diversam naturam utriusque. Unde & hominem ad justitiam movet secundum conditionem naturæ humanæ. Homo autem secundum propriam naturam habet, quod sit liberi arbitrii; & ideo in eo, qui habet usum liberi arbitrii, non fit motio a Deo ad justitiam absque motu liberi arbitrii, sed ita infundit donum gratiæ sanctificantis, quod etiam simul cum hoc movet liberum arbitrium ad donum gratiæ acceptandum, in his, qui sunt hujus motionis capaces* = Porro sicut actus, quo acceptatur remissio culparum, non potest esse nisi intentio formalis aut virtualis, ita & actus quo acceptatur remissio pœnarum concessa a Prælato Ecclesiæ sub conditione operis peragendi ab eo, qui exoptat ex Thesauri Ecclesiastici dispensatione utilitatem sibi comparare, & sic Deo solvere quod debet pro pœna temporali = *Relaxatio*, inquit Passerinus *n.* 298. *quæ fit salva æquitate justitiæ, sicut fit per Indulgentias, nequit convenienter, & extra casum specialis rationis fieri, nisi debitore libere solvente & satisfaciente. Et sic qui vult lucrari Indulgentiam, debet intendere ex concessis sibi de Ecclesiæ Thesauro solvere Deo, quod debet*.

Objicies 4.° Summus Pontifex opus injunctum volens impleri, non requirit ab operante, quod hanc vel illam intentionem habeat: unde quanquam velit Christifideles orare ad iram Divinam placandam, attamen sicut illud peragens, licet hujus finis non recordaretur, adhuc Indulgentiam acquireret, ita licet nunquam menti occurreret, opus faciendum esse intuitu Indulgentiæ, adhuc posset ejus fructus percipere.

Resp. exigi intentionem orandi, vel aliud pium opus implendi ob Divinam ultionem arcendam, vel ob alios fines intentos a Summo Pontifice, qui in concessionibus declarantur. Nemo tamen anceps sit de percepto Indulgentiæ fructu, ex eo quod orando expresse non meminerit eorundem; hujusmodi enim fines injuncti implicite & virtualiter continentur in intentione faciendi opus pro acquirenda Indulgentia: ideoque si quis animum hunc habuit, implicite & virtualiter voluit fines, quos Summus Pontifex in Literis Apostolicis expressit.

Quæres. An is acquireret Indulgentiam, qui

qui ita opus injunctum & ex formali aut virtuali intentione perageret, ut alium etiam finem principalius intenderet, quo cessante dictum opus minime exerceret?

Corduba *quæst. citat.* inquit = *Si quis vadit ad Sanctum Jacobum, ad visitandum parentes principalius, & minus principaliter pro lucranda Indulgentia, sic scilicet, quod nonnisi pro visitandis parentibus tunc iret, non lucratur eam. Si autem e contra principalius pro lucranda Indulgentia, & minus principaliter pro visitandis parentibus, sic scilicet, quod nihilominus tunc iret, etiamsi non essent ibi parentes visitandi, tunc bene lucratur illam.*

Nos tamen respondemus affirmative cum Suario *sect. citat. nu.5.* quia etiam si quis esset promtus & paratus ad non implendum opus ad Indulgentias acquirendas requisitum, nisi ab alio fine moveretur, voluntatem tamen assequendi Indulgentiæ fructum medio tali opere non excluderet: illudque perageret; ac proinde haberet totum quod injunctum fuit a concedente Indulgentias; cum in concessione declaratum non fuerit, quod ea conditio principaliter, aut in solidum intenderetur: ut notat Suarius, neque a nobis addendum est sine majori fundamento. Cæterum hoc intelligendum est, dummodo finis principaliter operantis non esset malus, quia ex tali fine (ut in antecedenti Articulo dictum est) redderetur opus injunctum simpliciter malum, ac per consequens ineptum ad Indulgentiæ assecutionem.

ARTICULUS VI.

An per opus alias præceptum & alias debitum possit impleri obligatio de opere injuncto?

DUBIUM nullum est, quando Prælatus aliud non injungeret opus, quam alias præceptum pro acquirenda Indulgentia; non enim dubitamus Summum Pontificem posse jejunantibus in vigilia S. Matthiæ concurrente cum ultima die Bacchanaliorum Indulgentiam despondere: vel pro publica atque gravissima Ecclesiæ utilitate orantibus, ubi ex Lege Divina orandi necessitas urgeret, ut ad observantiam Divini præcepti facilius Christifideles induceret.

Nec communi huic doctrinæ Seraphicus Doctor adversatur in 4. *part.2. quæst.4. in resp. ad* 4. dicens = *In donatione Indulgentiæ .... consideratur, quod illud opus sit meræ voluntatis, non necessitatis &c.* = Ex quo infert Sylvester Verbo *Indulgentia num.*18. Indulgentiam fieri non posse pro remissione injuriarum. S. enim Doctor non utitur terminis eam potestatem negantibus, sed solum expendit ibi Ecclesiæ Disciplinam suo tempore observari consuetam dandi Indulgentias ob quædam pia opera externa, ad quæ alias homines non obligabantur; quod non probat justis atque rationabilibus caussis occurrentibus eas fieri non posse ob opera pia aliis titulis debita.

Cæterum, quod de facto expensis concessionibus, quæ fieri solent, percipi possit Indulgentia per opus alias debitum; quia Summus Pontifex ita opus pium injungit, ut non exigat, illud alio titulo non deberi, sentiunt Rodriquez in *Bulla Cruc.* §. 7. *num.*3. Layman *lib.5. tr.7. cap.* 8. *nu.*13. Sanctarellus *cap.*4. *dub.*10. & *cap.*7. *dub.*1. Bossius *sect.*4. *casu* 9. citati a Passerino *quæst.*41. *n.*327.

Nostra tamen Conclusio sit. Operibus alias præceptis satisferi non potest obligationi de operibus injunctis ad acquirendas Indulgentias: nisi aliud constet expresse de mente concedentis. Ita Passerinus *quæst. citat. n.*328.

Prob. Duabus obligationibus concurrentibus, quarum quælibet exigat actum quantum ad substantiam consideratum, nequit uno eodemque actu utrique obligationi satisfieri. Quod sequentibus exemplis declaratur. Si Petrus inito contractu cum Paulo decem aureos solvere teneretur, ac totidem ratione furti, nequit decem duntaxat eidem tradendo, utrunque debitum solvere; nisi fortasse aliunde ea solutio in relaxationem utriusque obligationis gratis & ex creditoris beneplacito acceptaretur. Insuper ubi Confessarius pro pœnitentiali satisfactione ad jejunium obligaret, minime posset juxta Ecclesiæ praxim ac Confessarii mentem, per abstinentiam ciborum aliunde tempore Quadragesimali debitam, illud præceptum imple-

ri; nomine enim poenitentialis satisfactionis opus supererogationis intelligitur, ut observant PP. Salmanticenses in *tract.* 24. *de Paenit. disp.* 10. *nu.* 63. cum communi Doctorum sententia, nisi aliud ex mente ipsius Sacerdotis intelligatur. Cum ergo obligatio in formis Indulgentiarum expressa sit de operibus quantum ad substantiam consideratis (dantur enim per modum onerum & per modum conventionum) nequit iisdem operibus ad implendam Divinam Legem vel Ecclesiasticam exercitis, alteri obligationi ad comparandam Indulgentiam satisfieri. Hinc obligatus ex voto ad visitandam Ecclesiam, nequit eadem visitatione Indulgentiam devote eam visitantibus concessam lucrari; ea siquidem visitatio Deo debetur ratione voti: ac proinde nihil ex ea remanet pro alia obligatione in ordine ad Indulgentiam, quamobrem si eam acquirere peroptaret, teneretur iterum Ecclesiam adire, eamque devote visitare. Insuper dans pauperi eleemosynam, quam debet titulo justitiae, non satisfacit obligationi indictae in Jubilaeis extraordinariis ad Indulgentiam Plenariam acquirendam; cum enim ea debitum justitiae solvatur, nihil in potestate solventis remanet, quo opus supererogationis exerceat.

Objicies 1.° Summus Pontifex nihil aliud vult fieri ad percipiendum Indulgentiarum fructum, quam opus pium in Dei honorem & Ecclesiae utilitatem redundans. Hoc autem obtinetur, sive opus illud alio titulo debitum sit, sive non. Ergo non opponitur menti concedentis, quod opere alias praecepto satisfiat obligationi de opere injuncto.

Resp. Summum Pontificem ut inplurimum opus injungere supererogationis, quod profecto dici non potest de eo, quod alias praeceptum est.

Objicies 2.° In Jubilaeis extraordinariis tempore Quadragesimali comparandis, non aliud exigitur jejunium, quam Quadragesimale ipsum, ab Ecclesiae praecepto requisitum. Ergo idem debet dici, ubi in eisdem Ecclesiae visitatio injungeretur, quanquam vel ratione voti, vel ex Confessarii praecepto alias deberetur.

Resp. quandoque, ut in exemplo allato jejunii, non aliud opus injungi ad Indulgentias acquirendas, quam quod cadit sub alio praecepto, hoc tamen vel expresse in Literis Apostolicis innuitur, vel ex circunstantiis occurrentibus deprehenditur. Caeterum non eodem modo discurrendum est per se & regulariter loquendo, cum nec acceptatio operis alias praecepti pro illis acquirendis declaretur, nec ex circumstantiis occurrentibus habeatur fundamentum ita interpretandi mentem Summi Pontificis concedentis.

Objicies 3.° Uno eodemque opere potest quis duplici praecepto satisfacere: sic Parochus in extremis subdito languenti Poenitentiae Sacramentum ministrans, & exequeretur id, quod praecipit virtus justitiae, atque etiam obligationem charitatis impleret: filius pariter patri indigenti eleemosynam tradens, & misericordiae simul & pietati consuleret. Ergo exercens opus in Indulgentiae concessione injunctum, alias debitum, utrique obligationi satisfaceret.

Resp. praecepta esse in duplici genere, quaedam, quae opera praecipiunt, non ipsa per se primo quantum ad substantiam, sed propter aliquam formalitatem in ipsis repertam, sicut se habent praecepta virtutum, quae postulant ex propriis rationibus actus sibi correspondentes exerceri: alia vero, quae non solam operis formalitatem, sed totam substantiam operis requirunt, & diversam seu repetitam si ex diverso formali motivo injungantur. Praecepta primi generis pluribus formalitatibus in uno opere repertis, uno eodemque opere ex diversis rationibus a potentiis, vel habitibus prodeunte, citra dubium possunt impleri: idque evincunt exempla ab Adversariis allata. Praeceptis vero secundi generis simul concurrentibus, uno opere nequit satisfieri; ita enim illud opus ab uno praecepto totaliter absorbetur, ut nihil pro alio implendo supersit.

Dices. Uno eodemque opere potest duplici debito satisfieri; opus enim, quod alias homo debet ratione praecepti, puta jejunium, potest esse simul solutio debiti poenae temporalis. Corruit ergo data distinctio praeceptorum de operibus peragendis.

Resp. ex dictis *Cap.* 1. *art.* 2. *pag.* 137. Unam simplicem debiti solutionem pro implenda duplici obligatione per se & absolute loquendo, nequaquam sufficere, bene tamen si eam creditor ex gratiosa liberalitate ad utriusque debiti solutionem acce-

acceptet: unum scilicet liberaliter remittens, pro alio verò congruam satisfactionem recipiens: & hoc modo se gerit Deus post infusam peccatori gratiam santificantem, ut opera alias præcepta, vel aliis titulis debita, tanquam satisfactoria debiti pœnæ temporalis admittat, ac si ex nullo alio motivo deberentur. Ut ergo paritas locum haberet, opus esset, voluntatem concedentis Indulgentias eodem modo se habere ad opera injuncta alias præcepta; quod certe Adversarii nec probant, nec possunt probare, imo ex ratione nostræ Conclusionis constat oppositum.

ARTICULUS VII.

An uno eodemque opere plures Indulgentiæ acquiri possint?

Affirmative dubio respondent Corduba *Lib. 5. qu. 35.* & alii DD. Apud Passerinum *quæst. 42. nu. 236.* eo ducti fundamento, quod possit quis eodem actu pluribus præceptis satisfacere. Verum cum hoc fundamentum in præcedenti dubio fuerit eversum, idcirco huic sententiæ non possimus subscribere.

Conclusio itaque nostra est. Implentes semel opus, quod pro pluribus Indulgentiis concessis diversis viis idem injunctum est, non possunt eas omnes simul comparare. Ita Suarius *Disp. 52. sect. 8. n. 9.* Palaus Conink & Bonacinna.

Prob. 1.° Nequit uno eodemque opere pluribus obligationibus, illud quantum ad substantiam requirentibus satisfieri, ut in *præced. artic.* dictum est. Ubi autem sunt diversæ Indulgentiarum concessiones idem opus requirentes, plures concurrunt obligationes. Ergo quemadmodum uno eodemque opere nequit duplex onus Sacramentalis satisfactionis impleri, ita nec duplex obligatio operis injuncti, in diversis Indulgentiarum concessionibus adjecta.

Prob. 2.° Opus injunctum exigitur pro complenda aut constituenda causa proportionata ad Indulgentias requisita. Idem autem numero opus pluribus causis applicatum, minorem singulis tribuit virtutem. Ergo plurium Indulgentiarum causas non poterit complere: ac per consequens ex vi illius semel impletum, nec plurium Indulgentiar. fructus poterit obtinere — *Loquendo regulariter* (inquit Suarius *Disp. 52. sect. 8. num. 9.*) *quoties plures Indulgentiæ conjunguntur in una persona diversis viis, idest, per distincta privilegia, aut diversa grana benedicta, opinor non comparari omnes uno actu, sed singulis actibus, quia unaquæque postulat talem actum applicatum ad talem finem vel effectum, ut causam saltem partialem talis concessionis. Idem autem actus finitus applicatus ad multa minor est in singulis; unde cæteris paribus non reddet proportionatam causam ad tot Indulgentias simul sumtas.*

Objicies 1.° Per unum actum potest quis diversas Censuras incurrere, puta Excommunicationis, & Suspensionis. Ergo in favorabiliaus, ut sunt Indulgentiæ, præsumitur, velle Summum Pontificem pluribus concessionibus hujusmodi gratiarum eundem actum cumulare; frustranea quippe foret secunda concessio, si nihil adderet præcedenti.

Resp. Censuram esse pœnam Ecclesiasticam reis inflictam, ut a contumacia resipiscant; unde duplici lata pœna, si aliquid hujusmodi absonum fiat, mirum non est, posse Christifidelem, uno scelere perpetrato, ob varias rationes pluribus Censuris irretiri. Cæterum cum distinctæ Indulgentiarum concessiones non formalitatem operis, sed substantiam respiciant, non poterunt Fideles eodem opere vel actu plures percipere; prima enim totum opus injunctum sibi fecit proprium, quia totum quantum fuit pro ea oportuit impendi, unde nihil remaneret, quod aliis posset correspondere.

Objicies 2.° Quando in una eademque concessione plures uniuntur Indulgentiæ, puta Stationum & Septem Altarium Basilicæ S. Petri, indubitatum est, eas omnes uno eodemque opere posse comparari. Pari ergo ratione, ubi plures earundem largitiones in eodem opere designando conveniunt, poterunt omnes obtineri per idem opus semel exercitum.

 Resp.

Resp. verum non esse, regulariter acquiri eas omnes Indulgentias simul, per hoc quod semel pium aliquod opus exerceatur, nisi aliud ex Literis Apostolicis deprehenderetur. Ita Suarius, qui postquam asseruit, Indulgentias diversis viis concessas eodem opere semel impleto non posse comparari propter rationem in nostra Conclusione expensam, subdit num. 11. -- *Atque hac ratio probat, idem esse dicendum, quando plures Indulgenta divisa in multis locis vel personis, conjunguntur in eodem loco vel persona per unam tantum concessionem novam: ut quando per Bullam Cruciatæ v.g. conceduntur omnes Indulgentiæ Urbis Romæ, intelligendum est enim concedi facultatem ad lucrandas omnes illas, non tamen omnes simul uno actu, nisi aliud constet ex tenore Bullæ.*

Objicies 3.° Concessis duabus partialibus Indulgentiis septem annorum pro determinata anni die jejunantibus, certum est jejunium implentes utraque potiri; simpliciter enim exhibetur, quod ab utraque concessione requiritur, nec est ratio, cur una potius quam alia comparetur. Idem ergo dicendum erit universaliter, ubi idem opus diversis ejusmodi concessionibus fuerit cumulatum.

Respondent Layman & Coninkus, jejunantem tali die eas omnes consequi Indulgentias: nec aliter putant præsumendum de mente Summorum Pontificum eas concedentium, cum eadem die nequeat jejunium iterari; idque universaliter docent, ubi per diversas concessiones Prælatus idem opus injungit, quod nequeat pluries exerceri. Hæc tamen responsio non placet Palao -- *Nam*, inquit, *esse opus injunctum iterabile vel non iterablie, impertinens est ad complendam causæ sufficientiam, si alioquin ex se non complet. Quapropter si ponamus jejunium complere sufficientiam causæ, quæ requisita est pro concessione unius anni Indulgentiæ, nequit certe juvare sufficientiam causæ pro alterius Indulgentiæ concessione.*

Resp. cum Passerino *Quæst.* 42. *nu.* 338. vel illæ plures Indulgentiæ datæ sunt ex certa scientia Summi Pontificis concedentis, propter jejunium eadem die peragendum: & tunc certum est earum fructum simul percipi unico jejunio; de mente enim concedentis præsumi nequit, quod aliam concessionem faciens velit inaniter operari: vel nulla supposita scientia ejusdem vel alterius Pontificis secundam concessionem facientis: & tunc non acquireretur utraque Indulgentia, neque locum haberet præsumtio de dispensatione, quæ nequit cadere super impedimento ignorato; ideoque jejunans unam duntaxat lucraretur, ad quam suam intentionem determinaret. Verum si unam præ alia non intenderet (quod videtur securius) ratione omnium simul eandem quantitatem acquireret, quæ uni ex illis concessionibus responderet. Quod verum etiam arbitramur, concessis variis Indulgentiis diversæ rationis pro alio quocunque opere non iterabili, puta si una sit septem annorum, alia centum dierum, cum hoc tamen discrimine, quod si unam præ alia non intenderet, eam, quæ est majoris quantitatis, compararet.

Quæres. Quid sit dicendum, si Indulgentia centum dierum concessa audientibus Sacrum, alia ejusdem rationis, vel diversæ pro persolventibus Divini Officii pensum daretur: an scilicet quis audiens Missam, ac simul Officium Divinum recitans utranque assequeretur?

Ex sententia Angeli verbo *feria nu.* 46. Rosellæ *Verbo Dominica* & Sylvestri Verbo *Missa* 2. *num.* 6. qui putant, audientem Missam, ad quam tenetur ex Ecclesiæ præcepto, simul eodemque tempore recitare non posse Horas Canonicas, ad quas pariter obligatur sub culpa mortali, cum ibi sint duæ obligationes, videtur dicendum, in eo casu acquiri non posse simul & semel illas duas Indulgentias.

Nos vero, qui cum Suario in *Tom.* 3. *in* 3. *par. disp.* 88. *sect.* 3. sentimus oppositum respondemus, utranque comparari, quia quemadmodum diversis temporibus quolibet ex dictis operibus expleto, dubium non foret percipi fructum utriusque Indulgentiæ, ita si utrunque eadem temporis duratione perficeretur: nec utrique concessioni causæ complementum deficeret,

ret, cujus intuitu pium opus adjicitur, hoc enim non ex varietate temporis, sed ex operis diversitate desumitur.

ARTICULUS VIII.

An sæpius opus injunctum peragens possit pluries sibi eandem Indulgentiam comparare?

Advertendum est, Indulgentias alias esse Temporales, alias vero Perpetuas. Temporales dicuntur, quæ dantur determinato temporis spatio percipiendæ: Perpetuæ verò sunt, quæ sine ulla temporis determinatione acquirendæ conceduntur. Potest tamen aliqua limitatio in hujusmodi Indulgentiis reperiri virtualiter vel implicite, v. g. in Personalibus; concessis scilicet determinatis personis, utpote quæ durant ad earum vitam, ideoque vitales pariter dici possunt. Item Locales quandam habent determinationem, loca enim, quibus annexæ sunt, ex pluribus causis dirui possunt. Majori perpetuitate gaudent Religionibus, Congregation. atque Confraternitatibus concessæ, quia continua successione perseverant. His positis

Conclusio sit. Indulgentia ad determinatum tempus præfinita nequit a sæpius peragentibus idem opus injunctum pluries obtineri: secus vero Perpetua; nisi aliter constet ex mente concedentis. Ita Suarius *disp.* 57. *sect.* 1. *num.* 4. Navarrus *de Jubilæo notab.* 15. *num.* 19. Palaus *tract.* 24. *pun.* 9. *n.* 16. aliique DD. communiter

Prob. 1.° authoritate D. Thomæ, qui in 4. *dist.* 20. *quæst.* 1. *art.* 3. *quæstiunc.* 2. inquit -- *Quandocunque Indulgentia ad determinatum tempus datur: ut cum dicitur, quicunque vadit ad Ecclesiam talem usque ad tale tempus, habeat tantum de Indulgentia, intelligitur semel tantum; sed si in aliqua Ecclesia sit Indulgentia perennis: sicut in Ecclesia B. Petri quadraginta dierum, tunc quoties vadit aliquis, toties Indulgentiam consequitur* -- Ergo ex mente D. Thomæ, Indulgentia ad determinatum tempus præfinita nequit a sæpius peragentibus idem opus injunctum pluries acquiri: bene vero Perpetua, nisi ex mente concedentis colligatur oppositum.

Prob. 2.° Conclusio quantum ad primam partem. Ea Indulgentiæ concessio apertissime demonstrat, non esse mentem concedentis, quod pluries acquiratur, juxta regulam illam -- *Sermo simpliciter prolatus in uno actu, & in una vice consummatur* -- *L. Dotis possessio ff. de Jure Dotis l. Boves §. hoc sermone ff. de verbor. signif.* Indulgentia igitur ad determinatum tempus præfinita nequit eodem opere injuncto sæpius impleto pluries obtineri. Quod si tempus pro hujusmodi Indulgentia comparanda ad duos vel plures dies amplietur, ideo est, ut Christifideles commodius ejus fructum percipiant: potissimum in Sanctorum Natalitiis, ad quæ tum ex finitimis, tum ex longinquis Regionibus conveniunt. Idque necessario dicendum est; qui enim Plenariam lucratur in prima Hebdomada, nequit iterum eandem lucrari in sequenti, sicut declarasse Sacram Congregationem Concilii super restrictione vel ampliatione Jubilæi extraordinarii testatur Filiuccius in *Tom.* 1. *tract.* 8. *cap.* 10. his verbis -- *Adverte, hoc mense Majo MDCXX. declarasse Sacram Congregationem Concilii, tantum semel acquiri Indulgentiam per Jubileum, & semel tantum absolvi quempiam posse: quare huic declarationi standum est*.

Prob. altera pars. Nullum adest rationabile fundamentum asserendi, Indulgentiam Perpetuam unica vice duntaxat ab unoquoque, quandiu vixerit, posse comparari, cum nullum pœnitus hujus limitationis aut determinationis vestigium appareat; unde Suarius *disp.* 57. *sect.* 1. *nu.* 7. inquit -- *Quando Indulgentia conceditur visitantibus locum pium sine differentia temporis, non est verosimile concedi unicuique homini pro una tantum vice in vita sua, quia neque verba id sonant, essetque nimia restrinctio; & ideo nunquam talia verba secundum communem usum in eo sensu accipiuntur. Si autem in prima vice non extinguitur uniuscujusque facultas, eadem ratione neque in secunda, neque in tertia, neque etiam possemus limitare illam, ut semel in anno, vel in mense, vel*

vel hebdomada concedatur, quia omnis limitatio hujusmodi voluntaria esset -- Ergo Indulgentia Perpetua potest a Christifidelibus idem opus injunctum sæpe peragentibus pluries obtineri.

Objicies contra primam partem Conclusionis. Indulgentia Plenaria anni Jubilæi pluries potest acquiri, 1.° quia Bonifacius VIII. in Extravaganti *Antiquor. de Pœnit. & Remissionib.* de iteratis Basilicarum SS. Petri & Pauli visitationibus loquens, ait -- *Unusquisque tamen plus merebitur, & Indulgentias efficacius consequetur, qui Basilicas ipsas amplius & devotius visitaverit* -- Ex quo infert Navarrus in *Commentar. de Jubil. & Indulgent.* exponens Bullam Gregorii XIII., Romæ commorantes posse duodecies dictam Indulgentiam percipere, si earum Ecclesiarum visitationes peragendas suscipe-rent, singulis diebus a die Vigiliæ Nativitatis Domini, qua Porta Sancta aperitur, usque ad sequentis anni vigiliam, qua eadem Porta clauditur. 2.° Indulgentia per integrum annum concessa cunctis diebus Dominicis Ecclesiam visitantibus pluries obtineri potest. 3.° quia in favorabilibus æquitas multum potest. Ergo ex quo Summus Pontifex indefinite eam Indulgentiam concedat, cum ea concessio ita accipiatur, ut æquivaleat universali, poterit quis Indulgentiam Plenariam Jubilæi anni Sancti pluries acquirere.

Resp. Intentum Adversariorum prima prob.^e non evinci; mens enim Bonifacii solum est, sæpius ac devotius dictarum Ecclesiarum visitationi vacantibus majus meritum, atque certiorem & efficaciorem Jubilæi fructum correspondere, si propter defectum dispositionum requisitarum, expleta trigesima visitatione, non fuisset tota ejus plenitudo comparata. Ad exemplum concessionis Indulgentiæ concessæ singulis diebus Dominicis per integrum annum, dicimus, ibi adesse dictionem universalem Indulgentiam distribuentem, juxta numerum earundem visitationum. Cæterum in Jubilæis aliisque Indulgentiis ad determinatum tempus concedi consuetis adesse dictionem distributivam pro personis, ut omnes & singulæ possint de Ecclesiæ Thesauri dispensatione gaudere, non vero dictionem universalem, quæ debeat distribui ad numerum hunc & illum visitationum, vel ad hanc & illam visitationem; & quanquam materia Indulgentiarum favorabilis sit (ut tertiæ probationi occurramus) tamen hoc verum est, quum non constat oppositum de mente concedentis: semel vero obtineri posse fructum hujusmodi Indulgentiarum perspicue eruitur ex formulis earundem de stilo Sedis Apostolicæ adhiberi consuetis.

Quæres. An quis repetendo intra eandem diem opus injunctum possit pluries eandem Indulgentiam vel in perpetuum, vel sine temporis determinatione concessam acquirere?

Paludanus in 4. *dist.* 20. *quæst.* 4. *art.* 3. -- *In perennibus Indulgentiis*, inquit, *quis lucratur quolibet anno, mense, die, sed pluries in die non videtur sensisse Pontifex, quia posset cedere in derisionem, quia non faceret homo, nisi ponere pedem, & exire, & redire* -- Idem tenet Nugnus *in supplem.* 3. *partis q.* 4. *artic* 1. *dub.* 3. Difficultatem non dirimit Suarius *sect. cit. num.* 7. affirmans, nihil in hac re posse esse certum, cum pendeat ex intentione concedentis.

Nos vero oppositum propugnamus; quanquam enim in Indulgentiar. irrisionem cederet, si quis eandem Indulgen. lucraturus centies aut millies E. G. Ecclesiam per tot vices visitaret, quia rationabiliter posset existimari, nolle concedentem per tot vices intra eandem diem pœnæ temporalis remissionem concedere; Fideles tamen citra irrisionis periculum pluries certa die eandem Ecclesiam prudenter ac religiosæ possent visitare, ibique Divinis interesse Officiis. Hisce autem visitationibus totidem Indulgentiæ correspondêrent, quælibet enim earum justam ac proportionatam causam concessionis compleret: cum ratio nequeat assignari, quare qnod de prima visitatione asseritur, reliquis sit negandum. Maxime quia nulla partialis Indulgentiæ superfluitas appareret; quandoque enim contingeret, post primam aut secundam visitationem aliquid de pœnæ temporalis reatu superesse, vel aliud dictæ pœnæ debitum contrahi post comparatam

In-

Indulgentiam per primam aut secundam visitationem; idque sentiunt D. Antoninus *par*. 1. *tit*. 10. *cap*. 3. §. 3. Turrecremata §. *Item in Levitic. artic*. 4. *num*. 3. Bologninus *de Indulg. nu*. 76. Trullench *in Bullam Cruciatæ* §. 6. *dub*. 3.

Diximus, pluries intra eandem diem acquiri posse Indulgentiam partialem vel in perpetuum, vel sine temporis determinatione concessam, repetendo opus injunctum; aliter enim dicendum est de Plenaria juxta modernum stilum concessa Ecclesias devote visitantibus, vel certa pia opera implentibus, tum ob Declarationem Sacræ Congregationis Indulgentiarum & Sacrarum Reliquiarum editam sub die 12. Martii anno MDCLXIX., ac insertam in Decreto de *Indulgentiis Apocryphis* tenoris sequentis = *Semel duntaxat in die Plenariam Indulgentiam in certos dies Ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus lucrifieri* = Tum quia, cum hæc Indulgentia ab Apostolica Sede concedatur *confessis & Sacra Communione refectis*; ne dicamus hujusmodi beneficio donari eos, qui eadem die pluries Sacramentali Communione reficiuntur (quod absurdum esse nemo non dixerit) dicendum est eam pluries intra eandem diem acquiri non posse.

Quæres 2.° An saltem quis Indulgentiam Plenariam cum facultate applicandi pro Defunctis certo die Ecclesiam visitantibus, vel aliud pium opus peragentibus concessam, possit semel pro se acquirere, deinde repetendo visitationem vel opus injunctum, Defunctis applicare?

Partem affirmativam tanquam probabilem sequitur Pater Viva *de Jubilæo quæst. 6. art. ultim.* relata siquidem prædicta Sacræ Congregationis Indulgentiarum & Sacrarum Reliquiarum declaratione, subdit = *Quare solum Indulgentia non Plenaria potest sæpius eodem die obtineri, & probiliter etiam Plenaria, si ea pro variis Defunctis applicetur, quando a Pontifice conceditur, quod possit applicari; tum quia sic nullus plurics eodem die Indulgentiam Plenariam lucrabitur; tum etiam quia, si in concessione Indulgentiarum non intelliguntur eæ concessæ pro Defunctis per modum suffragii, ut declaraverunt Sistus IV. & Leo X. apud Raynaudum Heterod. Spiritual. par. 2. sect. 2. punct. 2. num. 7. a fortiori dicendum, quod in revocatione Indulgentiarum, non intelliguntur revocatæ pro Defunctis, nisi fiat specialis mentio, cum revocatio sit odiosa atque adeo restringenda.*

Nos vero respondemus: fieri non posse, eam Indulgentiam percipi a viventibus, & simul applicari Defunctis, repetendo opus injunctum. 1.° Quia in hujusmodi concessionibus non est sensus copulativus, perinde ac Summus Pontifex duplicem conferat pro Ecclesiæ visitatione, aut opere injuncto Indulgentiam acquirendam, unam per modum absolutionis viventibus, per modum suffragii alteram: seu eam tam viventibus, quam Defunctis distribuat, sed disjunctivus; ita quod, implentes opus in Literis Apostolicis injunctum, Indulgentiæ Plenariæ beneficio donentur, ut si velint, possint eo non uti pro seipsis, sed ex charitate valeant animas in Purgatorio detentas adjuvare. Ergo Indulgentia Plenaria concessa cum facultate applicandi pro Defunctis, non potest quis pro se percipere, deinde repetito opere injuncto, ipsis Defunctis applicare. 2.° Ea Indulgentia, sive ad tempus sive citra temporis determinationem concessa, datur Fidelibus vel Ecclesiam visitantibus, vel aliud pium opus peragentibus sub conditione tam Confessionis, quam Communionis Sacramentalis sub hac formula: *Confessis & Sacra Communione refectis* = Itaque sicut nequeunt Christifideles, concessionis hujusmodi fructum pluries sibi comparare; quanquam iteratis vicibus Ecclesiam visitarent, vel aliud opus injunctum peragerent, cum nequeant pluries eadem die Sacra refici Communione, ita ob eandem rationem nec poterunt primo pro se lucrari Indulgentiam Plenariam, ac secundo Defunctis eandem applicare.

Hinc esto juxta sententiam Doctoris prælaudati verum esset, neminem in casu de quo agitur, Plenariam Indulgentiam eadem die pluries lucrari pro semetipso, adhuc tamen citra dubium esset, Plenariam certo die visitantibus Ecclesiam, vel aliud pium opus implentibus, pluries vere & realiter lucrifieri; a rite siquidem confessis & Sacra Communione refectis, pro se, & pro Defunctis eadem die quandoque acquireretur. Quod apertissime oppon-

ponitur Decreto prælaudato. Eo vel maxime, quod ibi nulla fit revocatio, sed duntaxat declaratio de concessione Plenariæ pro visitantibus certis diebus Ecclesiam, vel alia pia opera peragentibus, ac proinde etiam Defunctis applicabilem comprehendens.

Quæres 3.° An saltem pluries eadem die obtineri queat Indulgentia Plenaria, concessa hac Clausula: *Quoties id egerint*, vel *quoties Ecclesiam visitaverint, toties Plenariam Indulgentiam consequentur?*

Varia sunt super hujusmodi Indulgentia Authorum placita. Quidam enim negative respondent dubio, quia alienum arbitrantur a mente Summorum Pontificum Indulgentiam Plenariam intra eandem diem ob idem opus injunctum pluries expletum comparari: & potius Clausulam *Toties quoties* ad majorem expressionem dicunt esse adjectam, quam ad repetitam intra eandem diem dictæ Indulgentiæ concessionem. Alii vero ea verba *Toties Quoties* ad eandem diem referunt, quanvis certam non tradant regulam. Naldus de hac Clausula loquens inquit = *Non potest dari certa regula, quidnam operetur; nam aliquando importat idem quod frequenter seu multoties: quandoque semper & in omni casu: aliquando plus & minus juxta naturam ejus, cui adjicitur; unde eum in Cap. Omnis Episcopus 2. q. 6. dicitur: posse appellari quoties opus fuerit, intelligitur quod non possit tertia vice* = Hinc invaluit usus in pluribus Regionibus una eademque die sæpius adeundi eandem Ecclesiam animo pluries acquirendi Plenariam intra eandem diem ea Clausula concessam.

Cum in Sacra Congregatione Indulgentiarum & Sacrarum Reliquiarum hæc duo dubia generalia decidenda fuissent proposita 1.^m = *An quando in Brevibus legitur: Quoties Christifideles Ecclesiam visitaverint, vel quid simile, pluries Indulgentia Plenaria eandem Ecclesiam una die a visitantibus comparetur?* 2.^m *An idem dicendum sit, quando non solum in Brevibus legitur: Quoties Christifideles visitaverint; sed etiam quando additur: Toties Indulgentiam consequentur?* = visum fuit Eminentissimis Patribus dictæ Sacræ Congregationis hanc Doctorum controversiam Apostolicæ Sedis authoritate non dirimere: ideoque sub die 22. Februarii MDCCXVIII. responderunt = *Ad mentem, & mens est, quod nihil desuper statuatur*.

Quanquam vero in hac re, ob dictam Sacræ Congregationis Indulgentiarum & Sacrarum Reliquiarum Responsionem, nihil certo possimus definire, asserimus tamen probabilius esse, Indulgentiam Plenariam etiam ea Clausula concessam pluries intra eandem diem a Christifidelibus minime posse comparari; illæ enim dictiones *Toties Quoties* ad dies, non vero ad ejusdem diei partes referuntur; ita ut sensus sit: *Quoties recurrent tales dies, Toties Fidelibus, qui Ecclesiam visitaverint: Plenariam Indulgentiam concedimus*: adeoque quoties Christifideles Sacra Communione se refecerint, & Ecclesiam devote visitaverint, vel aliud hujusmodi pium opus impleverint, Plenariæ Indulgentiæ erunt participes. Refici autem Sacra Communione semel in die possunt Christifideles, non pluries; adeoque Indulgentia Plenaria concessa ea Clausula semel in die potest acquiri. Non leve pondus adjicitur nostræ rationi ex responsione Sacræ Congregationis Indulgentiarum & Sacrarum Reliquiarum, quæ sub die 27. Septembris anno MDCCXVII. proposito dubio = *An Fideles attento Brevi concessionis Innocentii XI. expedito sub die* 10. *Martii MDCLXXVIII. Conventui Fratrum Minorum de Observantia nuncupatorum Wejeropolis, sæpius in die Indulgentiam Plenariam lucrari valeant* = censuit *Unicam lucrari*: Verba autem dicti Brevis sunt = *Ac etiam illi similiter, si vere pænitentes & confessi, ac Sacra Communione refecti, viam captivitatis Christi nuncupatam, quæ ibidem ad dimensionem Hierosolymitanam, ut etiam accepimus, aptata est, peregerint, & in illa via diversa Sacella, in quibus Mysteria Passionis Domini nostri Jesu Christi repræsentantur, itidem devote visitaverint, & ut præfertur, oraverint, quoties id egerint, Plenariam omnium peccatorum Indulgentiam & remissionem misericorditer concedimus* = Idem pariter Alexandrum VII. declarasse de Indulgentia Plenaria a Sixto V. Constitutione incipiente *Laudemus viros gloriosos* §. 10. concessa: idque apparere ex Actis Sacræ Con-

Congregationis Rituum, testatur Abbas Michael AngelusRiccius in suis MSS.Tenor dictæ concessionis inConstitutione prælaudata est = *Postremo ut animabus quoque Christifidelium in Purgatorio existentibus, quæ per charitatem Domino nostro Jesu Christo unitæ ex hac vita migraverint, quæque antequam decederent, aliorum Christifidelium suffragiis juvari meruerunt, de cælestibus Ecclesiæ thesauris, quorum dispensatores a Domino ad animarum salutem constituti sumus, paterne subveniamus, Divina Miseratione confisi concedimus, ut quoties quilibet aliquod ex hujusmodi numismatibus secum habens, pro dictarum animarum salute, præmissa eorumque aliqua adimpleverit: vel quicunque alias Ecclesias, in quibus eadem numismata reponi contigerit, dictis Festis diebus Inventionis, & Exaltationis Sanctæ Crucis visitaverit, ipsæ animæ, pro quibus id fecerit, efficacissimis Jesu Christi Domini nostri meritis, ac ejusdem Beatæ Mariæ semper Virginis, Sanctorum Angelorum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, omniumque Sanctorum & Sanctarum precibus & intercessionibus suffragantibus easdem Indulgentias & peccatorum remissiones consequantur.*

Nonnullorum Doctorum Ordinis Minorum S. Francisci opinio fuit, excipi a lege, qua statuitur, Plenariam Indulgentiam non nisi semel pro una die obtineri posse, Indulgentiam illam toto Orbe celebrem, quæ visitantibus Capellam Portiunculæ intra Ecclesiam Sanctæ Mariæ Angelorum sitam concessa fuit pro die secunda Augusti ab Honorio III. nullo adjecto onere Communionis Sacramentalis = *Ecce concedimus*, (inquit Pontifex laudatus B. Franciscum alloquens) *quod quicunque venerit & intraverit Ecclesiam* Portiunculæ, *pro qua postulas, rite confessus & contritus, liberetur ab omni culpa & pœna* = Verum cum hoc difficultate non careret, atque in controversiam revocaretur, pro dubii solutione fuerunt preces porrectæ Sacræ Congregationi Concilii ut infra.

Episcopus Labacensis a parte Imperii Orator Devotus EE. VV. humiliter exponit, quod non obstante Decreto Innocentii XI. de Apocryphis Indulgentiis sub die 7. Martii MDCLXXVIII., quo declaravit, semel duntaxat in die Plenariam Indulgentiam in certos dies Ecclesiam visitantibus concessam lucrifieri, pergunt Fratres Ordinis Sancti Francisci Reformatorum Provinciæ Carniolæ Populo persuadere, Indulgentiam pro die secunda Augusti de Portiuncula nuncupatam, eorum Ecclesiam visitantibus concessam, toties quoties eadem die lucrifieri posse. Cum autem hujusmodi abusus ad Summum Pontificem ab Ordinariis deferri jubeat Sacra Congregatio Concilii Tridentini sess. 24. de Reform. cap.21. in Decreto de Indulgentiis; idcirco Orator quærit, & declarari petit: An præfata Indulgentia de Portiuncula nuncupata etiam comprehendatur sub Decreto, & Declaratione san. mem. Innocentii XI. supradicta? pro qua gratia &c.

Sub die autem 17. Julii MDCC. Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, audita relatione Procuratoris Generalis & Ministri Provincialis, censuit: *servandum esse solitum*.

Cæterum cum ex Decreto laudato nondum constaret, quid certo de ea Indulgentia sentiendum esset, idcirco sequens dubium memoratæ Sacræ Congregationi propositum fuit sub die 4. Decembris MDCCXXIII. = *An Decretum hujus Sacræ Congregationis editum die 17. Julii MDCC., quo dictum fuit: servandum esse solitum, ita sit intelligendum, ut Indulgentia acquiri possit a Christifidelibus a Vesperis Calendarum Augusti ad Vesperas diei sequentis, non semel, licet pluries intercedentibus requisitis Ecclesias Ordinis Sancti Francisci pluries visitaverint* = Eadem Sacra Congregatio respondit: *servetur solitum*.

CAPUT XI.

DE OPERIBUS INJUNCTIS IN PARTICULARI, SEU CONDITIONIBUS PRO INDULGENTIIS ACQUIRENDIS.

PLURA quæ in Superiori Capite tradi poterant, cum peculiaria opera injuncta respicerent, melius duximus in hoc Capite proponere. In quo non agemus quidem de omnibus & singulis operibus injunctis pro Indulgentiis acquirendis; hoc enim foret magnam aggredi Provinciam, sed de quibusdam usitatioribus duntaxat, quamobrem 1.° disserendum est de Ecclesiarum Visitatione. 2.° de Oratione. 3.° de Eleemosyna. 4.° de Jejunio. 5.° de Confessione Sacramentali & Communione.

ARTICULUS I.

De Ecclesiarum Visitatione.

ECclesiarum visitationem reprobavit Calvinus, negans Ecclesias ad orandum institui oportere: quasi efficacior sit oratio in uno loco quam in alio, jubente Christo, Fidelibus intrare in cubiculum, et Paulo monente in omni loco nos preces fundere apud Deum; ideoque in *lib.3. Institution. Cap.20. num.3.* inquit = *Ne secretam, nescio quam, Templis affingamus sanctitatem, quæ sacratiorem apud Deum orationem reddat, veram enim Dei Templa cum simus, ipsi in nobis oremus oportet in Templo Sancto suo, cum Deum volumus invocare. Illam vero crassitiem Judæis, ac Gentilibus relinquamus, qui præceptum habemus de invocando citra loci discretionem in Spiritu & veritate Domino* = A Calvino non discreparunt Magdeburgenses, negantes Ecclesias esse Dei habitacula, in quibus propius Christifidelibus deprecantibus aurem admovet.

Doctrina tamen Catholica est: Templa Deo dicata esse vere ejus habitacula, adeoque devote visitanda; non quod Deus aut in Templis includatur, vel certo atque determinato loco circumscribatur: ita ut alibi a Christifidelibus nequeat inveniri, juxta illud Actor.17. v.24. = *Deus qui fecit Mundum, & omnia, quæ in eo sunt, hic Cœli & Terræ cum sit Dominus, non in manufactis Templis habitat* = sed quod in illis sibi solum dicatis aut consecratis sua præsentia atque protectione specialiter assistat, ibique deprecantes gratiis atque favoribus cumulet, ut habetur de Judæorum Templo 3.° *Reg. c.9. v.3.* ubi ad Regem Salomonem expleta illius Templi Dedicatione dicitur in persona Dei = *Exaudivi orationem tuam, quam deprecatus es coram me: Sanctificavi Domum, quam ædificasti, ut ponerem nomen meum ibi in sempiternum: & erunt oculi mei ad cor meum ibi cunctis diebus* = & *Isaiæ 56. v.7. Adducam eos in montem Sanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ: holocausta eorum & victimæ eorum placebunt mihi super Altari meo* = Ad orationis commendationem fusæ potius ad Deum in Ecclesia quam domi, hæc habet D. Chrysostomus, vel quisquis sit Author *Homiliar. ad Pop. Antiochen. Homil. 79.* = *Et domi quidem orari potest, sic autem ut in Ecclesia non potest, ubi tanta patrum multitudo, ubi clamor ad Deum unanimiter emittitur. Non ita Dominum per te solum orans audieris, ut cum fratribus tuis; hic enim majus aliquid est, puta unanimitas & consonantia, charitatisque vinculum, & Sacerdotum orationes. Propterea nanque Sacerdotes præpositi sunt, ut multitudinis orationes, cum sint infirmiores, hisce potentiores adjungentes, pariter cum illis in Cœlum ascendant. Si nanque Petrum Ecclesiæ adjuvit oratio, & illum ex carcere catenam eduxit, quomodo tu ipsius potentiam contemnis? sicut enim charitatis virtus intervallo non arcetur, ita nec orationis efficacia: sed sicut illa inter se distantes conjungit, itidem & hæc procul positos plurimum adjuvare potest* = Hinc Estius eos redarguens, qui Deum ubique æqualiter Fidelium preces exaudire existimant, Probaticæ Piscinæ exemplo demonstrat, certo loco & tempore

pore non raro Deum gratias liberaliter impertiri = *Est autem*, ait, *locus Piscinæ Probaticæ objiciendus iis, qui Deum omni loco æqualiter exaudire, & miracula facere dicunt, ideoque certorum locorum visitationes infirmitati fidei adscribunt; cum hoc exemplum ostendat, non tantum certo loco, sed etiam tempore miraculum sanationis fieri solitum: ita ut, qui locum & tempus illud non observaret, sanitatem non consequeretur*.

Sanctitas loci, quem Deus habitare dicitur, Sacerdotum aliorumque Fidelium deprecantium societas, nec non alia, quæ in Ecclesia sunt, orantis devotionem adaugent. Adest nitor: splendet ornatus non vulgaris, quem zelus Divini cultus adhibet: Altaria sunt Aræ sacræ, in quibus nostræ salutis Author pro vivis & Defunctis immolatur. Hic proponuntur tabulæ Divina Mysteria aut Sacrorum exemplorum imagines exhibentes: hic Sanctorum intuemur Reliquias: parietes vero ipsi Deo dicati pietatem atque religionem spirant; ac dum Christum in patibulo Crucis extensum, flagellis cæsum, spinea corona redimitum: vel Sanctos Martyres, qui pro fide Christi sævissima supplicia fortiter sustinuerunt, inspicimus, criminum conscii ad culparum remissionem allicimur, ac infirmiores in fide ad constantiam roboramur atque confirmamur = *Determinatus* (inquit Angelicus Doctor 2. 2. *qu.*84. *art.*3. *ad* 2.^m) *locus eligitur ad orandum non propter Deum, qui adoratur, quasi loco concludatur, sed propter ipsos adorantes, & hoc triplici ratione. Primo quidem propter loci consecrationem, ex qua specialem devotionem concipiunt orantes, ut magis exaudiantur: sicut patet ex adoratione Salomonis* 3. *Reg.* 8. *Secundo propter Sacra Mysteria & alia sanctitatis signa, quæ ibi continentur. Tertio propter concursum multorum adorantium, ex quo fit oratio magis exaudibilis, secundum illud Matth.* 18. *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum ego in medio eorum*.

Ad promovendum cultum Deo & Sanctis, religionis ac pietatis officiis exhibendum in Ecclesiis (ut fusius *in* 2.ª *parte Cap.*1.° *artic.*1. dicemus) eas visitantibus Indulgentias largitur Sedes Apostolica, ut spe hujusmodi munerum excitati Cristifideles promte illos actus exerceant. Unde Ecclesiarum visitatio ad assequendum Indulgentiarum fructum debet esse devota, quanquam, in Literis Apostolicis nulla fieret mentio de hac conditione = *Quando conceditur Indulgentia* (inquit Suarius *disp.*52. *sect.*1. *num.*4.) *omnibus visitantibus talem locum* (*ut recte notavit Adrianus in* 4. *agens de Indulgentia*) *intelligendum id est de religiosa devota visitatione, quæ in Dei, vel Sanctorum honorem cedat* = & Eminentissimus Lambertinus in *lib.*2. *cap.*20. *nu.* 13. *de Servor. Dei Beatif. & Beator. Canonizat.*, inquit = *Indulgentia, quæ conceditur visitantibus Ecclesiam die Festo alicujus Beati vel Sancti, intelligenda est de religiosa visitatione, quæ fit ad colendum Deum non modo in seipso, verum etiam in Beato vel Sancto, cujus nomen expressum est in Brevi, sive in Bulla Indulgentiæ; sicuti probat textus in Extravaganti Antiquorum de Pœnitentiis & Remissionibus, ubi Bonifacius VIII. Indulgentias concedens visitantibus Basilicam Principis Apostolorum, sic inquit: ut autem Beatissimi Petrus & Paulus Apostoli eo amplius honorentur, quo ipsorum Basilicæ de Urbe devotius fuerint a Fidelibus frequentatæ* = Opus enim quod exigitur ad acquirendam Indulgentiam, debet esse opus honestum & pium; quia quodlibet aliud potius impediret, quam juvaret pœnæ remissionem. Ideoque etsi devota visitatio Ecclesiarum per se orationem non afferat, possitque citra illam exerceri: puta si quis ad Ecclesiam accedens ibi genuflecteret, aliaque signa Divini cultus exhiberet, tamen moraliter orationem aliquam importat, ut subdit Suarius laudatus = *Oportet ergo, ut accessus ad talem locum ex fide & religione procedat, fiatque ad colendum in tali loco Deum, vel in se ipso vel in aliquo Sancto, qui propter ipsum ibi afficitur honore; unde non videtur talis visitatio separabilis ab aliqua oratione & deprecatione, quæ in tali loco fiat, quanvis modus, seu quantitas ejus non determinetur, sed relinquatur arbitrio facientis*.

Hinc colliges, Fidelem, qui nec ex fide aut religione ductus Ecclesiæ fores ingre-

ditur, sed ad Templi structuram inspiciendam, vel ad hostiles incursus evadendos, aut ad confabulandum cum amico ibi existente, Indulgentiam minime lucrari; hæc siquidem non foret Ecclesiæ devota visitatio, cui tanquam præmium ex Summorum Pontificum liberalitate Indulgentiarum thesaurus promittitur.

Quæres 1.° An pro acquirenda Indulgentia Ecclesiam visitantibus concessa, operæ pretium sit, Fidelem eam ingredi, adeo ut etiam supposito impedimento ad ingressum, ante fores orare sufficiat?

Dubium procedit in casu, quo in Literis Apostolicis non injungatur expresse ingressus Ecclesiæ, aut opus quod per se postulet talem ingressum; si enim id vellet Summus Pontifex, certum est, non ingredientem Ecclesiam nullo modo injunctæ obligationi satisfacere.

Corduba *quæst.* 31. putat, Indulgentiam interessentibus Divinis Officiis in Ecclesia concessam, ab iis, qui extra Ecclesiam præsentes sunt, nec eam propter turbam ingredi possunt, comparari, quia sic videtur esse de mente concedentis in tali casu non excogitato.

Sed hæc ratio non placet Suario = *Quia* (inquit *disp.*52.*sect.*1.*num.*5.) *intentio præsumta non operatur in Indulgentiis, sed ea quæ per verba formæ sufficienter expressa est; unde ex communi sententia Doctorum, ut infra videbimus, qui non implet conditionem in ipsa concessione postulatam, etiamsi ob impotentiam illam omittat, non lucratur Indulgentiam, nisi talis exceptio in ipsa concessione fuerit expressa; in præsenti autem talis casus non fuit expressus, ut supponimus. Ergo si in eo non impletur conditio postulata in ipsa concessione, quanvis ob impotentiam omittatur, non obtinebitur Indulgentia.*

Nos vero respondemus, non esse necessarium ingressum Ecclesiæ pro acquirenda ea Indulgentia, non propter rationem a Corduba allatam, sed quia orans extra fores Ecclesiæ esset moraliter in illa, atque omnia, quæ ibi fiunt, saltem posset percipere = *Oratio sufficit* (ait Lavorius *par.*1.*cap.*18.) *quod sit facta intra vel extra Ecclesiam, ad quam orans ingredi non valet; quia existere prope fores Ecclesiæ, in eadem esse censetur*, *l. siquis Aquæductum Cap. de Contrah. Emption.* = & ideo ad Ecclesiæ ostium confugiens, esto illam non ingrederetur, gauderet Ecclesiasticæ immunitatis privilegio, nec inde valeret extrahi, in vita aut in membris pœnam subiturus.

Dices cum Glossa in *Clement.* 1. *de Reliq. & Venerat. Sanctor.* verba concessionis Indulgentiarum pro visitantibus Ecclesias sonant verum ingressum Ecclesiæ, adeoque omnes Fideles afficiunt volentes Indulgentiis ditari.

Resp. eas concessiones, quoscunque Fideles Ecclesias visitantes comprehendere. Porro, ut quis vere & proprie dicatur Ecclesiam visitare, requiritur, & sufficit, quod physice aut moraliter ibi sit præsens: seu quod ita sit extra illam, ut tamen ea, quæ in Ecclesia peraguntur, aut sensu percipiat, aut possit percipere; orans autem ante fores Ecclesiæ si sensu non percipit officia, quæ in Ecclesia peraguntur, potest ea percipere, adeoque est moraliter præsens.

Quæres 2.° An ad acquirendam Indulgentiam pro visitatione quinque, vel septem Altarium Ecclesiæ concessam, opus sit, visitantem se corporaliter movere de uno in aliud Altare: vel si hoc fieri necesse non sit, oporteat saltem se partialiter movere, vertendo faciem versus illud Altare quod quis intendit visitare?

Cardinalis de Lugo *disp.*27.*num.*99. de hac Indulgentia loquens inquit = *Non sufficit esse intra Ecclesiam, & animo converti ad tale Altare: imo etiamsi sit in loco apto, ut in medio Ecclesiæ, vellem tamen aliquo gestu, vel conversione capitis vel corporis significari conversionem animi ad singula Altaria: nam exigitur visitatio sensibilis, hoc est, talis actio, quæ exterius significet orationem fieri ad tale Altare* = Cardinali de Lugo subscribunt Pasqualigus *Quæst.* 88. *num.*4. & apud eundem Henriquez, Fernandez, Sà, Sanctarellus de *Jubil. Cap.*7. *num.*1, aliique.

Nos vero respondemus cum Palao in *Tract.*25.*punct.*5. *num.* 7. Diana *part.*5. *tract.* 12. *resolut.* 16. Quintanadvenas in *tract.*6. *dub.*5. *num.*10. aliisque, non esse necessarium motum corporis vel totalem vel partialem versus Altaria visitanda, pro acquirenda Indulgentia quinque, vel septem

ptem Altarium; quia ad Altarium visitationem satis est præsentia moralis, sicut mox de Ecclesiæ visitatione dictum est. Præsens autem est Altaribus in medio Ecclesiæ constitutus, vel in alio loco, si corde & intentione orationem suam versus Altaria dirigat, citra alium corporis motum vel totalem vel partialem.

Objicies. Visitatio Altarium sensibilem cultum debet importare, adeoque necesse est, sensibiliter cognosci ab inspicientibus, quodnam ex illis visitatur. Ergo oportet motum corporis in visitationibus Altarium adhibere; alias sensibiliter discerni non posset, quod Altare visitatur.

Resp. aliud esse requiri cultum sensibilem: aliud vero debere cultum sensibilem cognosci atque ab hominibus discerni. Primum est verum de cultu sensibili, qui optime potest exhiberi oratione versus Altaria directa; non tamen secundum, cum neque ex natura hujus Indulgentiæ, neque ex literis concessionis deprehendatur = *Quid interest* (inquit Passerinus *quæst.52. num.376.*) *quod ego sciam, quodnam sit Altare, quod Paulus visitat: & nunquid non potest prostratus super terram in signum humilitatis visitare Altaria? Visitatio importat cultum sensibilem pro quanto requirit sensibilem præsentiam ad Altare, & exteriora signa cultus, & unusquisque scit, quod qui est in loco, ex quo possunt audiri & videri, quæ fiunt in Altaribus, & ibi orat, aliquod ex Altaribus visitat, nec amplius requiritur.*

Quæres 3.° An quando pro Indulgentia injungitur quinque Altarium visitatio, possit ea percipi, si Ecclesia Loci unum duntaxat habeat Altare?

Respondemus, certam regulam de hoc tradi non posse, sed attendi debere verba Literarum Apostolicarum; etenim quandoque unius Altaris visitatio sufficit, quia exprimitur, ita Fidelem oportere quinque Ecclesias, vel totidem Altaria visitare, ut id possit per quinquies repetitam ejusdem Ecclesiæ, vel Altaris visitationem suppleri; ut in Bulla Cruciatæ his verbis = *Etsi ultra voluntaria jejunia, & pia opera prædicta, & preces prædictas etiam devote visitaverint, in loco ubi eos morari contigerit, singulis Quadragesimalibus & aliis anni temporibus, & diebus Stationum Almæ Urbis, & extra illius muros, quinque Ecclesias sive Altaria, seu si ibi tot Ecclesiæ seu Altaria non fuerint, quinquies unum vel unam, Altare seu Ecclesiam, precesque ad Deum similiter pro unione & victoria prædictis devote fuderint, omnes & singulas Indulgentias lucrari* = Quandoque vero requiritur distinctorum Altarium vel Ecclesiarum visitatio, ubi non apponitur ea clausula = *Si ibi tot Ecclesiæ seu Altaria non fuerint, quinquies unum vel unam Ecclesiam* = & tunc per idem Altare quinquies visitatum Indulgentia non perciperetur.

Quæres 4.° An quando datur indultum (ut in dicta Bulla Cruciatæ) quinquies Ecclesiam vel Altare visitandi, oporteat ad Indulgentiam comparandam multiplicare per tot vices visitationem?

Negat iteratæ visitationis Ecclesiæ vel Altaris necessitatem Passerinus *Quæst. citat. num.* 378. ad effectum comparandi Indulgentiam, quia ea ob nullum alium finem exigeretur, quam ut quis fieret præsens diversis vicibus Ecclesiæ vel Altari: ubi vero quis jam esset in Ecclesia, non oporteret egredi ab illa, ut iterum per novum accessum fieret præsens eidem; ideoque ut multiplex Ecclesiæ vel Altaris visitatio discerneretur, satis esset orationum multiplicatio = *Discretio*, inquit, *ita est sensibilis, si diuturnitas cultus & orationis tanta est, quod per illam potuit visitans multiplicasse orationes, quantum opus est* = Aliter tamen putat dicendum, si Ecclesiæ vel Altaris visitationes diversis diebus aut horis ejusdem diei essent implendæ.

Nos vero respondemus cum Pasqualigo *quæst.* 88. *num.* 8. ad eam Indulgentiam acquirendam oportere multiplicare visitationes Ecclesiæ vel Altaris per tot vices, quia juxta tenorem concessionis requiritur, Fidelem quinquies Ecclesiam vel Altare visitare. Qui autem semel Ecclesiam ingrederetur, vel ad Altare accederet oraturus, post diuturnam etiam expletam orationem, verum non esset, quod pluries, sed semel duntaxat Ecclesiam visitasset; multiplicitas siquidem visitationis non ex diuturnitate cultus & orationis, sed ex diversis accessibus ad Ecclesiam vel Altare desumenda est.

Di-

Dices. Hæc responsio non cohæret alteri mox traditæ dubio secundo, ubi dictum est, non exigi motum corporis totalem vel partialem versus quinque Altaria visitanda, ad eam Indulgentiam comparandam, nec postulari visitatio nem sensibilem diversam. Vel ergo corruit, quod ibi dictum est, vel necessaria non est multiplex sensibilis Ecclesiæ vel Altaris distincta visitatio ad eundem Indulgentiæ effectum percipiendum.

Resp. aliud esse loqui de visitatione quinque vel septem Altarium Ecclesiæ: aliud vero de quina ejusdem Ecclesiæ vel Altaris visitatione. Ut primum verum sit, sufficit, quod quis Ecclesiæ sit præsens, ibique suam orationem versus Altaria dirigat; vere enim sensibilem cultum diversis Altaribus exhiberet, ac proinde quinque Altaria visitaret. Ad secundum opus est, visitantem Ecclesiam vel Altare quinquies esse aut physice aut moraliter ibi præsentem; qui enim etiam plurium horarum spatio non interpolate sed assidue coram Altari oraret, non pluries sed semel duntaxat illi cultum exhibere diceretur.

Quæres 5.° An pro Ecclesiis, quæ injunguntur visitandæ ad Indulgentias acquirendas, sufficiat visitare Oratoria privata, ibique orare.

Diana *To.5. tract.12. de Indulgent. & Jubil.*, quærens = *An si quis visitet Oratorium in domo sua, pro Missa celebranda approbatum, lucretur Indulgentiam Bullæ Cruciatæ, cum onere visitandi Ecclesias vel Altaria concessam. Respondeo* (inquit Resolut. 43.) *Affirmative cum Ægidio Trullenck in expositione Bullæ Cruciatæ lib. 1. §. 6., ubi sic ait. Quæres primo, quid hic nomine Ecclesiæ intelligatur? Respondemus, intelligi Templa ad Divinum cultum dedicata, Monasteria, Hospitalia, Oratoria privata, tum etiam Eremitica, quia hæc omnia sub nomine Ecclesiæ absolute sumtæ comprehendi diximus; unde potest quis Indulgentias Stationum visitando Oratorium privatum lucrari, quia præsertim in favorabilibus censetur Ecclesia: unde cur nobilis visitando quinquies Oratorium suum ab Episcopo designatum & approbatum non lucratur hanc Indulgentiam? Quidam Junior limitat, quando talis vir est infirmus, vel in Oppido, in quo non sunt quinque Altaria; quam quidem limitationem rejiciendam censeo, quia, ut dictum est, Oratorium absolute loquendo, sub nomine Ecclesiæ comprehenditur. Cur ergo hic favor limitabitur?*

Nos vero respondemus cum Passerino *qu.54. n.385.* ad acquirendas Indulgentias pro Ecclesiis visitandis concessas, non sufficere visitationem Oratorii privati; quia nomine Ecclesiarum veniunt duntaxat Loca ex Ordinarii, aut alterius Superioris Ecclesiastici legitima authoritate, pro Christifidelium congregatione Divino atque perpetuo cultui ad Missarum celebrationem publico omnium usui consecratione vel benedictione deputata. Oratoria autem privata destinata non sunt ad universalem perpetuumque Dei cultum, sed ad unicam Missam celebrandam, non pro singulis vel anni diebus vel personis, sed pro quibusdam diebus atque personis alicujus familiæ; unde sicut nec immunitate Ecclesiastica aliisque privilegiis afficiuntur, quæ Ecclesiis conveniunt, ita nec spiritualibus Indulgentiarum muneribus. Aliud est dicendum de Oratoriis seu Cappellis sitis in Eremitoriis, Hospitalibus, Suburbiis, Prædiis, Agris, Hortis, dummodo legitima authoritate ad communem usum Missarumque celebrationem perpetuo sint destinata.

Quæres 6.° An in Ecclesiis nondum consecratis aut benedictis, in quibus nec Divina Officia recitantur, nec Missæ celebrantur, possint acquiri Indulgentiæ, quæ dantur visitantibus Ecclesias indefinite?

Respondemus, Indulgentias in prædictis Ecclesiis posse comparari. Ita Quintanadvenas in *tract.6. dub.2. num.4.* Vere enim & proprie hujusmodi Ecclesiæ gaudent immunitate Ecclesiastica, aliisque privilegiis, quæ competunt aliis locis vel consecratis vel benedictis; ut sentiunt Julius Clarus *disp. 3. quæst. 30. num.4.* Tuschus verbo *Ecclesia Conclus. 9. num. 8.* Sylvester *de Immunitate p. num. 3.* citans Paludanum & Hostiensem. Ergo pariter Indulgentiarum muneribus decorantur.

AR-

ARTICULUS II.

De Oratione.

ORATIO juxta commune veterum ac recentiorum Theologorum placitum a verbo *Oro* derivatum, quod petere significat, recte definitur a Damasceno quod sit: *petitio decentium a Deo*, quo & cum cæteris petitionibus, quæ orationes non sunt, convenit, atque ab illis per ultimas particulas discriminatur; definitur enim hic oratio in esse virtutis, qua sicut nemo potest male uti, ita nec indecentia a Deo postulare. Hinc D. Thomas in 4. *dist.15. quæst.4. art.1. quæstiunc.* 1. inquit = *Unde definitio Damasceni: Oratio est petitio decentium a Deo, verissime essentiam orationis declarat.*

In oratione sic explicata elucet cultus Deo præstitus; rogans enim eo ipso quod petit, non potest non humiliter Deum venerari, cujus potentiam, pietatem, atque supra cunctas creaturas excellentiam & superioritatem fatetur in ipso petitionis actu, quantumvis signate & reflexe id minime intendat; quamobrem Regius Psaltes *Psalm. 55. v.* 10. Deum alloquens inquit = *In quacunque die invocavero te, ecce cognovi quoniam Deus meus es* = quod & Martialis, de oratione profanis Gentilium numinibus exhibita, his carminibus canens expressit

Qui fingit sacros auro, vel marmore vultus.
Non facit ille Deos, qui rogat, ille facit.

Ex quo colliges, orationem esse actum a virtute Religionis elicitum cultum ac reverentiam in signum supremæ potestatis & excellentiæ Deo exhibentem; unde Eminentissimus Lambertinus in *Tom.3. de Servor. Dei Beatif. & Sanctor. Canoniz. cap. 25.* inquit = *Affectus orandi cum procedat ex motivo colendi Deum & ei offerendi mentem nostram, recognoscendo, & quasi per orationem protestando nostram apud Deum subjectionem, nostram indigentiam & dependentiam ab ipso: & e converso potentiam ejus, bonitatem ac providentiam erga nos, affectus hic sub hoc motivo est actus elicitus a Religione, cujus proprium munus est, cultum Deo reddere juxta D. Th. 2. 2. quæst.33. in princ. & in art.3. & quæst.81. art.5.*

His de oratione brevissime prælibatis, ut proximius ad institutum accedamus.

Quæres 1.° An pro acquirenda Indulgentia, quæ nonnisi orantibus, & hujusmodi pium opus injunctum peragentibus conceditur; necessario vocalis oratio requiratur, vel oratio mentalis sufficiat?

Prænotandum hic est, quid veniat nomine orationis mentalis; aliqui enim Doctores intelligunt rerum Divinarum contemplationem seu meditationem, quæ, ut Docet S. Thomas, vel simplicem rerum intuitum, vel etiam veritatis inquisitionem importat = *Contemplatio* (inquit *22. quæst.80. art.3. in resp. ad* 1.^m) *pertinet ad ipsum simplicem intuitum veritatis; unde Richardus dicit, quod contemplatio est perspicax & liber contuitus animi in veritatis inquisitione occupatus* = Hac autem certum est onus in concessionibus Indulgentiarum injunctum non impleri; ea enim oratio a Summis Pontificibus exposcitur, quæ est impetrativa, quod profecto simplici rerum Divinarum contemplationi aut meditationi convenire non potest. Rectius tamen intelligi post Damascenum potest, rerum decentium petitio a Deo, mente quidem & corde concepta, non ore.

Hanc itaque orationem mentalem sic intellectam arbitrantur Rodriquez in *Bulla Cruciatæ* §. 7. *num.* 2. Ludovicus a Cruce *in eadem Bulla disp.*1. *cap.*8. nequaquam sufficere ad implendum onus orationis in Literis Apostolicis Indulgentiarum injunctum.

Nos tamen respondemus, orationem mentalem ad id sufficere, ut volunt Lavorius *par.*1. *cap.*18. *nu.6.* Trullench *lib.* 1. *in Bullam Cruciatæ* §.6. *dub.*2. Cottonius *lib. de Controv.*11. *num.* 6. aliique; mentalis enim est vere & proprie, nec non valde perfecta oratio, ut habetur ex D. Hieronymo allegato in *Cap.Cantantes dist.*39. ibi = *Non vox, sed votum, non musica cordula, sed cor, non clamans, sed amans clamat in aure Dei* = Consensit D. Hieronymo S. Gregorius Papa *lib.* 12. *Mo-*

Moral. mentalem orationem vocali præferens = *Vera postulatio*, inquit, *non in oris est vocibus, sed in cogitationibus cordis; valentiores nanque voces apud secretissimas aures Dei non faciunt verba nostra, sed desideria; unde recte per Psalmistam dicitur: Desiderium pauperum exaudivit Dominus: præparationem cordis eorum audivit auris tua* = Maxime quia, oratio mentalis habet vim impetrandi a Deo ea, pro quibus preces in concessionibus Indulgentiarum injunguntur.

Verum, si Indulgentiam concedens expresse orationem vocalem injungeret, citra dubium in tali casu mentalis minime sufficeret. Illud tamen observatione dignum est, orationem vocalem, vel verbis ab Ecclesia institutis, vel suggerente devotione factam hujusmodi onus implere. Prior autem orandi modus melior est, ac alteri præferendus, quia (ut inquit Apostolus *ad Rom.* 8. *v.* 26.) *Quid oremus, sicut oportet, nescimus, sed ipse Spiritus Sanctus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* dictando & suadendo preces apud Deum fundendas; ideoque melius est, uti Psalmis & orationibus ab Ecclesia receptis quam aliis, quia in iis unctio Spiritus Sancti reperitur: & potissimum Oratione Dominica, in qua Deus suas voces agnoscens propriumque ac familiare idioma, in illo plurimum sibi complacet

Quæres 2.° An oratio injuncta in Indulgentiarum concessionibus debeat esse attenta?

Pasqualigus apud Passerinum *quæst.* 99. *numer.* 406. negat orationis attentæ necessitatem pro Jubilæo, putans sufficere, quod oratio ex intentione fundendi preces proveniat: idque intendere Doctores asserentes, esse necessariam attentionem virtualem; quia ad hoc ut oratio sit impetratoria, attentio necessaria non est; hoc enim duntaxat juxta doctrinam *D. Th.* 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 3. requiritur ad refectionem mentis.

Nos vero respondemus, orationem exactam ad Indulgentiam acquirendam debere esse attentam attentione vel formali vel virtuali, quia juxta communem Doctorum sententiam debet esse hujusmodi oratio pia & devota; hæc enim & non alia a Summis Pontificibus Indulgentias concedentibus exigitur. Devota quidem, quia debet esse actus virtutis Religionis ad colendum Deum ordinatus: pia verò, eum per eam Deo debita reverentia oporteat exhiberi. Porro oratio, quæ tum formali tum virtuali caret attentione, pia ac devota non est Nec Doctores, ut notat Passerinus, intentionem orantis eum attentione confundunt; intentionem enim dicunt, esse actum voluntatis, tendentem in finem tanquam in proprium objectum: attentionem vero actum virtutis intellectivæ respicientem verba, aut sonum vocum vel sensum verborum; unde ad orandum, dicunt, non sufficere quod quis intendat preces fundere, verum etiam debere ad illas saltem virtualiter attendere. Hine perperam Pasqualigus ad suæ opinionis patrocinium Angelici Præceptoris authoritatem affert ex 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 13. eum S. Doctor apertissime doceat in prælaudata authoritate, voluntarie in oratione ad alia divagatum, non ex negligentia, sed ex voluntatis deliberatione peccare = *Si quis ex proposito* (inquit) *in respons. ad* 3.^m *ex proposito in oratione mente evagatur, hoc peccatum est, & impedit orationis fructum; & contra hoc Augustinus dicit in Regula: Psalmis & Hymnis cum oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in ore. Evagatio vero mentis, quæ fit præter propositum, orationis fructum non tollit. Unde Basilius dicit: Si vero debilitatus a peccato, fixe nequis orare, quantuncunque potes te ipsum cohibeas, & Deus ignoscit, eo quod non ex negligentia, sed ex fragilitate non potes, ut oportet, assistere coram Deo.*

Quæres 3.° Quanta debeat esse oratio ad Indulgentiam comparandam, quando indefinite injungitur?

Consulto id quæritur: quando oratio indefinite injungitur; siquidem ubi concedens determinatas preces ad Indulgentiam acquirendam exigeret, quanquam aliam orationem recitare non sufficeret, etiam longiorem. Quod pariter dicendum est, ubi determinata temporis duratio in oratione insumenda præfiniretur, ut in Jubilæo extraordinario ab Alexandro VII. promulgato anno MDCLV., quo injuncta fuit oratio ut habenda per aliquod temporis spatium.

Robriquez in *Bulla Cruc.* §. 7. *num.* 3. Po-

Polacchus *sect.*42.*n.*57.Coninckus *disp.*12. arbitrantur, oratione notabiliter modica satisfieri non posse obligationi injunctæ in concessione Indulgentiæ: tum quia oratio notabiliter modica non est proportionata ad Summi Pontificis intentum: tum quia res minima tanquam nihilum reputatur.

Nos vero respondemus cum Suario *disput.*52.*sect.*8. *num.*5. Bonacinna *disp.* 6. *quæst.*1. *punct.*5. *num.*19. & Fillucio *tr.*8. *cap.* 6. *num.* 164. & 165. per orationem quantumvis modicam satisfieri prædictæ obligationi; oratio enim ad Indulgentiam comparandam requisita, potius ex devotione & fervore est attendenda, quam ex temporis diuturnitate = *Unicum Pater* (inquit S. Franciscus Salesius in *Introduct. par.*2. *cap.*5.) *devote dictum plus valet, quam multa festinanter & velociter repetita* = Eo vel magis, quia Summi Pontifices in Jubilæis, aliisque similibus concessionibus non ad unius vel alterius orationem respiciunt, sed ad iteratas plurium preces. Præterea satis est, singulos modicam orationem habere, cum ex eorum multitudine oratio perseverans atque apud Deum efficax consurgat; adeoque sufficiens juxta Summorum Pontificum aliorumque Prælatorum mentem ad Indulgentiam acquirendam. Et in hoc sensu verum est, quod Navarrus *Notab.*31. *n.*35. aliique docuerunt, tantam oportere esse orationem, ut ea censeatur, justam atque rationabilem causam constitui, atque compleri concessionis Indulgentiarum. Ex quo infert Trullenk *lib.*1. §. 6. *dub.*2. *n.*6. unicam Orationem Dominicam & Angelicam sufficere ad singula Altaria visitanda pro Indulgentia quinque Altarium. Et de facto aliam non requiri pro Indulgentia concessa a Paulo III. visitantibus aliquam Ecclesiam Societatis Jesu certa die a Præposito Generali designanda, habetur ex ejus Constitutione incipiente = *Licet Debitum*, edita anno MDIL. = ibi = *Omnibus & singulis Christifidelibus utriusque sexus ubilibet commorantibus, vere pænitentibus & confessis, seu temporibus a jure statutis confitendi propositum habentibus, qui aliquam Ecclesiam, aut alium pium locum dictæ Societatis semel singulis annis (præter annum Jubilæi) in die ab ipso dictæ Societatis Præposito eligenda, a primis Vesperis usque ad occasum Solis ejusdem diei inclusive, devote visitaverint, & inibi Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam recitaverint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam ac remissionem in forma Jubilæi, authoritate Apostolica, tenore præsentium, misericorditer concedimus & elargimur.*

ARTICULUS III.

De Eleemosyna.

DUPLICEM distinguunt Doctores eleemosynam, spiritualem nempe, & corporalem. Quanquam vero spiritualis corporali absolute antecellat ex pluribus capitibus, cedit nihilominus eidem in quibusdam casibus particularibus = *Dicendum* (inquit Angelicus Præceptor 2.2. *q.*32. *art.*3. *in corp.*) *quod comparatio istarum eleemosynarum potest attendi dupliciter. Uno modo simpliciter loquendo, & secundum hoc eleemosynæ spirituales præeminent triplici ratione. Primo quidem, quia id quod exhibetur, nobilius est, scilicet donum spirituale, quod præeminet corporali, secundum illud Proverb.* 4. *Donum bonum tribuam vobis, legem meam ne derelinquatis. Secundo, ratione ejus cui subvenitur: quia spiritus nobilior est corpore. Unde sicut homo sibi ipsi magis debet providere quantum ad spiritum, quam quantum ad corpus: ita & proximo, quem debet sicut seipsum diligere. Tertio, quantum ad ipsos actus, quibus subvenitur proximo: quia spirituales actus sunt nobiliores corporalibus, qui sunt quodammodo serviles. Alio modo possunt comparari secundum aliquem particularem casum, in quo quædam corporalis eleemosyna alicui spirituali præfertur, puta, magis est pascendum fame morientem, quam docendum: sicut & indigenti, secundum Philosoph. melius est ditari, quam philosophari, quamvis hoc sit simpliciter melius.*

Quando in Literis Apostolicis Indulgentiarum, opus eleemosynæ injungitur, Zenardus 1.a *parte Directorii Confess. de Sacram. Pænit. cap.*26. putat, per spiritualem obligationi ejusmodi posse satisfieri.

 Sed

Sed communiter hoc a Doctoribus improbatur; oppositum enim apertissime ex formis concessionum deprehenditur, quæ sunt tenoris sequentis = *Eleemosynas pro posse distribuant*, vel, *Pauperibus & indigentibus personis, aut Locis Piis eleemosynas erogent* = Hæc autem verba nequaquam de eleemosyna spirituali, sed duntaxat de corporali intelligenda sunt.

Dicta eleemosyna corporalis est opus, quo datur aliquid indigenti ex compassione propter Deum, ac proinde secundum se inspecta est actus virtutis misericordiæ, cujus propriissimus character est, inclinare ad subveniendum indigenti, proximique miseriam inspicere, ut eam auferat; quamobrem D. Thomas 2. 2. *quæst.* 32. *art.*1. *in corp.* inquit = *Dicendum, quod exteriores actus ad illam virtutem referuntur, ad quam pertinet id, quod est motivum ad agendum hujusmodi actus. Motivum autem ad dandam eleemosynam est, ut subveniatur necessitatem patienti; unde quidam definientes Eleemosynam, dicunt: quod Eleemosyna est opus, quo datur aliquid indigenti ex compassione propter Deum, quod quidem motivum pertinet ad misericordiam, ut supra dictum est. Unde manifestum est, quod dare Eleemosynam, est actus misericordiæ, & hoc apparet ex ipso nomine. Nam in græco Eleemosyna a misericordia derivatur, sicut in latino miseratio.*

Opus autem non est, pauperes, quibus hujusmodi officium impenditur, esse tales vere & realiter, sed sufficit, si sint præsumtive, quia ad misericordiæ virtutem non pertinet de vera egestate proferre judicium, sed sublevare duntaxat inopum miseriam, ubi signa paupertatis appareant.

Ob hanc ejus perfectionem non immerito inter cætera pietatis exercitia a Sede Apostolica ad acquirendas Indulgentias in forma Jubilæi pro gravioribus Ecclesiæ necessitatibus dari consuetas exposcitur, cum maximopere ad peccatorum remissionem conducat; ut habetur Ecclesiastici 3. v.33. = *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis* = & Job. 12. v. 8. = *Bona est oratio cum jejunio, & eleemosyna, magis quam thesauros auri recondere; quoniam eleemosyna a morte liberat, & ipsa est, quæ purgat peccata, & facit invenire misericordiam & vitam æternam* = Danielis pariter 7. n. 11. = *Peccata tua eleemosynis redime* = tandem Lucæ 11. = *Quod superest date eleemosynam: & ecce omnia munda sunt vobis* = Majori efficacitate ad id obtinendum pollere eleemosynam quam orationem, testatur Eusebius Emessemus his verbis = *Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & ipsa oxorabit pro te: orationibus autem & eleemosynis purgantur peccata. Per utranque ergo rem, sed maxime per eleemosynam* = Imo nedum supra orationem, quin & supra jejunium eleemosynæ virtutem exaltat D. Cyprianus ostendens, Deum nec orationibus aut jejuniis adhuc placatum, eleemosynis reddi propitium = *Mandat & præcipit Esaiæ Deus* (sunt verba S. Antistitis *lib. de Oper. & Eleemosyn.*) *exclama inquit; in fortitudine, & noli parcere: sicut tuba exalta vocem tuam, & annuntia plebi meæ peccata ipsorum, & domui Jacob facinora eorum: & cum peccata eis sua exprobrari præcepisset, cumque eorum facinora pleno indignationis impetu protulisset, dixissetque, eos, nec si orationibus, & precibus & jejuniis uterentur, satisfacere pro delictis posse, nec si in cilicio & cinere volverentur, iram Dei posse lenire: in novissima tamen parte demonstrans, solis eleemosynis Deum posse placari, addidit dicens: Frange esurienti panem tuum, & egenos sine tecto induc in domum tuam: si videris nudum, vesti eum, & domesticos seminis tui ne despicies. Tunc erumpet temporaneum lumen tuum, & vestimenta tua cito orientur, & præibit ante te justitia, & claritas Dei circumdabit te. Tunc exclamabis, & Deus exaudiet te, dum adhuc loqueris, dicet: ecce adsum. Remedia propitiando Deo, ipsius Dei verbis data sunt: quid deberent facere peccantes magisteria Divina docuerunt; operationibus nostris Deo satisfieri, misericordiæ meritis peccata purgari*

Quæres 1.° An eleemosyna pro dicta Indulgentia comparanda debeat esse trina sicut jejunium?

Respondemus, unam sufficere; unus enim actus sufficiens est ad verificandum, opus in-

injunctum impleri ex *Argum. text. si Boves §. hoc sermone ff. de Verbor. signif.* Etenim si Summus Pontifex vellet trinam fieri eleemosynæ largitionem, id profecto exprimeret, sicut de facto trinum poscens jejunium, hoc apertissime declarat. Et ita sentiunt communiter Doctores.

Quæres 2.° Quanta habeat esse eleemosyna ad dictum effectum obtinendum?

Respondemus, observandam esse formam concessionis Jubilæi, vel Indulgentiæ; etenim si in Literis Apostolicis ita opus eleemosynæ injungatur, ut in antiquis Bullis = *Quantum pro sua cuique facultate visum fuerit*, seu *eleemosynam pro posse distribuant* = debet fieri eleemosyna secundum cujuslibet personæ statum & conditionem: adeoque obolum, quod fortasse a paupere datum foret superabundans, diviti minime sufficeret; unde Cardinalis de Lugo *disp.* 27. *de Sacram. Pœnit. num.* 114. inquit = *Ea verba intelligi videntur de prudenti judicio regulato juxta rectam rationem, ut in simili explicat Panormit. cap.* 1. *de sequestrat. possession. & idem est secundum eundem in cap. de Judiciis, si dicatur Judici fac quod tibi videtur: intelligitur enim juxta rationem; unde Corduba de Indulgentiis quæst.* 27. *dicit, non satisfieri, nisi singuli dent juxta conditionem suam, Rex ut Rex, dives ut dives* = Cohærent huic sententiæ D. Bonaventura in 4. *dist.* 20. *quæst. ult.* Paludanus *qu.* 4. D. Antoninus *part.* 1. *tit.* 10. *cap.* 3. Navarrus *notab.* 31. & 37. relati a Passerino *Quæst.* 70. *n.* 455. Cæterum quamlibet minimam eleemosynam sufficere, asserere minime dubitamus, etiamsi ea non sit secundum proportionem quantitatum & redditutuum, si hæc forma, quæ nunc magis usitata est, apponatur = *Et eleemosynas ad libitum, prout charitas singulis suggesserit, fecerint*, vel *eleemosynas pro arbitrio suo fecerint* = quia Summus Pontifex in hujusmodi concessionibus principaliter intendit eleemosynam, prout est actus virtutis misericordiæ, adeoque aliud non requirit, quam tantæ quantitatis traditionem, quæ veram eleemosynam constituat. Et est sententia communis, quidquid in oppositum dicat Pasqualigus *quæst.* 133.

Quæres 3.° An pauperes ostiatim mendicantes, ut Jubilæi extraordinarii fructum percipiant, teneantur opus eleemosynæ injunctum implere?

Fernandez *part.* 3. *cap.* 7. §. 8. *num.* 3. Sanctarellus apud Dianam *par.* 5. *tract.* 12. *resol.* 15. & 31. hujusmodi pauperes eximunt a tali onere, eo ducti fundamento, quod ipsi nihil proprio statui superfluum possideant: imo fortasse necessariis ad propriæ vitæ sustentationem indigeant, eisque hoc opus moraliter reddatur impossibile; quamobrem hujusmodi conditio tanquam non adjecta censeri debet. Alias pauperibus ostiatim mendicantibus non suppeteret modus eam Indulgentiam lucrandi.

Respondemus, pauperes ostiatim mendicantes teneri ad dandam eleemosynam pro acquirenda Indulgentia Jubilæi extraordinarii. Impossibilitas enim exequendi opus injunctum obstat assecutioni Indulgentiæ, quia in hujusmodi concessionibus spirituale beneficium promittitur sub conditione operis onerosi; & ideo Passerinus *quæst.* 62. *num.* 421. inquit = *In gratuitis & dono datis non valet illa regula, quod conditio de se possibilis & impossibili huic vel illi non censeatur adjecta; Sanchez lib.* 3. *de Matrim. disp.* 4. *num.* 14. *Nisi forsan concedens, ex certa scientia donet ei, cui est impossibilis conditio: & habemus in proposito exempla clarissima, in jejunio impossibili infirmis, & visitatione Ecclesiarum impossibili Monialibus, carceratis &c. quos Pontifices, ubi volunt exceptos, id exprimunt; & nihilominus ab omni opere injuncto non eximunt, sed eis opera possibilia ab ipsis loco impossibilium imponunt. Ex eo igitur quod pauper aliquis non possit facere eleemosynam, non fit quod injunctio eleemosynæ non obliget* = Addimus, nullum aut fere nullum egenum aut mendicum reperiri, qui non habeat unum vel alterum obolum, in aliorum pauperum subsidium erogandum; ideoque admitti nequit, eam conditionem pauperibus ostiatim mendicantibus esse omnino impossibilem. Vide dicta *Cap. antec. art.* 2.

Dari eleemosynæ necessitatem etiam in pauperibus ad effectum acquirendi Jubilæum extraordinarium propugnat Bossius in *Tract. de Privileg. Jubil.* arbitratur tamen *sect.* 4. *casu* 121. pauperes huic obligationi satisfacere, si Confessarii eandem eleemosynam ipsismet pauperibus appli-

cent = *Puto etiam*, inquit; *quod satisfaceret pauper, si faciat sibi ipsi a Confessario eleemosynam, quam pro lucranda Indulgentia tenetur facere; nam sicut pauper, debitor rei incertæ, cum consilio, & authoritate Confessarii, potest sibi illam applicare, & tunc dicitur vere restituere: ita etiam dicitur facere eleemosynam, qui, cum sit pauper, authoritate Confessarii illam, quam facere tenetur pro lucranda Indulgentia, sibi applicat* = Quod approbans Zaccharias Pasqualigus *in Praxi magni Jubil.* subdit = *In tali casu pauper dat eleemosynam Confessario erogandam, cui placuerit, atque adeo quantum est de se largitur eleemosynam: Confessarius vero habens liberam potestatem elargiendi talem eleemosynam eroganti largitur, & sic vere salvatur, quod pauper largiatur eleemosynam* = Sed huic sententiæ minime subscribimus: sive enim pauper a Confessario sibi eleemosynam applicari postularet, quam pro acquirenda Indulgentia tenetur facere, ut vult Bossius: sive Confessarius eleemosynam datam sibi a paupere, cui placuerit tradendam, eidem conferret, nunquam verum esset; vere ac proprie fieri eleemosynæ largitionem; ad hanc enim necessario requiritur translatio dominii rei dandæ pro eleemosyna in alterum; & ideo, ut bene docet Lugo *disp. citat. num.* 112. si Dominus Œconomo committeret, ut daret eleemosynam, antequam ea pauperi traderetur, minime diceretur obligationi faciendi eleemosynam satisfacere; cum adhuc rei dominium in pauperem non esset translatum, sed adhuc esset penes Dominum, qui quandiu eleemosyna non est data, potest revocare mandatum. Porro, rei dominium in utroque casu adhuc esset penes pauperem, cum supponatur, quod Confessarius eam alteri pauperi minime conferret.

Quomodo autem possint se gerere Regulares in ordine ad hujusmodi Indulgentiam, qui ratione voti paupertatis, rerum temporalium dominium non obtinent, ac per consequens neque illud in alios transferunt, recte tradunt nonnulli Doctores: nempe quod data a Superioribus facultate retinendi aliqua ad honestos usus, possint de illis tenuem partem in pauperes erogare de eorundem venia tacita vel expressa. Quod si eleemosyna fieret a Superiore Monasterii nomine subditorum, tunc etiam Regulares Jubilæum lucrarentur, quanquam ex rebus ad proprium & peculiarem usum spectantibus nihil impenderent ad aliorum egestatem sublevandam; quia datum a conventu ab omnibus partialiter datum censetur. Quod sufficit ad dandam veram eleemosynam, eo modo quo, duo pro indiviso fundum habentes, si pauperi concederent, fructus ex illo percipere, vere eleemosynam præberent. Id tamen verum est, si subditis ipsis scientibus & volentibus fiat: alias ipsis ea moralis actio, quæ est eleemosynæ largitio, minime imputaretur; unde debent præmoneri a Superiore, de voluntate dandi eleemosynam eorum nomine.

Quæres 4° Quid esset dicendum, si Superior Regularis nollet nomine subditorum eleemosynam pauperibus tradere: neque illis veniam dare, ad hoc pietatis & miserationis officium exhibendum?

Bossius *Sect.* 4. *casu* 21. *n.* 14. Diana *par.* 5. *tract.* 12. *resol.* 31. putant, posse subditos in his casibus aliquid de Monasterii bonis accipere, ad implendum opus injunctum eleemosynæ; Superioris enim voluntas, inquiunt, censetur irrationabilis. Eo vel maxime, quia Regulares habent jus ad bona Monasterii juxta mensuram a regula taxatam, ideoque, eorum usu injuste denegato, possunt aliquid, ob honestissimum finem sibi Indulgentiam comparandi, alienare ex bonis communibus.

Sed hæc sententia opponitur Angelici Præceptoris doctrinæ, qui 22. *quæst.* 32. *artic.* 8. *in resp. ad* 1.^m tradit, citra casum extremæ necessitatis non posse Regularem sine licentia Superioris eleemosynam facere de bonis Monasterii = *Dicendum*, inquit, *quod Monachus, si habet dispensationem a Prælato commissam, potest eleemosynam facere de rebus Monasterii, secundum quod sibi est commissum; si vero non habet dispensationem, quia nihil proprium habet, tunc non potest facere eleemosynam sine licentia Abbatis vel expresse habita vel probabiliter præsumta: nisi forte in articulo extremæ necessitatis, in quo licitum est ei furari, ut eleemosynam daret. Nec propter hoc efficitur pejoris conditionis, quia sicut dicitur in Libro de Ecclesiast. Dogmatib.* Be-

Bonum est, facultates cum dispensatione pauperibus erogare, sed melius est pro intentione sequendi Dominum, insimul omnia donare, & absolutum sollicitudine egero cum Christo = Claudicat insuper hæc sententia, quia nec Superior, nec Monasterium tenetur ex justitia eleemosynam facere de bonis communibus, ut subditi Indulgentias lucrentur; qui enim sunt constituti sub alterius potestate, jus non habent ad quencunque actum supererogationis animæ utilem exercendum, cum alia opera possint peragere magis meritoria, quam acquirere remissionem pœnæ temporalis per Jubilæum obtinendam = *Dicendum* (inquit D. Thomas *in 4. dist. 20. art. 3. quæst. 2. ad 2.m*) *quod quamvis hujusmodi Indulgentiæ multum valeant ad remissionem pœnæ, tamen alia opera satisfactionis sunt magis meritoria respectu præmii essentialis, quod in infinitum melius est quam dimissio pœnæ temporalis.*

Dices. Summus Pontifex Indulgentiam concedens, videtur Regularibus conferre facultatem ad faciendum ea, quæ pro acquirenda Indulgentia injuncta sunt; est enim Prælatus omnium Regularium, qui dans facultatem ad finem, eam pariter dare censetur ad media necessaria, sine quibus finis nequit obtineri; ac proinde cum eleemosynæ largitio sit medium necessarium ad lucrandum Jubilæum, negante Superiore Regulari veniam ad dandam eleemosynam subdito pro Indulgentia, nec nomine conventus id præstante, illam Summus Pontifex dare censetur.

Resp. falsum esse, Summum Pontificem ob Jubilæi concessionem veniam Regularibus personis impertiri ad dandam eleemosynam ex bonis Monasterii, invito Superiore. Alias possent Regulares ob eandem rationem domo exire, ut Ecclesias visitarent in Jubilæi concessione destinatas; quod profecto vergeret in maximum Regularis disciplinæ detrimentum. Mens ergo Summi Pontificis est, concedere Jubilæum sub conditione eleemosynæ, visitationis Ecclesiarum, & jejunii; per hoc vero facultatem non tribuit Regularibus, vel aliquod minimum imaginarium jus ad pecuniam a Superiore habendam.

Resp. itaque dubio proposito, tum ut voto paupertatis, tum ut Jubilæi perceptioni consulatur, petendam esse a Regularibus in hoc casu, commutationem injunctæ eleemosynæ in aliud pium opus æquivalens a Confessariis (quod pariter, de pauperibus aliisque personis non habentibus, unde possint eleemosynam ad sublevandam egenorum inopiam conferre, dicendum est) quia Sedes Apostolica ne ob impotentiam explendi opera injuncta, maneant Fideles amplissimo Jubilæi munere destituti, hanc facultatem solet adjicere in Jubilæi Diplomate, ut possint Confessarii opera ipsa injuncta in alia commutare, quod ex sequenti clausula in ipsis de stilo apponi consueta deprehenditur = *Regularibus personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscunque, tam Laicis quam Ecclesiasticis, Sæcularibus vel Regularibus, etiam in carcere aut captivitate existentibus, vel alia corporis infirmitate, seu alio quocunque impedimento detentis, qui supra expressa, vel eorum aliqua præstare nequiverint, ut illa Confessarius ex jam approbatis a Locorum Ordinariis ante præsentium publicationem, seu approbandis, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque injungere, quæ ipsi pænitentes efficere poterunt, pariter concedimus & indulgemus.*

Quæres 5.° An de bonis illicite acquisitis fieri possit eleemosyna pro Jubilæo?

Ad difficultatis solutionem observandum est cum D. Thoma *2. 2. qu. 32. art. 7. in corp.* tribus modis aliquod dici posse illicite acquisitum. 1.° quando persona super re nullum assequitur verum dominium, sed ei debet fieri restitutio, a quo injuste fuit ablata, ut pretium ex furto vel usura proveniens. 2.° si aliquid nequeat retineri, non quia contra justitiæ leges acceptum, sed quia Juri Divino opponitur, de quo habetur Matthæi 10. v. 8. = *Gratis accepistis, gratis & date* = ut esset pretium simoniacum. 3.° quia opus, unde provenit pretii acquisitio, malum est, ut lucrum ex meretricio = *Tripliciter* (inquit S. Doctor) *potest aliquid esse illicite acquisitum. Uno enim modo id, quod illicite ab aliquo acquiritur, debetur ei, a quo est acquisitum, nec potest ab eo retineri, qui acquisivit: sicut contingit in ra-*

rapina & furto, & usuris. Et de talibus, cum homo teneatur ad restitutionem, eleemosyna fieri non potest. Alio vero modo est aliquid illicite acquisitum, quia ille quidem, qui acquisivit, retinere non potest, nec tamen debetur ei, a quo acquisivit; quia scilicet contra justitiam accepit, & alter contra justitiam dedit: sicut contingit in simonia, in qua dans & accipiens contra justitiam Legis Divinæ agit. Unde non debet fieri restitutio ei, qui dedit, sed debet in eleemosynas erogari; & eadem est ratio in similibus, in quibus scilicet datio & acceptio est contra legem. Tertio modo est aliquid illicite acquisitum, non quidem, quia ipsa acquisitio sit illicita: sed quia id, ex quo acquiritur, est illicitum, sicut patet de eo quod mulier acquirit per meretricium: & hoc proprie vocatur turpe lucrum; quod enim mulier meretricium exerceat, turpiter agit, & contra Legem Dei: sed in eo quod accipit, non injuste agit, nec contra legem. Unde quod sic illicite acquisitum est, retineri potest, & de eo eleemosyna fieri.

Hac itaque præmissa observatione respondemus, de illicite acquisitis primo modo fieri non posse eleemosynam ad acquirendam Indulgentiam; quia eleemosyna fieri debet ex propriis, ita ut in pauperes rei datæ transferatur dominium; unde dicitur Isaiæ 18. v. 7. = *Frange esurienti panem tuum* = & Proverbiorum 3. v. 9. = *Honora Dominum de tua substantia* = Quæ autem ex furto vel ex usura proveniunt, furantis aut usuram committentis propria non fiunt, nec aliis liberaliter donari possunt, sed juxta commune Theologorum assertum urget obligatio ea restituendi personis, a quibus furto vel usura sublata sunt.

Nec contra hanc responsionem militat Christi authoritas Lucæ 19. v. 9. = *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis* = quæ male intellecta furandi occasionem præbet = *Hoc verbum* Domini (inquit D. Augustinus *serm. de Verb. Dom.*) *quidam male intelligendo rapiunt res alienas, & aliquid inde pauperibus largiuntur, & putant se facere, quod præceptum est* = genuina enim hujus authoritatis interpretatio est ea, quæ traditur ab Angelico Præceptore in *art. mox cit in resp. ad* 1.^m his verbis = *Secundum Ambrosium, iniquum mammona dixit, quia variis divitiarum illecebris nostros tentant affectus: vel quia in pluribus Prædecessoribus, quibus patrimonio succedis, aliquis reperitur, qui injuste usurpavit aliena, quamvis tu nescias, ut Basylius dicit: vel omnes divitiæ dicuntur iniquitatis, idest, inæqualitatis, quia non æqualiter sunt omnibus distributæ, uno egente, & alio superabundante.*

Idem respondemus de illicite acquisitis secundo modo, non quia earum rerum verum non obtineatur dominium, sed quia urgente præcepto eleemosynæ, titulo injustæ acceptionis, nequit satisfieri alteri obligationi injunctæ in Jubilæi concessione, juxta dicta in *Cap. antecel. art.6.*

De illicite tamen acquisitis tertio modo fieri posse eleemosynam ad Jubilæum acquirendum, asserimus; quia quanquam mulier meretricium exercens contra Divinam Legem operaretur, tamen pecuniam sibi male partam nec injuste reciperet, nec recipiendo ullum Divinum præceptum violaret: nisi fortasse (ut observat Lavorius *par.* 1. *c.* 19) eam cum fraudibus extorqueret, verum enim haberet hujusmodi pecuniæ dominium, atque lucrum alio titulo non debitum pauperibus, ad eorundem inopiam sublevandam impenderet. Faceret itaque opus supererogationis, ac per consequens aptum & sufficiens ad implendum opus injunctum eleemosynæ, in Indulgentiæ comparandæ concessione requisitum a Summo Pontifice.

Dices. Eleemosyna ex meretricio proveniens, a Deo minime acceptatur; dicitur enim *Cap. eleemosyna causa* 14. *quæst.* 5. = *Eleemosyna oculis Redemtoris nostri placet, quæ nec ex rebus illicitis, nec iniquitate congeritur, sed de rebus concessis bene acquisitis impenditur.*

Resp. in Capite laudato eleemosynam ex bene acquisitis commendari, ad exclusionem alterius, quæ ex injuste perceptis erogatur: & ideo non contraponi cuicunque, sed illi duntaxat, quæ fit ex illicitis & iniquitate, hoc est interveniente injustitia, quam certum est, minime reperiri in eleemosyna facta ex turpi lucro, proveniente ex meretricio.

AR-

ARTICULUS IV.

De Jejunio.

QUANQUAM jejunium late sumtum ad abstinentiam a peccatis extendatur, ut constat ex *cap.* 58. Isaiæ *v.* 6. = *Nonne hoc est magis jejunium, quod elegi? Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes; dimitte eos, qui confracti sunt, liberos, & omne onus disrumpe* = & ex D. Hieronymo *super Matth.* 17. qui ait = *Jejunium est, non solum ab escis, sed a cunctis illecebris abstinere* = proprius tamen & usitatius de abstinentia a cibo & potu accipitur; & jejunium hoc modo acceptum triplex est, jejunium naturæ: jejunium virtutis: jejunium ex Ecclesiæ præcepto.

Jejunium naturæ omnimodam a cibo & potu abstinentiam importat, idque ex se, cum meram dicat privationem, neque bonum finem, circumscripta intentione jejunantis, respiciat, nec virtus est nec actus virtutis; ut docent Richardus in 4. *dissint.* 15. *art.* 3. *qu.* 1. Major *ibid. qu.* 3. Requiritur tamen ex Ecclesiæ præcepto ad Sacram Eucharistiæ sumtionem (excepto mortis articulo, ubi obligatio urgeret sumendi hujusmodi Sacramentum per modum Viatici)

Jejunium virtutis abstinentiam significat a cibo & potu juxta regulam a temperantiæ virtute præscriptam, ut homo id sumat, quod est necessarium ad vitam atque debitam corporis valetudinem conservandam; cum vero diversa sint hominum genera, variæ complexiones, locorumque diversitates, medium a temperantiæ virtute præstitutum non consistit in indivisibli, sed quandam habet latitudinem; cibus enim vel potus, qui in uno esset excessus, in alio dictæ virtutis regulam nequaquam excederet.

Jejunium Ecclesiæ, est abstinentia a cibis secundum regulam & statutum Ecclesiæ, idque tria potissimum requirit 1.° unicam commestionem 2.° abstinentiam a certo ciborum genere 3.° horam debitam commestionis circa meridiem, sicuti usu receptum est; cui tamen non opponitur modica vespertina refectio, dummodo modum ac consuetum morem non excedat. Jejunium ergo juxta hanc acceptionem consideratum est etiam actus virtutis temperantiæ, ex quo triplex provenit fructus, scilicet vitiorum compressio: mentis elevatio a terrenis ad coelestia: præmiorum & virtutum assecutio, juxta id quod canit Ecclesia = *Qui corporali jejunio vitia comprimis: mentem elevas: virtutes largiris, & præmia* = Hæc omnia illustrat Angelicus Præceptor 2. 2. *qu.* 147. *art.* 1. *in corp.* = *Dicendum*, inquit, *quod ex hoc aliquis est actus virtuosus, quod per rationem ordinatur ad aliquod bonum honestum, hoc autem convenit jejunio. Assumitur enim jejunium principaliter ad tria. Primo quidem ad concupiscentias carnis reprimendas; unde Apostolus dicit in authoritate inducta, in jejuniis, in castitate, quia per jejunium castitas conservatur; ut enim Hieronymus dicit: Sine Cerere & Baccho friget Venus: idest per abstinentiam cibi & potus tepescit luxuria. Secundo, assumitur ad hoc, quod mens liberius elevetur ad sublimia contemplanda; unde dicitur Daniel.* 10. *quod post jejunium trium Hebdomadarum revelationem accepit a Deo. Tertio ad satisfaciendum pro peccatis; unde dicitur Joel.* 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & fletu & planctu. Et hoc est, quod Augustinus dicit in quodam sermone de oratione & jejunio. Jejunium purgat animam, mentem sublevat, propriam carnem spiritui subjicit, cor facit contritum & humiliatum, concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit, castitatis vero lumen accendit. Unde patet, quod jejunium est actus virtutis.*

Hinc superfluum est, aliam rationem innuere, quare Sedes Apostolica propter jejunium Ecclesiasticum (cæteris aliis jejuniis omissis, quæ ad nostrum institutum non spectant) Thesaurum meritorum Christi & Sanctorum per Indulgentiarum concessionem aperiat.

Sed ut dubia, quæ in hac materia fieri possunt, solvamus

Quæres 1.° An ad implendum jejunium pro acquirendis Jubilæis extraordinariis, tribus diebus ejusdem Hebdomadæ, nempe feria quarta, sexta, & Sabbato servandum, opus

opus sit abstinere ab ovis & lacticiniis?

Dubium hoc cum illo sane coincidit, quod passim Doctores instituunt: num scilicet jejunium extra Quadragesimam in vigiliis ab Ecclesia institutis, vel ex voto, aut ex Confessarii præcepto peragendum stet cum ovis & lacticiniis; in quo prorecto duplex est, & quidem utraque probabilis Doctorum opinio.

Durandus in 4. *dist.* 1. *q.* 9. *nu.* 1. Diana 1. *par. tr.* 9. *resol.* 4. *&* 3. *par. tr.* 6. *resol.* 80. Bossius *de Jubilæo* aliique, quos refert Leander *par.* 3. *tr.* 5. *disp.* 3. *qu.* 4. negant, esse prohibita ova & lacticinia in jejuniis extra Quadragesimam sub culpa mortali, quia nullus textus reperitur in jure, qui ova & lacticinia extra dictum tempus prohibeat. Quod si dicatur, hanc prohibitionem haberi in *Cap. Denique dist.* 4. *can.* 56. ubi a D. Gregorio Papa, a quo illud Caput desumtum est, ita asseritur = *Visum est ergo, ut omnis Dei Ecclesia, quæ est in uno terrarum Orbe, unum ordinem sequens jejunium perficiat, & abstineat sicut ab omni mactabili, sic & ab ovis & caseo, quæ quidem sunt fructus & fætus eorum, a quibus abstinemus* = id nullo modo evinci potest; Sanctus enim Pontifex Augustino respondens, de Quadragesimali jejunio duntaxat loquitur; ut notat Abbas *in rubric. de Observat. Jejunior.* Quod robur accipit ex eo, quod aliæ interrogationes in dicto Capite contentæ, & ab Augustino propositæ, versantur circa tempus Quadragesimæ. Igitur idem dicendum est de interrogatione & responsione jejunii allatis in dicto Capite.

Non desunt tamen alii Authores, qui putant, in jejuniis etiam extra Quadragesimam peragendis, jure communi prohiberi non tantum carnes, sed quæ originem sementinam ab illis trahunt, ut ova & omnia lacticinia; inter quos Alexander Præpositus in *Cap. Denique dist.* 4. *n.* 6. Dominicus *in Cap. Rogationes de Consecr. dist.* 3. Astensis *in Summa par.* 2. *tit.* 28. *art.* 3. *q.* 5. Covarruvias *lib.* 4. *resol. cap* 20. *nu.* 15. quos refert & sequitur Machado in *lib.* 2. *Summ. pars.* 4. *tract.* 3. *docum.* 4. *nu.* 3. fundamentum hujus sententiæ est in *Cap. cit. Denique can.* 56. ubi prohibentur ova & lacticinia tempore Quadragesimæ, quia hæc trahunt originem ex carnibus, & cum carnibus cognationem habent, a quibus ratione jejunii est abstinendum; quæ quidem ratio, ut constat, militat in omnibus jejuniis: adeoque idem jus est pro jejuniis, tam intra quam extra Quadragesimæ tempus implendis. Cæterum his sententiis in sua probabilitate relictis

Respondemus cum Azorio *lib.* 7. *Instit. Moral. cap.* 10. Thoma Sanchez *lib.* 4. *in Decalog. cap.* 11. *a nu.* 49. jejunium ad acquirendum Jubilæum extra Quadragesimam exactum, peragendum esse juxta usum in unaquaque Provincia servari solitum: ita ut, ubi viget consuetudo jejunandi sicut in Quadragesima cum abstinentia ab ovis & lacticiniis, urgeat pariter obligatio id observandi pro Jubilæis extraordinariis; aliter vero si vigeat consuetudo comedendi in vigiliis ova & lacticinia. Quod profecto optime probat praxis Fidelium optima obligationum & legum interpres; pro hujusmodi siquidem obligationibus implendis non aliter se gerunt Fideles, quam juxta propriam uniuscujusque Provinciæ consuetudinem.

Quæres 2.° An gaudentes privilegio Bullæ Cruciatæ, ubi viget consuetudo, in vigiliis extra Quadragesimam peragendis, abstinendi ab ovis & lacticiniis, possint frui Jubilæis extraordinariis, si diebus pro jejunio determinatis utantur prædictis cibis?

Hoc dubium sibi ventilandum proponens Navarrus *lib.* 3. *Consilior. de Observation. jejun. consil.* 5. expensa clausula concessionis Bullæ Cruciatæ Gregorii XIII. nempe = *Ut qui acciperent illam, possent comedere ova & lacticinia diebus, quibus est indictum jejunium Ecclesiasticum, & satisfacere hujusmodi jejunio, servando alia, quæ requirit jejunium* = negativam sententiam amplectitur = *Respondeo*, inquit, *quod non. Tum quod dispensatio, sive privilegium prædictæ Clausulæ Cruciatæ solum concedit facultatem comedendi ova & lacticinia in diebus jejuniorum Ecclesiasticorum; concedit enim facultatem gaudentibus illa, ut possint comedere ova & lacticinia in diebus jejunii Ecclesiastici: & quod servando alia, quæ requirit jejunium, censeantur satisfacere hujusmodi, sive præfato jejunio, quod est restringendum ad Ecclesiasticum; verbum enim præfatum, vel hujusmodi, sunt restrictiva ad illud, quod re-*

refertur juxta l. hujusmodi cum ei adnotatis; & sic habent verba Hispanæ Cruciatæ: Guardando en lo demas la forma del eyuno Ecclesiastico Joan vistos haver complido y satisfecho ad dicho ayuno. Tum quia privilegia, licet ita sint interpretanda, ut aliquid operentur ultra jus commune, Cap. in his de privileg., non sunt tamen extendenda ad alios effectus, dato aliquo quem operentur, & ad quem sint utilia, ut tradit Panormitan., quem copiose cum multis aliis citat, & sequitur Decius; & consequenter præfatum privilegium non debet extendi ad alios effectus, dato aliquo quem operetur, & interpretando quod præfatum privilegium operetur quoad jejunia Ecclesiastica, sive ab Ecclesia jure communi instituta, non est extendendum ad jejunia per præfatum Jubilæum inducta. Tum quod dispensationes, quæ exorbitant a jure communi, quale est prædictum privilegium, sunt odiosæ & restringendæ. Tum quod a separatis non fit illatio: & secundum proprium & vulgarem modum loquendi, aliud est jejunium Ecclesiasticum a communi jure inductum, & aliud jejunium, quod quis vovet, & aliud jejunium a Confessore in pœnitentiam impositum, & aliud jejunium alio respectu particulari impositum; & consequenter privilegium datum ad moderandum jejunium Ecclesiasticum, institutum a jure communi, non est extendendum ad jejunium votum, vel a Confessore injunctum, vel a Summo Pontifice, vel ab aliquo Superiore ad aliquem particularem respectum impositum alicui particulari homini vel personæ: quale fuit jejunium injunctum a Sixto V. *ad quærendam Jubilæi Indulgentiam propter grandem & particularem respectum. Tum quod generi per speciem derogatur, & consequenter præceptum speciale factum de jejunando a Summo Pontifice, quod præsumitur factum de modo jejunandi secundum jus commune, derogat privilegio generali satisfaciendi jejunio Ecclesiastico.*

Sed probabilius respondemus cum Ludovico Lopez 2. *par. Instruct. tr. de Pœnit. cap.* 112. *de Jejunio*, Manuele *tomo* 1. *Summæ cap.* 184., & Petro de Ledesma 2. *tom. summæ tr.* 27. *cap.* 2. affirmative, quia Sedes Apostolica Jubilæum extraordinarium concedens, vult exerceri jejunium Ecclesiasticum. Suppositis autem Bullæ Cruciatæ privilegiis, ova & lacticinia comedens diebus in Jubilæo extraordinario præscriptis (nisi aliud requisitum deesset) jejunium Ecclesiasticum observaret; cum hujusmodi jejunio a comedentibus ova & lacticinia juxta Bullæ laudatæ tenorem optime satisfiat.

Dices. Ex hoc sequitur, utentem privilegio personali comedendi carnes tempore Quadragesimæ posse obtinere Indulgentiam Jubilæi extraordinarii, etiamsi carnibus uteretur.

Resp. hoc minime inferri; commestio enim carnium etiam ex privilegio personali jejunii substantiam penitus destrueret. Cæterum ob indultum Bullæ Cruciatæ diebus ad jejunandum pro Jubilæo præscriptis ova ac lacticinia comedens, si alia requisita non deessent, jejunium Ecclesiasticum impleret: ut habetur ex illis verbis Bullæ = *Satisfacere hujusmodi jejunio, servando alia, quæ requirit jejunium.*

ARTICULUS V.

De Sacramentali Confessione & Communione.

NOVUM non est, Sedem Apostolicam in concedendis Indulgentiis hac clausula uti = *Vere pœnitentibus & confessis* = etenim de ea fit mentio in Extravaganti *Antiquorum de Pænit. & Remissionib.* & in Clementina unica *de Reliquiis, & venerat. Sanctor.*

Quid per *Vere pœnitentibus* in Apostolicis Indulgentiarum Literis intelligatur, supra *Cap.* 8. *artic.* 3. *in resp. ad* 3.^{um} *Argum. Cajetani* exposuimus, eos nimirum significari, qui ex amore Dei summe dilecti serio proponunt, se ad anteactæ vitæ excessus nunquam redituros, cum proposito compensandi injurias Deo irrogatas; quamobrem in quibusdam concessionibus habetur = *Vere Contritis* = Sed non est ita exploratum, quid veniat per illud verbum *Confessis*; unde

Quæres 1.° An ad acquirendam Indulgentiam, ea adjecta clausula concessam, sufficiat duntaxat Confessio in voto, vel requiratur in re?

Putarunt plurimi Doctores, inter quos Angelus *in Summa* §. 17. Rosella *eodem*

 titu-

titulo, Paludanus *in 4. dist.20 quaest. 4. artic. 3.* & Panormitanus in *Cap. Omnis utriusque sexus, de Paenit. & Remissionib.* ex vi supradictae clausulae, Confessionem Sacramentalem non requiri tunc vel ante, illo vel alio anno factam, sed solum sufficere confitendi propositum secundum Jus: nempe in Quadragesima, seu in Paschate cum actuali contritione, ad hujusmodi Indulgentiam comparandam.

Nos tamen respondemus, exigi necessario Confessionem in re. Ita Cajetanus *tract. 15. de Indulg. cap. 10.* Navarrus in *Notab. 18. de Indulg. & Jubil.* aliique. Ubi enim plures qualitates requiruntur copulative, necesse est omnes haberi, ut locum habeat dispositio *L. si Haeredi plures ff. de Conditionib. Institut. L. filis qui ducenta §. utrum ff. de reb. dubiis*; in Literis autem hujusmodi Indulgentiarum contritio & Confessio exiguntur a concedente. Immerito autem Ly *Confessis* exponitur de Confessione in voto. 1.° quia juxta propriam significationem per Ly *Confessis* venit Confessio actualis, sicut Indulgentia visitantibus Ecclesiam concessa, visitationem in re faciendam significat. 2.° superfluum foret adjicere *Confessis*; nihil enim Praelatus concedens diversum a precedenti conditione Indulgentiam comparaturis injungeret, cum Confessionis votum jam ea verba *vere Paenitentibus* declararent; nequit enim quis vere poenitens dici, si careat proposito peccata sua Ecclesiae Clavibus subjiciendi. 3.° quando Summi Pontifices Confessionem in re non exposcunt, aliam adhibent clausulam nempe = *Propositum Confessionis habentibus* = Ergo quando eam clausulam adhibent = *vere Paenitentibus & Confessis* = non tantum Confessionem in voto sed etiam in re volunt ac requirunt. His accedit, quod in Sacra Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, ad Instantiam Episcopi Maliapuriensis sequentibus dubiis excitatis

1. *An Sacerdotibus Missionariis in Regionibus Infidelium degentibus, deficiente Confessario, ac Sacrum peragentibus, praemissa duntaxat contritione, sufficiat quoque pro assequenda Indulgentia actus contritionis: & quatenus negative?*

2. *An consulendum Sanctissimo pro gratia?*

Eadem Sacra Congregatio sub die 19. Septembris 1729 Respondit = *Ad 1.m Negative. Ad 2.m Consulendum Sanctissimo, ut per organum Sacrae Congregationis de Propaganda Fide praefatis Missionariis concedere dignetur indultum: ut iisdem, quoties pro consequendis Indulgentiis desit copia Confessarii, ideoque actualem Confessionem praemittere nequeant, sufficiat contritionis actus, & Confessio in voto* = Haec habes in Decreto Sacrae Congregationis de Propaganda Fide edito pro Missionariis Cappuccinis Gallis & Hybernis, degentibus in partibus Infidelium & Haereticorum, quod dabitur in calce.

Objicies 1.° Per illam clausulam exposcitur Confessio ut mera dispositio ad removendas culpas, quae impediunt Indulgentiarum assecutionem. Per actum vero contritionis includentem in voto omnium praeceptorum observantiam, remittuntur culpae, & aptantur Fideles ad percipiendum fructum Indulgentiarum. Ergo ad acquirendas Indulgentias concessas cum illa clausula, sufficit Confessio in voto. Accedit, hoc esse conforme menti concedentis Indulgentias, qui tanquam finem respicit animarum salutem; & hoc maxime constat, quando dicta clausula praeponitur alteri = *Qui visitaverit*: *Qui jejunaverit* = ubi per antecedentem de subjecto, cui fit concessio, qualificative disponitur, per subsequentem vero, de opere implendo seu conditione, sub qua fit concessio, statuitur. Ergo ex vi clausulae = *vere Paenitentibus & confessis* = non requiritur necessario Confessio in re.

Resp. falsum esse, dictam clausulam requirere Confessionem tanquam meram dispositionem ad removenda culparum impedimenta; ut enim bene ratiocinatur Passerinus *Quaest. 28. num. 232.* ex una parte ad peccatorum remissionem Confessio in re non est simpliciter necessaria, adeoque contritio cum Confessione in voto ad eam sufficiens est: ex alia vero, in non contrito datur necessitas Confessionis actualis ad Indulgentiae fructum recipiendum, & quidem de Jure Divino, cum status gratiae debeat poenarum temporalium remissionem praecedere; sed intenditur ut medium securius ad peccatorum remissionem obtinendam. Requiritur ergo Confessio, vel ut opus injunctum, vel ut conditio ex parte

te subjecti. Idque verum est etiam, quando ea clausula præmittitur alteri: *Qui visitaverit* &c. quamobrem, nemo ibit inficias, animarum salutem potissimum ibi a Summis Pontificibus intendi, non tamen utcunque, sed media Confessione Sacramentali in re.

Objicies 2.° Ea verba = *vere contritis & confessis* = aut sumenda sunt distributive, aut copulative. Si primum dicatur, sensus est, Indulgentiam tam contritis quam confessis concedi: ac per consequens liberum esset Fidelibus intuitu Indulgentiæ vel contritionem, vel Confessionem in re præmittere. Secundum dici non potest, quia semper oporteret prævie ad Confessionem in re, actum contritionis elicere a charitate imperatum; alias Indulgentiam nemo assequeretur. Ergo ea verba non sumuntur copulative, ac per consequens ea clausula solum exposcit Confessionem in voto.

Resp. dicta verba sumi copulative, ac tum elicientes contritionem perfectam, dolorem scilicet de culpis propter Deum summe dilectum comprehendere, tum habentes contritionem imperfectam, quæ est *dolor de peccatis aut ex eorum turpitudine, aut gehennæ & pœnarum metu conceptus*: ut loquitur Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 4. unde etiam attriti ad Pœnitentiæ Sacramentum accedentes possunt acquirere Indulgentias.

Objicies 3.° Clemens VI. in Extravaganti *Unigenitus de Pœnit. & Remission.* de potestate dispensandi Ecclesiæ Thesaurum per Indulgentiarum concessionem loquens, inquit = *Vere pœnitentibus & confessis misericorditer applicandum* = Insuper Martinus V. Constitutione incipiente *Inter cunctas* jubet de Hussitica hæresi suspectum interrogari = *Utrum credat, quod Papa omnibus Christianis vere contritis & confessis ex causa pia & justa possit concedere Indulgentias?* = In his autem locis nequit sermo esse de Confessione in re; fieret enim, non posse sine illa Ecclesiæ Prælatos Indulgentias Fidelibus despondere. Ergo quando Indulgentia conceditur vere pœnitentibus & confessis, non requiritur Confessio in re, sed sufficit in voto.

Resp. ex quo clausula illa de Confessione in re intelligatur, non inferri, Summum Pontificem non posse Indulgentias concedere, nisi præsupposita Confessione Sacramentali in re ex parte eas recipientium; quia tam Clemens VI. quam Martinus V. in laudatis Constitutionibus affirmant id, quod est certissimum, non tamen excludunt, quominus Indulgentiarum beneficium queat absolute vere contritis duntaxat dispensari. Maxime quia, scopus ibi non erat, requisita ex parte Fidelium ad percipiendas Indulgentias statuere, sed potius Clavium potestatem Summo Pontifici a Christo relictam ad dispensandum Thesaurum meritorum Christi & Sanctorum definire; quod profecto erat exponendum per id, quod omni vacabat difficultate, quanvis alio modo posset declarari.

Quæres 2.° An sufficiat Confessio tempore Paschali facta, ut impleatur obligatio per prædictam clausulam in Literis Apostolicis Indulgentiarum injuncta?

Est opinio Turrecrematæ & D. Antonini 1. *part. summ. tit.* 10. *cap.* 3. §. 5. apud Cordubam *lib.* 5. *de Indulg. qu.* 27. qui putant, Confessionem Sacramentalem sufficere factam illo anno, secundum præceptum Ecclesiæ.

Nos vero respondemus, Confessione jam facta in Paschate non satisfieri obligationi, quæ per dictam clausulam indicatur = *Vere pœnitentibus & confessis* = 1.° quia Sedes Apostolica Indulgentiam ea adjecta clausula concedens, non vult præceptum annuæ Confessionis statuere, sed opus injungere, seu conditionem se tenentem ex parte subjecti pro remissione omnium peccatorum exigere. Cum ergo per Confessionem tempore Paschali factam nequeant cuncta peccata usque ad tempus Indulgentiæ acquirendæ remitti, consequens est, non satisfieri obligationi injunctæ per dictam clausulam. 2.° opere alias præcepto nequit impleri duplex obligatio; ut dictum est *Cap.* 10. *artic.* 6. Posito autem, quod Confessio facta tempore Paschatis ad implendum opus injunctæ obligationis pro Indulgentiis acquirendis sufficeret, evitari non posset, quod eodem opere duplici obligationi satisfieret.

Objicies. Verba generalia Judicis sunt juxta formam juris generaliter interpretanda; tenor autem concessionis Indulgentiarum non est, Confessionem fieri opor-

tere, quando imminet occasio percipiendi fructum Indulgentiæ, sed solum, Fideles confessos Indulgentiam obtinere: idque verum est de iis, qui præceptum annuæ Confessionis impleverunt. Ergo Confessio Sacramentalis facta tempore Paschali sufficiens erit ad implendam obligationem ex vi dictæ clausulæ in Literis Apostolicis Indulgentiarum indictam.

Resp. quantunvis tempus Confessionis faciendæ clarè in Literis Apostolicis non exprimatur, innui tamen ibi: *Pœnitentibus & confessis*; ex eo enim constat, pari modo Confessionem ac contritionem exposci. Porro cum contritio elici debeat, quum imminet tempus acquirendæ Indulgentiæ, nec sufficiat habita in Paschate, idem de Confessione Sacramentali dicendum est.

Quæres 3.° An semel confessus pro Indulgentia, si ante tempus ad eam acquirendam præfixum in peccatum lethale incideret, teneretur denuo confiteri?

Huic dubio, quod sibi proponit solvendum Suarius *disp.* 52. *sect.* 3. *num.* 7. respondet, probabilius in eo casu obligari Fidelem ad aliam Confessionem Sacramentalem = *Quia*, inquit, *ex vi illius formæ requiritur Confessio omnium mortalium, quæ usque ad tempus Indulgentiæ commissa sunt; nam talis Confessio refertur ad Indulgentiam, & ideo comprehendit totum tempus usque ad prædictum terminum, & consequenter omnia etiam peccata, intra illud tempus commissa. Non ergo sufficit prior Confessio, quia non fuit de omnibus peccatis modo explicato; unde licet per unam Confessionem possit satisfieri tali Jubilæo, non tamen per quancunque, sed per eam, quæ fuit integra modo prædicto. Ex quo infero, si quis confiteatur occasione talis Jubilæi, & bona fide obliviscatur alicujus peccati, postea vero recordetur illius ante elapsum Jubilæi tempus, necessarium illi esse, intra illud tempus peccatum confiteri, alioquin fructum Jubilæi non consequetur. Ratio est jam tacta, quia ex vi formæ necessaria est Confessio talium peccatorum.*

Hæc Suarii ratio a pluribus Authoribus approbatur, limitatur tamen, ut locum non habeat, quando pœnitens inculpabiliter oblivisceretur alicujus peccati & postea recordaretur, si per generalem Confessionem illud esset ablatum; tunc enim se haberet sicut peccatum oblitum.

Cæterum admissa Suarii ratione, nempe Confessionem Sacramentalem injunctam totum temporis spatium comprehendere usque ad terminu, in quo ejus fructus est ex liberalitate Sedis Apostolicæ comparandus, minime prodesset illius peccati Confessio inculpabiliter omissa, si illius culpæ recordaretur, nondum elapso tempore ad Indulgentiam percipiendam præfinito: cum defectu conditionis exactæ adhuc inculpabiliter ignoratæ Indulgentiæ effectus minime valeat comparari.

Nos vero respondemus cum Nugno in 3. *parte quæst.* 27. *supplem. art.* 3. *dist.* 4. Bonacin. *disp.* 6. *quæst.* 1.ª *punct.* 5. *nu.* 9. Diana *p.* 5. *tract.* 17. *resol* 1. aliisque apud Passerinum *quæst.* 27. *num.* 224. & quidem probabilius: non teneri in eo casu prolapsum in peccatum lethale iterum confiteri intuitu Indulgentiæ, quantum est ex vi clausulæ = *Vere pœnitentibus & confessis* = supponeretur enim jam impleta obligatio Confessionis Sacramentalis, nec amplius urgeret. Eodem enim modo discurrendum est de hac obligatione in ordine ad Indulgentias, ac de præcepto annuæ Confessionis. Porro tempore Quadragesimali facta Confessione omnium peccatorum lethalium, quorum quis erat conscius, si postea, antequam præceptum annuæ Confessionis expiraret, aliud grave peccatum perpetraret, non teneretur iterum ob tale præceptum confiteri. Alias pluries tempore Quadragesimali confessus, & penultima anni die in aliud peccatum lapsus, si in postrema anni die Confessionem Sacramentalem omitteret, præcepto annuæ Confessionis minime satisfaceret.

Quod certo tenendum est, ubi quis recordaretur peccati inculpabiliter obliti, post peractam Confessionem formaliter integram, intuitu Indulgentiæ percipiendæ; si enim urgeret obligatio peragendi aliam Confessionem, alio deinde peccato lethali commisso memoriæ occurrente, teneretur ad tertiam, & si post hanc alterius recordaretur, ad quartam obligaretur, & sic ad alias. Quod alienum est a mente Summorum Pontificum concedentium Indulgentias; immensum enim esset onus pœnitentibus, quod non minorem molestiam afferret Confessariis, in tot Confessionibus

fa-

faciendis & audiendis, præsertim in ea temporis angustia, & magno pœnitentium concursu, qui vitari nequi tempore Jubilæi.

Consulto diximus in responsione ad dubium = *Quantum est ex vi clausulæ vere pænitentibus & confessis*, = quia si Confessioni onus Communionis Sacramentalis adjiceretur, sicut de stilo in concessione Indulgentiæ Plenariæ injungitur his verbis = *Sacra Communione refectis* = sola contritio culpæ lethalis antea in Confessione inculpabiliter oblitæ minime sufficeret; nemo enim peccati lethalis conscius ad Sacram Eucharistiam licite potest accedere, nisi præmissa Confessione, juxta Concilii Tridentini statutum *sess.* 13. *cap.* 7. *& can.* 10. = *Ne tantum Sacramentum indigne, atque ideo in mortem & condemnationem sumatur, statuit ac declarat ipsa sancta Synodus, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantuncunque etiam se contritos existiment, habita copia Confessoris, necessario præmittendam esse Confessionem Sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu publice disputando defendere præsumserit, eo ipso excommunicatus existat* = & ideo sententiam cujusdam Authoris alias gravissimi & sapientissimi docentis, antea confessum, postea tamen conscium peccati lethalis inculpabiliter obliti, non teneri denuo confiteri, antequam accedat ad Altare, jussu Sacræ Inquisitionis fuisse deletam, testatur Diana in *p.* 5. *tract.* 14. *resol.* 5.

Quæres 4.° An per Confessionem sacrilege factam Sacerdoti habenti legitimam authoritatem absolvendi a peccatis, satisfieri queat obligationi injunctæ de Confessione Sacramentali?

Diana in *Tomo* 2.° *tract.* 4.° *de Sacram. resol.* 148. affirmativam sententiam amplectitur tanquam probabilem, & citat pro hac opinione Bartholomæum a S. Fausto *de Jubilæo lib.* 4. *quæst.* 46. qui ait = *Non est necesse, ut quis sit in statu gratiæ toto tempore, quo singula opera facit, sed sufficit, ut in ultimo instanti, in quo ultimum opus perficitur, sit in gratia. Dicendum est igitur, quod si in die Dominico in ipso Jubilæi termino in gratiam cum Deo talis rediret, obtineret quidem Jubilæum, non obstante quod Confessio fuerit invalida*.

Nos vero respondemus, per Confessionem sacrilege fictam (sive sacrilegium contingat ob Confessionem culpabiliter dimidiatam, sive ob defectum propositi non peccandi de cætero) minime satisfieri obligationi injunctæ de Confessione Sacramentali. Summus enim Pontifex onus Confessionis Sacramentalis in concessionibus Indulgentiarum adjiciens, eam exposcit, quæ sit legitima accusatio facta de propriis peccatis, ad eorum remissionem obtinendam per absolutionem. Talis autem non est Confessio sacrilega; ideoque sicut Confessione voluntarie nulla minime præceptum annuæ Confessionis impletur, ut colligitur ex sequenti propositione damnata ab Alex. VII. sub num. 14. anno MDCLXV. die 24. Septembris = *Qui facit Confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ* = ita nec per Confessionem sacrilegam, quæ cum voluntarie nulla coincidit, impletur obligatio pro acquirendis Indulgentiis injuncta. Et ideo huic sententiæ subscribunt Sanctarellus *in Tract. de Jub. cap.* 7. *dub.* 2.° Petrus Prost. *in Spicilegio Theologico de Jubilæo cap.* 7. *dub.* 2.° Alphonsus Leon. *in Tract. de Jubilæo* aliique Doctores communiter.

Quæres 5.° An idem dicendum sit de Confessione informi & valida?

Supponit quæstio proposita possibilitatem Confessionis informis & validæ, quam D. Thomas in 4. *dist.* 17. *qu.* 3. *art.* 4. *qu. estiuncula prima* agnoscit; inquirens enim, utrum Confessio possit esse informis? inquit = *Dicendum quod Confessio est actus virtutis, & pars Sacramenti. Secundum autem quod est actus virtutis, est actus meritorius proprie: & sic Confessio non valet sine charitate, quæ est principium merendi. Sed secundum quod est pars Sacramenti, sic ordinat confitentem ad Sacerdotem, qui habet Claves Ecclesiæ, qui per Confessionem conscientiam confitentis agnoscit: & secundum hoc Confessio etiam potest esse in eo, qui non est contritus, quia potest peccata sua Sacerdoti innotescere, & Clavibus Ecclesiæ subjicere* = & paritas aliorum Sacramentorum idem evincit; evenit enim non raro, Sacramenta Baptismatis, Confirmationis, & Ordinis

(idem

(idem dic de aliis) suscipi in statu peccati lethalis, citra infusionem gratiæ sanctificantis; quamobrem sicut essentia & partes eorundem Sacramentorum a gratia sanctificante distinguuntur, ita dolor & Confessio, quæ sunt partes essentiales Sacramenti Pœnitentiæ. Hac præmissa suppositione

Respondemus, Confessionem informem & validam sufficere ad implendam obligationem injunctam in concessione Indulgentiæ. Propugnant hanc sententiam Suarius *Disp.* 52. *sect.* 3. *nu.* 6. Fillucius *Tract.* 8. *num.* 149. Cardinalis de Lugo *Disput.* 27. *num.* 103. Leander in *Tract.* 5.° *disp.* 14. apud Passerinum *Quæst.* 27. *nu.* 222. per Confessionem enim informem & validam præceptum annuæ Confessionis impletur, ut communiter docent Theologi. Ergo ea satisfit obligationi injunctæ in concessione Indulgentiæ. Quod licet verum sit, nihilominus nisi quis deinde gratiæ statum assequeretur, intra tempus ad acquirendam Indulgentiam præfinitum, per actum contritionis & charitatis elicitum, vel per Sacramentum vivorum, potens per accidens primam gratiam communicare, nequaquam posset Indulgentiæ fructum obtinere, ob peccatum lethale, quantum est ex parte Confessionis informis & validæ, non remissum.

Dices. Ex vi Confessionis informis & validæ non habetur animarum justificatio, pro dispositione Indulgentiarum a Summis Pontificibus intenta: adeoque juxta mentem concedentium Indulgentias, non poterit impleri prædicta obligatio per Confessionem informem & validam.

Resp. aliud esse finem Summorum Pontificum concedentium Indulgentias: aliud vero esse materiam injunctam; eo pari modo quo, aliud est loqui de fine Ecclesiæ præcipientis jejunium: aliud de materia præcepta. Fatemur, finem a Summis Pontificibus ConfessionemSacramentalem injungentibus volitum, ad acquirendam Indulgentiam esse animarum salutem; cæterum materia injuncta est Confessio Sacramentalis. Quamobrem sicut Ecclesiasticum præceptum jejunii optime adimpleretur, quanquam carnis maceratio ab Ecclesia intenta minime sequeretur: ita & obligatio injuncta pro acquirenda Indulgentia media Confessione Sacramentali informi & valida, quanvis finis a Summis Pontificibus intentus non obtineretur.

Quæres 6.° ad majorem hujus rei intelligentiam, in quo casu Indulgentiam lucraturus faceret Confessionem informem & validam?

Delgadillo *cap.* 10. *dub.* 8. *num.* 44. probabiliter opinatur id fieri, ubi contingeret Fidelem ad Pœnitentiæ Sacramentum sine dolore scienter accedere, etiamsi Confessionem integram faceret: ut apparet in satisfactione, quæ quanvis non poneretur, adhuc Pœnitentiæ Sacramentum validum esset. Quod exemplo Sacramenti Baptismatis confirmat; etenim si quis vellet exprefse eo salutari Lavacro regenerari, licet alias se indispositum ad recipiendam gratiam sanctificantem agnosceret, adhuc istud Sacramentum valide reciperet.

Sed hic modus dicendi sustineri non potest; Concilium enim Tridentinum *sess.* 14. *can.* 4. doce, dolorem atque Confessionem esse partes necessario requisitas, & Sacramentum Pœnitentiæ quasi materiam constituentes. Porro sicut hoc nullitatis vitio laboraret, si Confessio non poneretur, ita pariter si dolor non eliceretur; ideoque si quis dolorem de peccatis non haberet, verum Pœnitentiæ Sacramentum ea confitendo non perageret. Exemplum allatum Baptismatis nihil concludit, ibi enim daretur materia tum remota tum proxima, nempe aqua naturalis cum ablutione, suppositis aliis requisitis essentialibus; quanquam non daretur dolor supernaturalis, qui non esset ejus pars essentialis, aut quasi essentialis, sed dispositio duntaxat ad assequendum Baptismatis effectum, nempe gratiam sanctificantem, requisita. Alia ratio militat pro satisfactione Sacramentali, hæc enim est solum pars integralis, proindeque Pœnitentiæ Sacramentum supponit essentialiter constitutum.

Alius dicendi modus est, a præcedenti non omnino recedens, dari Sacramentum Pœnitentiæ informe & validum, quum peccata sua confitens invincibiliter eorum dolorem necessarium esse ignoraret, eumque non exhiberet: vel hujus necessitatis supposita scientia, putaret, se cum tali dolore ad illud accedere, revera tamen nullum haberet.

Cæterum hic pariter dicendi modus nequit

quit sustineri 1.° quia ad Sacramenti valorem opus est, materiam a Christo institutam adhibere, bona fide minime supplendam; quamobrem, sicut si quis ignorantia invincibili laborans se in aqua naturali Sacramentum Baptismatis perficere, cum revera id non faceret: vel hanc necessariam non esse, sed alium liquorem ad illud sufficere existimaret, minime validum Sacramentum perageret, ita invincibiliter judicans, vel non exigi dolorem ad Pœnitentiæ Sacramentum: vel adesse, ubi nullus esset, nequaquam hoc Sacramentum valide perficeret. 2.° quia casus ille contradictionem involvit; ubi enim quis ad sacrum Pœnitentiæ Tribunal accederet sine fictione, atque corde sincero confitendi peccata, necnon animo obtinendi eorundem remissionem virtute Clavium, aliquem certe peccatorum dolorem atque detestationem conciperet. Alias nec Sacerdoti ea revelaret, nec veterem hominem cum actibus suis exuere peroptaret. Aliquis ergo dolor interveniret, abstrahendo ab eo, quod esset sufficiens vel non.

Ex doctrina Estii, Sylvii, Natalis Alexandri in *Theologia Dogmat. morali tom.* 1.° *lib. de pænit. art.* 3. & aliorum, qui ita admittunt doloris necessitatem, qui sit attritio in esse partis essentialis pro valore Sacramenti Pœnitentiæ, ut tamen pro dolore, qui est dispositio ad Sacramenti fructum, gratiam videlicet justificationis, contritionem requirant procedentem ex amore charitatis, sine quo existimant nunquam adultorum justificationem contingere, arduum non esset percipere, quomodo Confessio esset informis seu infructuosa & valida, defectu scilicet contritionis, quæ debet ex amore charitatis procedere, dummodo ea fiat cum attritione supernaturali efficaci.

Hæc tamen sententia, quantumvis probabilis sit, non tamen videtur cohærere doctrinæ de attritione supernaturali traditæ a Tridentino *sess.* 14. *cap.* 4. = *Illam vero contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur* (sunt verba Concilii laudati) *quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, declarat, non solum non facere hominem hyppocritam, & magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat: & quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem peccatorum perducere nequeat, tamen eum, ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam, disponit* = Ubi ut vides, tribuitur attritioni cum Sacramento vis disponendi ad gratiam sanctificantem, qua, circumscripto Sacramento, nequaquam polleret. Quæ virtus est quidem ultimo sufficiens ad acquirendum ejusmodi effectum independenter a quacunque ultimiori præparatione; disponere quippe utcunque & remote ad gratiam, per se attritioni supernaturali convenit etiam sine Sacramento, ut constat in aliis actibus supernaturalibus licet imperfectis. Ergo probabilius est asserere juxta Concilii Tridentini mentem, attritionem supernaturalem cum Sacramento Pœnitentiæ esse sufficientem dispositionem ad justificationis gratiam in eo productam, quin opus sit ad hujusmodi effectum recipiendum, actum contritionis adhibere.

Plurimi Doctores, ut hanc componant difficultatem, dicunt, dari Sacramentum validum & informe, quum nullus actus doloris eliceretur a confitente peccata sua, præter attritionem tam entitative & subjective, quam ex parte motivi naturalem: puta, si quis de peccatis doleret ob infamiam inde derivatam, vel ob alia incommoda, quæ ex illis patitur, paupertatis vel infirmitatis.

Sed nemo non dixerit falsum prædictum dicendi modum 1.° propter Decretum Innocentii XI. editum sub die 2.ª Martii anno MDCLXXIX. reprobans hanc propositionem inter reprobatas. 57.am = *Probabile est sufficere* (nempe ad Sacramenti Pœnitentiæ valorem) *attritionem naturalem modo honestam* = 2.° quia dolor ad Pœnitentiæ Sacramenti valorem sufficiens, debet omnino aptari formæ, quæ virtute Sanguinis Christi a potestate Clavium Ecclesiæ peragitur. Hæc autem ordinem naturalem supergreditur; Sanguis enim Christi non est medicina naturalis, neque ob motivum naturale fuit pro nobis effusus: Claves Ecclesiæ Regnum Cœlorum aperiunt. Dolor itaque, qui est materia hujus Sacramenti, debet ex supernaturali motivo procedere.

Di-

Dices. Sicut valor Sacramentorum Baptismatis & Confirmationis subsistit, quantunvis eorum materia sit quid naturale, ita & valor Sacramenti Pœnitentiæ.

Resp. assignando disparitatem. Materiæ Baptismatis & Confirmationis sunt res inanimatæ, nempe aqua & oleum, ac per consequens ab extrinseco duntaxat ordinantur ad formas, quibus subjiciuntur. Oppositum reperire est in materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ in actibus pœnitentis consistente, qui intrinsecam possunt supernaturalitatem obtinere: & aliunde vitaliter atque libere eliciuntur ab eo, qui gratiæ actualis auxilio potest se movere ad subeundum Sacramentale Judicium, ac ad Sacerdotalem sententiam recipiendam, quæ spectat ad ordinem supernaturalem.

Gaspar Hurtado *disp.6. difficult.* 8. putat, quod ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ sufficiat attritio supernaturalis: ad ejus vero fructum obtinendum requirantur actus spei veniæ peccatorum, nec non fidei justificantis. Potest autem dari Sacramenti valor, quin ponantur hujusmodi actus, qui ad essentiam attritionis non pertinent, nec sunt partes essentiales Sacramenti Pœnitentiæ: & aliunde quis potest sine illis ad Sacramentalem Confessionem accedere.

Sed neque hic dicendi modus scopum veritatis attingit; licet enim ad quamlibet adultorum justificationem, debeant actus fidei & spei concurrere, ut decernit Tridentinum *sess.6. cap.6.* falsum tamen est, data attritione supernatutali, non existere semper eos actus aut formaliter & expresse, aut implicite & virtualiter; impossibile enim est, eam vere & proprie concipi, quin fidei supernaturalis lumine dirigatur, ex cujus directione tum motus spei, tum vitæ corrigendæ propositum importantur; ideoque eo discursu non salvatur Sacramentum Pœnitentiæ validum & informe.

Dices. Tridentinum loco mox citato pro contritione, quam asserit ad gratiam disponere, hanc adjicit conditionem = *Si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ* = unde indicare videtur alterius attritionis supernaturalis possibilitatem, cui prædicta deficiunt, ac proinde quæ non est sufficiens ad fructum Sacramenti, sed illud informe relinquit.

Resp. quod etsi quæcunque attritio supernaturalis virtualiter saltem & implicite aliquam spem veniæ, necnon peccandi propositum includat, tam sub munere dispositionis ad gratiam, quam sub munere partis Sacramenti Pœnitentiæ, congrue tamen a Tridentino ea conditio fuit adhibita, ut Christifidelibus innotesceret, eos actus magis debere elucere in attritione, ut rationem dispositionis obtinet ad gratiam, quam in eadem, ut est pars Sacramenti = *Licet enim nulla sit possibilis attritio* (ut inquiunt PP. Salmanticenses Scholastici in *Tract.* 24. *de Pænit. disp.* 8. *dub.* 11. *num.*274.) *quæ saltem virtualiter & implicite aliqualem spem veniæ & aliquam exclusionem voluntatis peccandi non excludat: idque necessario conveniat omni attritioni supernaturali sub munere tam partis Sacramenti quam dispositionis ad gratiam: tamen congruentissime illa conditio adhibita fuit a Concilio, ut significaret, magis elucere debere in attritione, ut sit dispositio ad gratiam, quam in eadem, ut sit pars Sacramenti; atque attritionem, quæ est Sacramenti pars, vix aut leviter illos conceptus exprimere*.

Ut gravissimam hanc, in qua versamur difficultatem, dirimat Suarius, ad defectum extensivum attritionis supernaturalis recurrit, atque ita ratiocinatur. Detur Christifidelis, habens duo peccata lethalia, unum odii Dei, alterum furti, qui ob inadvertentiam secundi, actum attritionis supernaturalis eliciat duntaxat de primo, ob maximam deformitatem unice odio Dei convenientem: in hoc casu validum putaretur Sacramentum, concurrente tum Confessione formaliter integra, tum supernaturali attritione, ex motivo peculiaris turpitudinis illius peccati lethalis concepta; remaneret tamen informe, non posset enim gratia sanctificans infundi, manente alio peccato gravi furti irretractato.

Fateri compellimur casum a Suario excogitatum esse possibilem, quanvis raro contingentem; unde illum expendens Vincentius Candidus *disp.*24. *art.*17. *dub.* 2. inquit = *Hic casus Suarez est potius speculatio methaphysica, quam casus moralis* = plura tamen Suarius in suæ sententiæ explicatione proponit, quæ modum componendi Sacramenti valorem cum ejus informitate omnino alienum a praxi, ac pene

ne impossibilem repræsentant. Demus Fidelem unum peccatum lethale confiteri, alio diversæ speciei ex invicibili oblivione relicto: aut tali modo se gerens est sapiens, aut idiota. In neutro locum habere potest subtilis ejus discursus; sapiens enim optime noscens, per dolorem ad unum lethale restrictum, ac præcise secundum suam specificam foeditatem inspectum, seipsum exponere periculo peccandi lethaliter, impediendo fructum Sacramenti (quia fortasse aliud specifice diversum latere potest in anima) eo profecto dolore ad propriam conscientiam Sacramentali Confessione purgandam nequaquam uteretur. Idiota, vix perceptis propriis rationibus specificis peccatorum, grassiori modo atque securioribus innixus motivis dolorem conciperet: puta, quod peccatum Divinæ Legi adversetur, aut inferat æternam animarum perniciem, ac proinde quodlibet peccatum occultum comprehenderet implicite, ac per consequens Poenitentiæ Sacramentum perageret nedum validum, sed etiam fructuosum.

Rejectis itaque his dicendi modis, respondemus, tunc accedentem ad Confessionem Sacramentalem efficere Sacramentum validum & informe, quando poenitens integre sua peccata confitetur de eisdem attritione supernaturali concepta, bona fide existimata efficaci: quanvis revera inefficax sit. Consulto dicimus; *bona fide existimata efficaci*; etenim si alicui innotesceret, se attritionem efficacem non elicere: & consequenter dispositione necessaria ad recipiendam gratiam sanctificantem carere, poneret obicem fructui Sacramenti, cum quo ejus valor minime cohæreret.

Pro explicatione nostræ responsionis observa, duplicem dari attritionem supernaturalem, aliam perfectam, quæ est absoluta & efficax, tam in peccati detestatione, quam in proposito illud vitandi de cætero: imperfectam alteram, quæ etsi easdem rationes vitandi culpam attingat, vel ob ejus foeditatem vel propter poenam damni, oritur tamen ex voluntate adeo languida & remissa, ut virtutem non obtineat tum inducendi effectum, tum concipiendi propositum simpliciter efficax, sed solum quandam affectionem atque propensionem in genere suo commendabilem affert: & hæc est, atque dicitur inefficax: sicut in materia virtutum naturalium, puta temperantiæ, reperimus actus ex proprio motivo ejus materiam attingentes, quorum aliqui voluntati firmiter hærent, & efficaciam habent, ut operis executionem inducant; alii sunt adeo languidi, ut efficacitate dicta non gaudeant, cum ex infirma voluntate, quantunvis ex eodem motivo, procedant.

Exposito inter utranque attritionem discrimine, non redditur captu difficile, quomodo adhibita attritione imperfecta a poenitente detur Confessio informis & valida, quia attritio, quæ per modum partis essentialis Sacramentum Poenitentiæ constituit, minime requiritur, quod sit efficax, sed sufficit etiam inefficax, vel ab efficacia & inefficacia præscindens. Concilium enim Tridentinum ex una parte, postquam sua authoritate firmavit, contritionem esse hujus Sacramenti partem, eam hisce verbis definivit = *Contritio, quæ primum locum inter dictos poenitentis actus habet, animi dolor est ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero* = quam definitionem attritioni sufficienti, vel abstrahenti ab efficaci & & inefficaci adæquate convenire compertum est; adeoque ut attritio sit præcise Sacramenti Poenitentiæ pars, efficacia non exigitur. Ex alia vero, ut attritio ad fructum Sacramenti disponat, debet esse omnino efficax & absoluta; opus enim est, juxta Tridentinum loco supracitato, ut viam paret ad justitiam, quam tunc in suo genere infert, quando Sacramento conjungitur: sed ut id præstet, conditionem expressit Concilium = *Si voluntatem peccandi excludat* = utique actualem; nam cum voluntate peccandi habituali, seu quod idem est, cum statu peccati optime compatitur. Porro attritio hanc voluntatem excludens nequit non esse efficax & absoluta: ea namque, quæ hujusmodi non est, optime valet cum tali voluntate saltem implicita reperiri. Ubi ergo poenitens ad Confessionem Sacramentalem accedit cum attritione inefficaci, quam bona fide efficacem existimat, Sacramentum validum perficitur, sed informe ob defectum efficacitatis repertæ in attritione.

Quæres 6.° An impleretur obligatio Confessionis Sacramentalis ad Indulgentiam percipiendam injuncta, si Sacerdos

 non

non intenderet facere, quod Ministri legitimi Sacramenti Pœnitentiæ facere solent?

Hæc Quæstio est illa celebris: num scilicet requiratur intentio Ministri exequendi, quod Christus instituit, quod Ecclesia intendit, aut quod legitimi Ministri in in Ecclesia facere solent ad conficiendum Pœnitentiæ Sacramentum; vel sufficiat Sacerdotem Ecclesiæ Ministrum exterius se gerere, atque materiæ debitæ veram Sacramenti formam serio applicare, quantumvis interius nolit agere tanquam Ecclesiæ Minister, ac intra seipsum vel ex malitia, vel ex impietate dicat: *Hoc in ritu nec ego me gero, nec me volo gerere tanquam Ecclesiæ Ministrum: imo cæremoniam hanc externam, seu Catechumeni ablutionem cum expressa Trinitatis invocatione conjunctam, ad damnationem eorum intendo celebrare.*

Ambrosius Catharinus in *Opusculo de Intentione Ministri*, Alphonsus Salmeron in *Tom. 13. super Epist. D. Pauli lib. 1. par. 3. disp. 2.* Vincentius Contensonius *lib. 11. diss. 2. Append.*, nec non moderni Theologi Facultatis Parisiensis arbitrantur, stante externa ac seria materiæ & formæ applicatione, nunquam posse ob defectum intentionis Ministri de Sacramenti valore dubitari, quanvis nulla esset intentio, vel contraria, aut fortasse perversa.

Conclusio. Per Confessionem factam Ministro ritum externum, ex quo Sacramentum Pœnitentiæ constat, serio agenti, non habenti tamen intentionem faciendi opus ut Sacramentale, verum non perficitur Sacramentum. Ita sentiunt Soto in 4. *dist. 1. qu. 1. art. 8.* Gonet *disp. 6. art. 2. §. 1.* Sylvius *dub. unic. Conclus. 2.* aliique apud Patres Salmanticenses Scholasticos *tract. 22. de Sacram. disp. 7. dub. 2. n. 21.*

Probant plurimi Doctores hanc Conclusionem ex Concilio Tridentino: idque ab eo definitum putant doctrina *session. 14. cap. 6.*, qua Heterodoxorum dogma proscribitur his verbis = *Quanvis autem absolutio Sacerdotis alieni beneficii sit dispensatio, tamen non est solum nudum ministerium, vel annunciandi Evangelium, vel declarandi remissa esse peccata: sed ad instar actus judicialis, ab ipso velut judice sententia pronunciatur; atque ideo non debet pœnitens adeo sibi de sua ipsius fide blandiri, ut etiamsi nulla ei adsit contritio, aut Sacerdoti animus serio agendi, & vere absolvendi desit, putet tamen propter suam solam fidem, vere & coram Deo esse absolutum: nec enim fides sine pœnitentia remissionem ullam præstaret, nec is esset nisi salutis suæ negligentissimus, quod Sacerdotem joco se absolventem agnosceret, & non alium serio agentem sedulo requireret* = et *Canone 9.* dictæ *sessionis* = *Si quis dixerit absolutionem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi, & declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se esse absolutum, aut Sacerdos non serio sed joco absolvat* &c. *anathema sit.*

Nos vero a Tridentino definitam hanc controversiam minime arbitramur, quanvis ab ejus definitione non contemnendum argumentum desumi posse non dubitemus. Enim vero, quis sibi poterit suadere, Ambrosium Catharinum & Alphonsum Salmeronem Tridentinæ Synodi Theologos, qui in condendis ejus Canonibus allaborarunt, ne ipsum quidem Canonum sensum percepisse, ut Hæreticorum errorem reprobatum de industria recuderent, ac propugnarent? Quod 1.° evincitur ex Concilii historia, quam ex germanis illius actis Pallavicinus se descripsisse testatur; hæc enim verba in *lib. 9. cap. 6.* leguntur = *Ex his postremis verbis conjicere potest, quisquis ea legerit, haud esse expunctam sententiam Catharini, aliorumque Theologorum opinantium, Sacramentum quo ratum sit, sufficere in Ministro voluntatem serio agendi, & obesse tantummodo jocum, quem Sacramentum suscipiens cognoscere possit* = 2.° Una fuit mens Patrum Concilii Tridentini recentiorum Hæreticorum sententiam confutare, qui suadere conabantur, valere Sacramentum ab homine collatum, qui nec interius nec exterius tanquam Ecclesiæ Ministrum se gereret; sufficere quippe existimabant ad Sacramenti valorem, ut ritus a Christo institutus quomodocunque fieret: nec obstare, quod derisorie aut jocose etiam exterius celebraretur. A quo profecto systemate plurimum distant Doctores, qui volunt, validum esse Sacramentum

da-

datum a Ministro, qui suam intentionem retineret, asserentes verum confici Sacramentum duntaxat, quum Sacramentum conferens se gerit saltem exterius, tanquam Ecclesiæ Ministrum: idque eum præstare non dubitant, qui ritum externum, ex quo Sacramentum constat, serio perageret, seu cum publice aut private postulatus, formam materiæ conjungeret. Misso itaque ex Concilii Tridentini doctrina ad id probandum argumento

Prob. 1.° Conclusio Decreto Alexandri VIII., quo sub die 7. Decembris anno MDCXC. hæc sub numer. 28. damnatur propositio = *Valet Baptismus collatus a Ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit, non intendo quod facit Ecclesia* = Ex quo constat, Baptismatis Sacramentum eo modo ac interna Ministri resolutione seu intentione collatum, asseri minime posse tanquam validum ac legitimum. Porro cum eadem ratio sit requirendi intentionem in Ministro pro valore Sacramenti Baptismatis, ac pro valore Sacramenti Pœnitentiæ, optime infertur, si vera est opposita sententia, valere pariter Baptismum ea intentione collatum: quod ab Alexandro VIII. reprobatur; vel si hoc non valet, dicendum est pariter, per Confessionem factam Ministro ritum externum, ex quo constat Sacramentum Pœnitentiæ, serio agenti, non habenti tamen intentionem faciendi opus ut Sacramentale, verum non perfici Sacramentum.

Vim hujus nostræ probationis animadvertit Hyacinthus Serry in Opusculo, cujus inscriptio est *Vindiciæ Ambrosii Catharini*, quamobrem ex quorundam Præsulum ac Theologorum responsione Catharini suamque sententiam a prædicta Decreti censura ita nititur vindicare = *Sancte ac Religiose*, inquit, *profiteor me, quo tempore Decretum illud editum est, Romæ substitisse, serioque nonnullos primæ notæ Præsules, Consultores, qui in ferenda sententia Judices sederant, interrogasse: num Catholicam Sententiam eo Decreto proscribere voluissent, eosque semel iterumque id pernegasse: professosque, aliud longe a Catharini systemate ea proscripta propositione contineri*.

Immerito tamen pro Catharini suæque sententiæ patrocinio eruditissimus Doctor ad privatam quorundam Præsulum ac Consultorum Sacræ, Supremæ & Universalis Inquisitionis opinionem recurrit, cum mentem Summi Pontificis dictæque Sacræ Congregationis ex sensu proscriptæ propositionis citra Præsulum ac Consultorum Inquisitionem possit ac debeat quisque justo rationis libramine venari. Si vero sensus dictæ propositionis serio expendatur, fateri necesse est, assertum de retentione intentionis Ministri Sacramenti Pœnitentiæ, ut ab Adversariis exponitur, vel in ea proscripta propositione damnatum, vel de damnatione vehementer suspectum. Dicatur enim amabo, quid est dicere: valere Confessionem factam Ministro serio agenti ritum externum Sacramenti, non habenti tamen intentionem faciendi opus ut Sacramentale, nisi valere Sacramentum collatum a Ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: *Non intendo quod facit Ecclesia*? ea enim seria actio ad ritum externum reducitur. Itaque si hoc pro valore Sacramenti Baptismatis reprobatur, consequens est, sententiam de valore Confessionis factæ Ministro serio agenti ritum externum Sacramenti, non habenti tamen intentionem faciendi opus ut Sacramentale, vel in ipsa propositione de Sacramento Baptismatis ab Alexandro VIII. esse reprobatam, vel saltem esse de damnatione vehementer suspectam.

Prob. 2.° Christus ita Sacramentorum Ministros instituit, ut eos non meros operis externi executores fecerit, uti se habent nuntii epistolas præcise deferentes, sed eis contulerit potestatem dispensandi Mysteria Dei, quæ sunt Sacramenta. Ut ergo homo tanquam Christi Minister operetur, seu ut instrumentum animatum, illique ut agenti principali subordinatum se gerat, nedum opus est, eundem peragere ritum Sacramenti, sed etiam intentionem ad Sacramenti rationem dirigere, saltem in confuso, & sub expressione faciendi quod facit Ecclesia. Ergo quantumvis Sacerdos ritum externum Sacramenti Pœnitentiæ serio peragat, si interius nollet se gerere ut Christi Ministrum, validum non conficit Pœnitentiæ Sacramentum.

Dices. Aliud est Ministrum intendere facere, quod intendit Ecclesia: aliud vero Ministrum intendere facere, quod facit Ecclesia. Quanvis Ecclesia intendat velitque formalem Sacramenti rationem peragere, tamen quod peragit, non est nisi opus mere externum, per seriam scilicet materiæ & formæ applicationem, ex quibus Sacramentum consurgit; non autem opus est, Ministrum intendere facere, quod intendit Ecclesia, ac proinde suo muneri Sacramenti Pœnitentiæ Minister satisfaceret, illudque perficeret, si serio materiam & formam intenderet adhibere: idque exequeretur, licet nullam aliam intentionem mentalem haberet, qua curaret facere opus ut Sacramentale, imo haberet oppositam intentionem.

Resp. quod si Adversarii admittunt, debere Ministrum intendere facere, quod facit Ecclesia (esto non sit opus intendere, quod intendit Ecclesia) sequitur, oportere Ministrum intendere, vel explicite, vel implicite ac in confuso facere Sacramentum; quia certum est Ecclesiam facere reipsa non solum opus externum, serio exhibendo materiam & formam materialiter, sed perficere pariter Sacramentum veramque Sacramenti rationem, quæ fit non solum a Deo, sed etiam per Ministros tanquam instrumenta, ut diximus, subordinata Deo agenti principali.

Objicies 1.° Si Judex pro tribunali sedens, auditis partibus servatisque publici juris formis, vultu gravi habituque Senatorio serio libereque sententiam absolutionis pronunciaret, reus vere maneret absolutus: tametsi fortassis intentionem haberet oppositam non absolvendi, dummodo exterius eam internam dispositionem non aperiret. Ergo si Sacramenti Pœnitentiæ Minister materiæ debitæ Sacramenti formam serio applicaret, licet non haberet intentionem conficiendi Sacramentum, vel haberet intentionem contrariam, dummodo illam non proderet, pœnitens vere maneret absolutus, ac per consequens validum conficeretur Pœnitentiæ Sacramentum.

Resp. falsum esse quod de Judice pro tribunali sedente objicitur, juxta unanimem fere Theologorum & Jurisperitorum sententiam, qui docent, nullum actum esse validum in foro conscientiæ, qui fit sine consensu interno, quanquam in foro externo, ob ignorantiam latentis defectus tanquam legitimus habeatur. Hinc certa ac generalis doctrina est, quod quotiescunque constat de fictione interna seu de carentia intentionis vel in Professione in Religione emissa, vel in Matrimonio celebrato, statim declaretur, hujusmodi actum a principio ipso nullius roboris extitisse juxta dicta *Cap.X. art.5.* Quid nanque absurdius potest excogitari, quam quod Excommunicationis sententia sine intentione ligandi vere liget, & quod nolens absolute adhuc absolutionis beneficium impendat?

Objicies 2.° Validum est Sacramentum Baptismatis ab Infideli collatum, citra intentionem faciendi quod facit Ecclesia. Ergo ex parte Ministri in Sacramento Pœnitentiæ non requiritur intentio faciendi opus ut Sacramentale.

Resp. Infidelem vel in eo errore versari, ut non credat, neque apprehendat vere dari aut posse dari Ecclesiam Christi: vel in eo, quod putet Ecclesiam Christi non esse Ecclesiam Romano-Catholicam, sed Ecclesiam Anglicanam. Si Infidelis ex primo errore ductus baptizaret, certe careret intentione tam implicita, quam explicita faciendi quod facit Ecclesia, seu quod peragunt Christiani in Baptismali Lavacro, & tunc verum non conficeret Sacramentum, sed potius intenderet jocari, simulare, aut repræsentare; quod frequenter fieri solet, & in nostris Comœdiis contingit. Ubi vero Infidelis intenderet baptizando facere, quod peragit Ecclesia Anglicana, de valore Baptismatis minime esset dubitandum, qui a adhuc vellet facere quod vera facit Ecclesia, quanquam per errorem, Ecclesiam Anglicanam veram esse existimaret. Quod profecto evincit, in omni casu intentionem faciendi quod facit Ecclesia, saltem in confuso, in collatione Sacramenti Baptismatis necessario requiri.

Objicies 3.° Non evincitur necessitas intentionis faciendi quod facit Ecclesia in Ministro Sacramenti Pœnitentiæ. 1.° quia implicat ponere materiam & formam Sacramenti Pœnitentiæ, ac verum non constitui Sacramentum, sicut positis materia & forma compositi illud constitui necesse est. Ubi ergo minister exhibet materiam & formam Sacramenti, illasque alicui appli-

plicat, nequit non verum Sacramentum resultare, esto animum non haberet verum Sacramentum conficiendi. 2.° Sacramentum Poenitentiæ se habet adinstar pharmarci, quod independenter a Medici intentione valet ægrotis sanitatem conferre; idque adeo verum est, ut si ille minime intenderet pharmacum propinare, sed potius venenum, adhuc ægrotus contra Medici intentionem obtineret sanitatem. 3.° Sacramenta sunt formaliter in genere signi; quum vero aliquid ad signi rationem deputatum exterius profertur, nullum habet respectum ad intentionem exhibentis. Non ergo evincitur necessitas intentionis faciendi, quod facit Ecclesia in Ministro Sacramenti Poenitentiæ.

Resp. ex allatis exemplis evinci non posse, non dari necessitatem intentionis Ministri faciendi opus ut Sacramentale in conficiendis Sacramentis. Ad 1.am probationem dicimus, verum esse, per applicationem materiæ & formæ in esse talium, validum perfici Sacramentum, sed negari debet hoc fieri, ubi res dictæ, per id quod materialiter & in esse entis habent, concurrerent; quod profecto contingeret, si Minister, ita cæteris servatis, formæ verba proferret, ut non intenderet facere quod facit Ecclesia. Materia enim & forma Sacramentum minime constituunt per id, quod ex se obtinent, sed quatenus sacræ sunt, atque exhibentur juxta intentionem Christi, quas rationes ex se non habent, sed per determinationem juxta Ministri intentionem. Hinc corruit exemplum compositi, quoniam ejus partes sunt ex se ad illud determinatæ, atque ad eundem ordinem spectant; adeoque ex quacunque intentione adhibeantur, necessario ac naturaliter illud constituunt. Ex quo sequitur 2.am probationem nihil concludere; pharmacum enim habet esse tale, circumscripta qualibet Medici intentione, illoque etiam per jocum id applicante; unde si exemplum probaret, evinceret, Sacramenta suscipientibus prodesse independenter ab intentione Ministri, tametsi iste per jocum operaretur. Ad 3.am exemplum dicimus, Deum non instituisse opera externa, ut sint signa aut Sacramenta, nisi media intentione Ministrorum illa exequentium; Deus enim sicut illis potestatem tribuit faciendi Sacramenta, ita & deputandi opera externa ad esse Sacramentale; unde seclusa intentione Ministrorum, essent quidem in foro externo, seu (ut melius dicamus) apparerent signa ac Sacramenta, non tamen vere & coram Deo Sacramenti virtutem obtinerent.

Objicies 4.° Congruentius est, Christum ita instituisse Sacramenta, ut in sui valore a Ministri intentione minime dependerent, quam quod ejusdem intentionem necessario exigerent. Tum quia ea seclusa dependentia magis eluceret, solum Deum esse causam principalem Sacramentorum, hominemque purum Ministrum. Tum quia hujusmodi institutionis modus, ad pacandos animos suscipientium, ac ad removendum innumeras anxietates, quæ de Sacramenti valore possent subrepere, foret aptissimus. Ergo præsumendum est de facto, Christum ita Sacramenta instituisse.

Resp. inspectis omnibus, congruentius fuisse, quod Christus instituerit Sacramentorum valorem dependere a proposito Ministri intendentis facere opus externum ut sacrum, saltem in confuso, ac sub implicita conditione faciendi quod facit Ecclesia, quam citra talem dependentiam; sic enim magis apparet Sacramentorum dignitas, quæ non sunt opera mere externa, sed res sacræ, & ut tales debent Ministri intentionem terminare. Elucet pariter major Ministri dignitas, qui agit ut homo, scilicet ex proposito & deliberatione in ordine ad effectum proprium principalis agentis. Contra quod non urget prima probatio; semper enim verum est, Deum esse causam Sacramentorum principalem, & gratiæ eorum virtute productæ, quanquam Minister agat ex intentione faciendi opus ut Sacramentale. Nec aliquid evincit secunda, quia ad removendum circa ista anxietates, non requiritur certitudo metaphysica, ita ut oppositum repugnantiam involvat: sicut hanc certitudinem non habemus de eo, quod Minister Sacramenti Poenitentiæ sit baptizatus, & valide ordinatus, quibus conditionibus deficientibus Sacramenti valor haberi non posset. Sufficit itaque certitudo moralis, merito concepta, ubi animadvertimus, serio peragi Sacramenta, ac ministrari; cum nullum positivum motivum occurrat, ut inique de Ministri intentione judicemus.

Ex

Ex hactenus dictis in hac celebri quæstione, colligitur responsio alteri supra propositæ: an scilicet impleatur obligatio Confessionis Sacramentalis ad acquirendam Indulgentiam injuncta, si Sacerdos non intenderet facere, quod Ministri legitimi Sacramenti Pœnitentiæ facere solent; cum enim in eo casu validum non fieret Sacramentum Pœnitentiæ, nec consequenter injuncta in Indulgentiarum concessionibus obligatio impleretur.

Observa tamen hic, incohærenter procedere Cottonium, qui cum docuisset in *lib.2. de Sacram.Controv.11. n.66.* ad implendum onus eleemosynæ in Indulgentiarum concessione præscriptum, non sufficere, si Dominus pecuniam ad pauperum inopiam sublevandam famulo traderet, iste vero ex malitia id minime præstaret: postea *eadem Contr. n. 73.* asserit, supposita nullitate absolutionis Sacramentalis ex parte Ministri, ac per consequens Sacramenti Pœnitentiæ, adhuc Christifidelem confessum, inscium tamen malitiæ Sacerdotis, Indulgentia concessa sub onere Confessionis Sacramentalis nequaquam fraudari = *Si quis*, inquit, *contritus esset & confessus, a Confessario per malitiam non absolveretur, id non obstaret acquisitioni Indulgentiæ* = quemadmodum enim ea injunctio ex parte Domini veram eleemosynæ rationem non perficeret, ita per meram Confessionem ex parte pœnitentis, in casu de quo agitur, opus Confessionis Sacramentalis non impleretur, si ex malitia Ministri Sacramenti Pœnitentiæ defectus contingeret: cum tam Confessio pœnitentis quam absolutio Sacerdotis hoc Sacramentum essentialiter constituat.

Quæres 7.° An ad acquirendas Indulgentias ea clausula concessas = *vere Pœnitentibus & confessis* = necessaria sit venialium Confessio, ubi peccatum lethale post ultimam Confessionem non fuisset perpetratum?

Adeo stricte Confessionis obligatio pro dictis Indulgentiis a quibusdam Doctoribus exponitur, ut etiam peccata venialia comprehendat. Ita Sanchez *lib.8. de Matrim. disp. 15. num. 19. lib. 4. summ. cap. 14. num. 41.* Fernandez, Nugnus citati a Passerino *quæst. 27. num. 217.* quod probabiliter admittit Corduba *quæst. 28.* de venialibus notabiliter aggravantibus, memoriæ occurrentibus sine nimio eorum examine aut anxia perscrutatione.

Nos vero respondemus, venialium Confessionem ex vi illius clausulæ non esse necessariam. Ita Suarius *disp. 52. sect. 3. num. 4.* aliique Doctores communiter, ut notat Passerinus. Usus enim & Ecclesiæ consuetudo obtinuit, ut quando Confessio peccatorum injungitur, de lethalibus duntaxat intelligatur; ut patet in annuæ Confessionis præcepto, quod habetur in *Cap. Omnis utriusque sexus de Pœnit. & Remissionib.* ibi = *Omnis utriusque sexus Fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti* = cui profecto minime subduntur habentes conscientiam peccatorum venialium tantummodo, ut docent communiter Theologi. Maxime quia, Ecclesia sicut injungendo ad Indulgentias acquirendas jejunium, aliud non exposcit, quam pro observatione Quadragesimali requisitum, ita Confessionem Sacramentalem præcipiens, non aliam vult, quam pro implenda annua obligatione necessariam. Tandem sicut peccatum absolute & simpliciter dictum solum est lethale, non vero veniale, ita peccatorum Confessio præscripta alia non intelligitur, quam de lethalibus.

Objicies 1.° Lex Confessionem actualem injungens, cunctos afficit habentes materiem Sacramenti Pœnitentiæ, ad quam nedum spectant peccata lethalia, verum etiam venialia; adeoque sicut Indulgentiarum fructum non perciperet conscius peccati lethalis, quamvis justificatus evaderet per solum actum contritionis vel charitatis, ita nullum in se, præter venialia, peccatum lethale cognoscens, nisi actuali Confessioni vacaret. Requiritur ergo etiam Confessio venialium ad acquirendas Indulgentias ea clausula concessas = *Vere pœnitentibus & confessis*.

Resp. Duplicem dari materiam Sacramenti Pœnitentiæ, aliam necessariam ex Divino præcepto Ecclesiæ Clavibus subjiciendam, quæ solum ex peccatis lethalibus constituitur: aliam sufficientem, quæ potest eadere sub contritione, ac per consequens sub absolutione Sacramentali; nulla tamen urget obligatio orta ex Jure Divino eam deferendi ad Confessionis Sacra-

cra-

cramentalis Tribunal. Itaque quamquam lex Confessionis actualis cunctos Fideles habentes materiam necessariam Sacramenti Poenitentiae comprehendat, non tamen habentes materiam sufficientem.

Objicies 2. Eodem modo discurrendum est de Confessione actuali, ac de Communione; dicitur enim in Literis Apostolicis Indulgentiarum = *Vere pœnitentibus & confessis, & Sacra Communione refectis* = Nullus autem Communionis capax Indulgentiam lucraturus, potest se ab onere suscipiendi Sacramentalem Communionem eximere. Quilibet ergo Confessionis Sacramentalis capax tenetur obligationem illam implere. Sed peccatorum venialium conscius capax est Confessionis Sacramentalis. Ergo eam tenetur peragere, alias Indulgentiae fructum minime perciperet.

Resp. latum dari discrimen inter Confessionem Sacramentalem, & Communionem, nempe, quod hæc a concedente Indulgentias ob intrinsecam ejus bonitatem & sanctitatem requiratur, ac proinde mirum non esse, quod ejus obligatio ad quoscunque Indulgentiam suscepturos extendatur: illa vero ut bonum occasionatum, scilicet ut lethalis peccati macula infecti, contracta cum Deo inimicitia, cum ipso reconciliationem obtineant, per remedium certius ac securius = *Ratio* (inquit Suarius *disp.52.sect.3. num.5.*) *sumitur ex differentia inter Eucharistiam & Confessionem, nam Eucharistia per se, ac propter se postulatur; & ideo quando Communio ponitur ut necessaria conditio Indulgentiæ, comprehendit omnes, etiamsi peccati conscientiam non habeant. At vero Confessio postulatur ut medicina peccati certior & utilior, ideoque quamvis absolute postuletur, intelligitur supposito peccato, ad quod tollendum sit per se necessaria* = Quo sane remedio non indigent peccatorum venialium rei, quia culpæ hujusmodi charitatis fervorem duntaxat minuunt, non tamen auferunt amicitiam cum Deo.

Hic tamen advertimus, quod licet (ut ex nostra sententia constat) in non habentibus conscientiam peccati lethalis, nulla urgeat necessitas Confessionis Sacramentalis ad eas Indulgentias acquirendas, salubre tamen consilium est, de emittenda venialium Confessione Fideles admonere, ut illi majori devotione dispositi uberiorem Indulgentiarum fructum obtineant.

Quæres 8. An possit injungi pro Indulgentiis acquirendis Confessio venialium?

Respondemus, posse Summum Pontificem ad Indulgentias acquirendas onus Confessionis venialium adjicere determinatæ speciei: puta mendacii, aut vage hujus vel alterius ad poenitentis arbitrium; etenim hujusmodi Confessionem injungere non esset extra sphæram Pontificiæ Potestatis, quia ea modo dicto Ecclesiæ Clavibus subjicere, vix ullam aut levem molestiam afferret, tum ratione examinis, tum propter erubescentiam, cum nullus sit, qui se talibus defectibus maculatum non agnoscat. Addimus, quod sicut Sedes Apostolica pro acquisitione Indulgentiarum potest jejunium cæteraque opera pia supererogationis injungere, ita & poterit venialium Confessionem; opus quippe est Indulgentiarum concessioni maxime proportionatum, quod frequenter exercitum pietatem fovet, atque non contemnendam utilitatem affert; ut ex Concilio Tridentino observat Eminentissimus Lambertinus in *Lib.3. de Servorum Dei Beatificatione & Beatorum Canonizatione cap.27. nu.4.* = *Licet* (inquit) *peccata venialia non sint, uti scholæ loquuntur, materia necessaria, sed sufficiens Sacramenti Pœnitentiæ, eorum tamen Confessio utilis est & pia juxta Cap. 5. Concilii Tridentini sess.14. de Pœnitentia: venialia quibus a gratia Dei non excludimur, & in qua frequentius labimur, quanquam recte & utiliter citra omnem præsumtionem in Confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam multisque aliis remediis expiari possunt.*

Dices. Confessio culparum venialium non cadit sub Ecclesiæ præcepto: imo lethalia Ecclesiæ Clavibus subjicere tantam præsefert arduitatem, inter ea quæ in Christiana Religione se se offerunt servanda, ut Fidelibus quantumvis lethallum criminum maculis inquinatis præcipi nequiret, nisi sub Divina caderet Lege; quamobrem ita ad eam obligavit Ecclesia, ut tempus determinaverit, quo saltem intra annum Fideles Confessioni Sacramentali vacarent, ne Divinum statutum usu, sine ac fructu in multis frauda-

daretur. Cum ergo Christus de Confessione venialium præceptum non dederit, nec Indulgentiarum intuitu eam Sedes Apostolica potest injungere.

Resp. ex quo Christus venialium Confessionem nullo modo præceperit, nihil eruitur contra nos; non enim asserimus absolute & simpliciter, eam posse subditis injungi ab Ecclesia, sed ex suppositione, quod ipsi vellent pœnarum remissionem mediis Indulgentiis obtinere: & quanquam verum esset, Ecclesiam non potuisse mortalium Confessionem præcipere, nisi Divina obligatione præeunte, adhuc tamen cum non sit onus grave venialia confiteri modo prædicto, mirum non est, posse Summos Pontifices eam injungere ad Indulgentias acquirendas. Robur accipit hæc solutio ex Clementina: *Ne in agro Dominico de statu Monachor.*, ubi Monachis Ordinis S. Benedicti absolute præcipitur, ut singulis mensibus confiteantur, quod juxta Cajetanum in *Tom. 1. Opusculor. titul. 5. quæst.* 1. Suarium *disput. 36. sect. 6.* Salmanticenses in *Tract. 24. de Pænit. disp. 8. num.* 30. de venialibus intelligitur, si lethalia non occurrerent; non enim censetur verosimile, præsumsisse Clementem V. Pontificem, personas per stadium vitæ sanctioris incedentes, graviter singulis mensibus defecturos, ideoque salutari remedio Confessionis Sacramentalis indigere. Eo vel maxime, quod prædicti Ordinis Superiores hoc præceptum authoritate Sedis Apostolicæ firmandum curarunt, ut Religiosi illius Instituti exacte Deo famularentur, propriisque obligationibus ferventi spiritu satisfacerent. Quod si hoc absolute factum novimus, quare ex suppositione Indulgentiarum, quæ proponuntur acquirendæ, fieri non potest, ita obligari Fideles ad Sacramenti Pœnitentiæ exercitium, ut in defectum peccatorum lethalium, quæ sunt materia præcepti, venialia substituant, quæ sunt materia consilii? Imo de facto, si nullum aliud pium opus injungeretur in Indulgentiarum concessione quam Confessio Sacramentalis, velle tunc Summum Pontificem vel venialium Confessionem, vel saltem Clavibus subjici aliquod peccatum ex jam confessis, non immerito putat Bossius *de Indulg. num. 36.*

Quæres 9.° Quæ Communio requiratur ad Indulgentias acquirendas, concessas sub hac formula = *Sacra Communione refectis*.

Observatione dignum existimamus, triplicem dari posse Communionem Eucharisticam. 1.° Sacramentalem tantum, cum scilicet Eucharistiæ Sacramentum, non tamen gratia sanctificans obtinetur. 2.° Spiritualem tantum, ut quum Sacra Eucharistia in voto duntaxat accipitur atque desiderio, & per actum fidei vivæ & devotionis. 3.° Sacramentalem & spiritualem simul, puta cum quis Eucharistiæ Sacramentum recte dispositus recipit, ejusque fructum nempe gratiam sanctificantem participat. De qua triplici Communione meminernnt Patres Concilii Tridentini *sess. 13. cap. 8.* his verbis = *Quoad usum autem* Eucharistiæ *recte & sapienter Patres nostri tres rationes, hoc sanctum Sacramentum accipiendi distinxerunt: quosdam enim, docuerunt, Sacramentaliter duntaxat id sumere, ut peccatores: alios tantum spiritualiter, illos nimirum, qui voto propositum illum panem cælestem edentes, fide viva, quæ per dilectionem operatur, fructum ejus & utilitatem sentiunt: tertios porro Sacramentaliter simul & spiritualer; hi autem sunt, qui ita se prius probant, & instituunt, ut vestem nuptialem induti ad Divinam hanc mensam accedant.*

Hac triplici Communione expensa, conveniunt Doctores in asserendo, Communionem mere spiritualem non sufficere ad dictam obligationem implendam; etenim sicut per Confessionem in voto nequaquam potest injunctæ obligationi de Confessione peragendi satisfieri, ita nec per Communionem mere spiritualem, quæ cum Communione in voto coincidit, ac proprie non reficit, ob quem finem volunt Summi Pontifices, opus Communionis Sacramentalis impleri.

Non defuerunt Authores, inter quos Fernandez *par. 3. cap. 7. §. 8. nu.* 1. Cardinalis de Lugo *disp. 27. sect. 7. num.* 103. putantes, Communionem indignam & sacrilegam sufficere, modo tempore debito homo reperiatur in gratia, ad satisfaciendum obligationi Communionis Sacramentalis; quod probabile arbitratur Cottonius in *Lib. 2. de Sacram. Controv. 11. cap. 2.* = *Quia*, inquit, *hujusmodi est vera Communionem*

munio, quamvis infructuosa propter peccati obicem, ait Cardinalis de Lugo ..... etiam cum apponuntur adverbia devote & reverenter; quia possunt intelligi de devotione & reverentia externa.

Ad hujus pariter sententiæ patrocinium possunt referri, quotquot existimarunt, per sacrilegam Christi manducationem impleri præceptum annuæ Communionis, quos usque ad triginta congessit Figuera.

Nos vero respondemus, sacrilegam Communionem nullo modo sufficere ad implendam obligationem injunctam ex vi illius clausulæ = *Sacra Communione refectis* = quantunvis Fidelis tempore debito reperiatur in gratia. Ita Adrianus in 4. *de Indulg. concl.* 4. Navarrus *de Indulg. notab.* 19 *n.* 6. Rodriquez *in Bullam Cruciatæ* aliique communiter. 1.° quia Summi Pontifices Sacramentalem Communionem postulant ad spiritualem Christifidelium alimoniam, de qua dicitur Joannis 6. *nu.* 54. = *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis* = & infra = *Qui manducat me, vivet propter me* = Quod profecto minime per sacrilegam Communionem obtineretur; etenim sicut ab observanda lege sumendi cibum ad conservandam vitam naturalem, deflecteret accipiens illum veneno conditum, apponeret enim obicem nutritioni: ita cœlestem Panem indigne comedens spirituale venenum sumeret, ac gratiæ sanctificanti impedimentum apponeret, qua spiritualis animæ vita nutritur, ac roboratur; ut de Communione Judæ proditoris tradit D. Augustinus *Tract.* 61. in *Evang. Joann.* his verbis = *Expressus est Traditor, nudatæ sunt latebræ tenebrarum: bonum est quod accepit, sed malo suo accepit, quia male bonum & malus accepit* = 2.° Communio diversæ rationis non exposcitur ad implendam obligationem ad Indulgentias acquirendas, ac ad observandum præceptum Paschale, quod habetur *Cap. Omnis utriusque sexus de Pœnit. & Remissionib.* Per Communionem autem Sacramentalem sacrilege factam præceptum illud non impletur; ut constat, tum ex sequenti propositione damnata ab Innocentio XI. die 2. Martii anno MDCLXXIX. sub numero 55. = *Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem* = tum ex *Cap. Omnis utriusque sexus* ibi = *Omnis utriusque sexus Fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti ... ... suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiam* = reverenter quippe Sacram Eucharistiam sumere dicendus non est ille, qui sacrilege de cœlesti mensa participans, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini.

Objicies. Ecclesia opus externum pro Indulgentiarum assecutione requirens, non attendit ad internam operantis dispositionem, cum actus internos nequeat absolute præcipere. Cum ergo devotio sit actus internus, nulla datur necessitas Communionis Sacramentalis devote peragendæ ad illud opus injunctum implendum, sed sufficiens est quælibet Sacramentalis Communio.

Resp. actus internos esse in duplici differentia, alios necessarios ad externos, vel ut isti simpliciter, vel ut recte fiant: alios vero mere internos. De his certe nequit dari Ecclesiæ præceptum absolute; (quamvis ut dictum est *Cap.* 10. *dub.* 1. ad acquirendas Indulgentias possint injungi) sine fructu enim statueretur præceptum, cujus transgressio nec potest cognosci, neque coerceri = *Inutilis est* (inquit Philosophus in 2. *Ethic. cap.* 5.) *potestas imperativa absque coercitiva* = Cæterum illi possunt sub præcepto Ecclesiæ cadere, quatenus necessarii sunt ad actum externum directe imperatum; unde Ecclesia pœna Excommunicationis percellit Hæreticum, suam hæresim verbo vel scripto manifestantem, etiam si eam nullus audiret vel legeret: cum alias verba hæresim continentia secluso consensu possint citra ullam culpam, ad illam referendam proferri, vel scribi. Et in *Clem.* 1. *de Hæreticis Cap. Multorum* eadem pœna plectuntur Inquisitores, qui amore vel odio omitterent contra aliquem procedere, vel aliquem vexare præsumerent. Tandem *Cap. Dolentes de Celebr. Missar.* præcipitur Clericis, Divini Officii pensum recitare studiose ac devote. Ergo cum Ecclesia possit præcipere actus internos, necessario cum externis connexos, quum de facto ad Indulgentias acquirendas Sacram Communionem reverenter sumen-

dam injungit, ex suppositione quod Fideles velint hoc opus implere, tenentur ad eam peragendam non utcunque, sed devote; quod profecto verum non esset de eo, qui indigne & sacrilege Corpus Christi manducaret.

Quæres 10. An Indulgentiam Christifidelibus concessam *Sacra Communione refectis* assequeretur reus peccati lethalis, putans tamen bona fide se ab eo media Sacramentali Confessione purgatum, si ad Sacram Eucharistiam suscipiendam accederet?

Negat in hoc casu percipi Indulgentiæ fructum Pasqualigus *Quæst. 76.* quia licet quis ex vi bonæ fidei a Sacrilegii peccato excusaretur, tamen quia indigne coram Deo Corpus Christi reciperet, ejus Communio non esset refectiva, ac proinde minime sufficiens ad acquirendam Indulgentiam.

Nos vero respondemus, reum peccati lethalis, accedentem tamen bona fide ad Sacram Eucharistiam, acquirere Indulgentiam concessam *Sacra Communione refectis*. Ita Bossius *sect. 4. casu 20. n. 27.* Bottonus, relati a Passerino *Quæst. 44. nu. 38.* Ea enim Sacramentalis Communio produceret gratiam sanctificantem peccati lethalis remissivam; Sacramentum enim Eucharistiæ, sicut & quodlibet Sacramentum vivorum, potest producere per accidens primam gratiam non ponentibus obicem. Gratiæ autem non ponit obicem is, qui se crederet a peccatis lethalibus expiatum, eaque bona fide ductus Sacram Eucharistiam sumeret = *Si aliquis per hujusmodi signa* (inquit D. Thomas in 4. *dist. 9. quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 2.*) *facta diligenti discussione suæ conscientiæ*, (*quamvis forte non sufficienti*) *ad Corpus Christi devote accedat, aliquo peccato mortali in ipso manente, quod ejus cognitionem præterfugiat, non peccat: imo magis ex vi Sacramenti peccati remissionem consequitur; unde Augustinus dicit in quodam sermone: quod quando corpus Christi manducatur, vivificat mortuos* = Ea itaque Communio Sacramentalis existentem in peccato lethali vere reficeret ad vitam, per gratiam sanctificantem communicatam, ac per consequens sicut non obstaret, quominus impleretur obligatio Communionis Sacramentalis, ita nec fructum Indulgentiarum impediret.

Quæres 11.° Qua die ad acquirendam Indulgentiam Plenariam concessam intuitu Festivitatum debeat fieri Communio Sacramentalis?

Portelus in *Dubiis Regular. Verbo Indulg. num. 5.* Pellizarius in *Tract. de Monialib.* putant, per Sacramentalem Communionem habitam tribus aut quatuor diebus ante Festum dictam obligationem impleri = *Hæc enim* nempe Communio, inquiunt, *a Summis Pontificibus tanquam prævia dispositio ad Indulgentiæ effectum comparandum injungitur*.

Nos vero respondemus, Sacram Communionem duobus aut tribus diebus ante Festum receptam non sufficere ad implendum opus Communionis Sacramentalis his verbis in Literis Apostolicis expressum *Sacra Communione refectis*: satisfieri vero ejusmodi obligationi, si Sacra Communio fiat in pervigilio ejusdem Festi. Ita sentit Passerinus *Quæst. 45. num. 351.* Prior pars hujus responsionis constat, tum ex praxi Christifidelium: tum quia opus pium, seu conditio ad Indulgentias comparandas requisita debet peragi tempore & modo, quo injungitur. Porro Communio Sacramentalis juxta tenorem concessionis peragenda est in Festivitate, intuitu cujus Ecclesiam devote visitantibus fit ea largitio; quamobrem sicut ejusdem Indulgentiæ fructus minime perciperetur, si Ecclesiæ visitatio extra Festivitatem solemniter celebratam fieret, ita si extra illam Communio Sacramentalis reciperetur. Addimus, heri seu externo die communicatum, dici non posse hodie Sacra Communione refectum: refectus quippe Communione Sacramentali non potest iterum communicare; & tamen qui heri Sacram Synaxim accepit, potest hodie Sacræ Communionis beneficio gaudere. Altera pars patet; si enim non sufficeret pro hujusmodi Indulgentia, Fidelem ad Sacram Communionem accessisse in pervigilio Festivitatis, nunquam posset verificari, in pervigilio ejusdem Indulgentiam comparari, quia Communio recepta mane esset extra tempus in Indulgentiæ concessione præscriptum. Quod profecto menti Summorum Pontificum adversatur; dicunt enim, se Indulgentias acquirendas concedere devote visitantibus Ecclesias *A primis Vesperis usque ad occasum Solis*.

De-

Decretum Sacræ Congregationis de Propaganda Fide pro Missionariis Capuccinis Gallis, & Hybernis in partibus Infidelium & Hæreticorum degentibus, de Indulgentiis assequendis.

QUoniam ex Sac. Congregatione Indulgentiis & Sacris Reliquiis præposita, ad hanc Sacr. Congregationem de Propaganda Fide transmissum fuit Decretum tenoris sequentis, videlicet: *Beatissime Pater, cum ad instantiam Maliapurensis Episcopi proposita fuerint in Sacra Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præposita, infrascripta dubia.*

1. *An Sacerdotibus Missionariis in Regionibus Infidelium degentibus, deficiente Confessario, ac Sacrum peragentibus, præmissa duntaxat contritione, sufficiat quoque pro assequenda Indulgentia actus contritionis: & quatenus negative?*

2. *An consulendum SS. pro gratia in casu?*

Ad primum negative: ad secundum consulendum SS., ut per organum Sac. Congregationis de Propaganda Fide præfatis Missionariis concedere dignetur indultum, ut iisdem, quoties pro consequendis Indulgentiis desit copia Confessarii, ideoque actualem Confessionem præmittere nequeant, sufficiat contritionis actus, & Confessio in voto. Et facta de his reletione SS. Domino nostro Clementi PP. XII. Sanctitas sua benigne approbavit Decretum S. Congregationis 22. Januarii 1733. Quapropter P. Cherubinus de Noves in Romana Curia existens Procurator Missionum exterarum Capuccinorum Regnorum Galliæ & Hyberniæ, ad pedes S. V. humillime provolutus, instanter supplicat de hujusmodi gratia pro Capuccinis Missionariis Gallis & Hybernis, in partibus Infidelium & Hæreticorum allaborantibus, ut in casu, indulgentias, quas lucrantur Religiosi Capuccini in Regnis Catholicis, lucrari valeant Missionarii præfati, & pro gratia &c. die 30. Aprilis 1734. Sac. Congreg. Indulgentiis sacrisque Reliquiis præposita censuit: indultum sub die 20. Januarii 1733. concessum, & per organum Sacræ Congregationis de Propaganda Fide transmissum Missionariis in Diœcesi Maliapurensi lucrandi Indulgentias, quoties deficiente copia Confessarii, præmisso tantum actu contritionis, Sacrum celebraverint, posse extendi etiam ad Missionarios Ordinis Capuccinorum Gallos & Hybernos in actu Missionum exterarum, servata tamen eadem forma.

Et facta per me de præmissis SS. Domino nostro relatione, Sanctitas sua benigne annuit.

Die 20. Septembr. 1734.
J. Archiepisc. Tyri Secr.

Ideo præfata hæc Sacra Congregatio de Propaganda Fide mandatis Sanctitatis suæ ea, qua decet, veneratione obsequendo, Decretum hujusmodi per præsentes publicari præcepit. Romæ ex ædibus ejusdem Sacræ Congregationis die & anno, quibus supra.

(L. S.)

V. Card. Petra, Præfect.

N. Fortiguerra, Segretarius.

CAPUT XII.

DE COMMUNICATIONE INDULGENTIARUM

INDULGENTIAM communicare, nihil aliud est, quam illam uni concessam aliis facere communem. De hac ergo Communicatione inquiremus 1°. quot modis fiat, quidve operetur? 2°. an veniat sub communicatione privilegiorum, indultorum, immunitatum & gratiarum?

ARTICULUS I.

Quid, sit Indulgentiarum Communicatio, quidve operetur.

DUOBUS modis fieri potest Indulgentiarum communicatio. Primo per extensionem, qua eæ gratiæ spirituales, non quidem primariò, sed secundariò aliquibus conceduntur; ut cum datæ Regularibus ad eorum Oblatos, Procuratores & Famulos extenduntur. Secundo non Per extensionem, sed per novam concessionem, quum uni prius attributæ, ita fiunt propriæ aliorum, ac si eisdem primario fuissent concessæ; ut de communicatione privilegiorum statuunt Oldradus *Consil.* 300. *in princ. n.* 6. Parisius *Consil.* 22. *n.* 5. Rota *decis.* 40. *in princ. p.* 4.

Quæres 1°. An Indulgentiæ per communicationem seu novam concessionem datæ coincidant cum Indulgentiis *adinstar*?

Respondemus affirmative; Indulgentiæ enim *adinstar* sunt illæ, quæ ad imitationem & æqualitatem aliarum ejusmodi gratiarum conceduntur: ita ut nec eas superent, nec ab illis excedantur, quia *adinstar*, ut volunt nonnulli Doctores, idem significat ac ad similitudinem, imo & ad æqualitatem gratiæ alteri concessæ. Porro Indulgentias ad similitudinem & æqualitatem aliarum aliquibus locis aut personis concedere, est Indulgentias, prius quibusdam locis aut personis concessas, aliis facere proprias ac peculiares, ac si primo eisdem fuissent concessæ. Ergo Indulgentiæ per commnnicationem seu novam concessionem datæ coincidunt cum Indulgentiis *adinstar*.

Dices. Per Indulgentias *adinstar* non eædem, sed similes remissiones communicantur. 1°. quia similitudo cum sit relatio, realem distinctionem involvit inter fundamentum & terminum, ut volunt Dialectici. 2°. Privilegium *adinstar* non est idem, quale est suum exemplar. Nec ergo Indulgentia *adinstar* idem erit cum Indulgentia per communicationem concessa.

Resp. ad 1., quod sicut in communicatione seu nova concessione Indulgentiarum, non eædem numero remissiones in uno præexistentes alteri conferuntur (obstat enim axioma aqud omnes Philosophoreceptum, quod eadem numero accidens tia tam physica, quam moralia nequeunt in subjectis realiter distinctis reperiri) bene vero eædem identitate specifica cum distinctione seu diversitate numerica: ita in Indulgentiis *adinstar* non eædem numero gratiæ spirituales, quæ sunt in exemplari, aliis conceduntur, sed eædem in specie; cui identitati nequaquam officit similitudo, adeoque nec inter fundamentum & terminum talis relationis distinctio realis intercedens. Ad 2. dicimus, duobus modis intelligi posse privilegium *adinstar* (ut observat Suarius in *Lib.* 8. *de Legibus cap.* 16.) uno modo adinstar alterius conditionis seu proprietatis, quæ in exemplari non est privilegio, sed ex naturali origine, vel ex antiquo & ordinario jure. Alio modo adinstar juris, quod alicui ex speciali privilegio convenit. Privilegium primo modo *adinstar* non est idem verè tale, quale est suum exemplar, sed solum fictione juris, ut in privilegio legitimationis evenit. Oppositum sentiendum est de privilegio *adinstar* secundo modo; & cum Indulgentia non sit, nec dicatur *adinstar* primo modo, utpote quæ nulli exemplari,

ri, aut ratione propriæ conditionis aut ratione alicujus juris possit convenire, sed duntaxat ex gratia & beneficentia concedentis, verum est, Indulgentiam dici *adinstar*, sicut privilegium tale dicitur secundo modo. Cæterum hoc coincidit cum Indulgentia per communicationem; unde Indulgentiæ per communicationem non differunt ab illis, quæ dicuntur *adinstar*.

Ex quo Colliges 1°. quod sicut Indulgentiæ *adinstar* unum supponunt, videlicet concessionem ea de re alicui jam antea factam: aliud vero important, nempe concessionem ejusdem rei noviter emanatam, ita & Indulgentiæ per communicationem.

Colliges 2°. Indulgentias per communicationem duobus modis posse fieri. Primo per verba generalia, eas in particulari non specificando E. G. -- *Communicamus omnes Indulgentias, quibus Ecclesia N. decoratur* -- vel -- *Concedimus Indulgentias Ecclesiæ N. adinstar Basilicæ S. Petri* -- Secundo per verba expressa, easque in particulari specificando, puta -- *Concedimus Ecclesiæ N. Indulgentias feriarum sextarum mensis Martii adinstar Basilicæ s. Petri* -- vel -- *Concedimus Ecclesiæ N. Indulgentiam pro festo N. Sicut habet Basilica S. Petri pro festo ejusdem Sancti* -- Inter utrunque autem novæ concessionis seu communicationis modum hoc intercedit discrimen, quod Indulgentiæ concessæ per verba generalia, & minime specificatæ, in sui valore dependeant a primò concessis Ecclesiis, congregationibus, personis memoratis in nova concessione seu communicatione; nihil enim in specie de novo conceditur, nisi in illis repertum, vel simile illis, quod aliis competere cognoscitur: ideoque si Indulgentiæ per verba generalia concessæ suum effectum non habuerunt in illis, quibus primo concessæ sunt, vel modo non habent, nec communicatæ validæ censentur. Ita Suarius *de Legibus l.* 8. *c.* 15. *n.* 2. Palaus *tract.* 3. *disp.* 4. *punct.* 2. *§.* 8. *n.* 2. Ex vero, quæ in forma expressa & in particulari specificatæ in communicatione adjectæ sunt, quanvis nullitatis vitio laborarent pro Ecclesiis, congregationibus ac personis, quibus primo fuerunt concessæ, adhuc in suo valore subsisterent, quia earum expressio non apponitur tanquam conditio, sed duntaxat enunciatur exempli causa. Hanc doctrinam illustrat Passerinus *quest.* 96. *n.* 723. exemplo privilegii, de quo eadem est ratio, ac de Indulgentia -- *Privilegium adinstar* (inquit) *potest concedi vel per verba generalia, re concessa non specificata, ut si dicatur: concedo tibi, ut adinstar Petri fruaris ejus privilegio: vel per verba expressa & significata, ut si dicatur: concedo tibi facultatem commutandi Vota adinstar illius, quam habet Petrus. Privilegium primo modo concessum dependet in sui valore a veritate privilegii Petri, quia cum nihil in specie concedatur nisi similitudo ad id, quod competit Petro, quia similitudo non est cessante termino, ideo nihil conceditur, si in Petro nullum est privilegium, ad cujus instar alter sit privilegiatus. Nam & alias privilegium debet esse de re certa & determinata. l. Si sic legatum §.* 1. *Et ibi per Dym. & Bart. ff. de legat. & in l. legavit ff. de legibus, ubi habetur: quod si concedo tibi quidquid juris habeo in tali loco, si non apparet, quid juris ibi habeam, nihil tibi est concessum. Felinus Cap. ex parte l.* 1. *num.* 11. *de rescriptis, quæ tam in sensu expresso supra intelligi debent, non quia hoc privilegium, sic per verba generalia datum, sit ipso jure nullum, sed quia ut nullum est habendum, nisi constet, & probetur de privilegio, ad cujus instar aliud privilegium conceditur. Sed si datur privilegium in forma expressa, etiam si nullum sit privilegium V. G. in Petro, valet concessio facta Paulo adinstar privilegii, quod supponitur esse, & non est in Petro, quia privilegium esse in Petro, non accipitur ut conditio, sub qua conceditur privilegium Paulo, sed enunciatur gratia exempli. Felin. in cap. Quoniam. Abb. de Offic. Delegati num.* 11. *Horat. Mand. de Privileg. adinstar qu.* 5.

Colliges 3°. ita per communicationem fieri proprias Indulgentias eorum, quibus communicantur, ut possit cœtus vel persona, cui communicatæ sunt, citra falsitatis vitium nomen suum apponere juxta tenorem communicationis, loco illius cœtus vel personæ, cui concessæ primo fuerunt. Ille enim dicitur falsarius, qui mutat veritatem cum dolo *L. Quid falsarius*. In nostro

ftro autem casu non apparet vestigium immutationis veritatis; cum certum sit, Indulgentias per communicationem taliter fieri proprias communicantium in illis, ac si Congregationibus ac personis communicantibus in particulari essent concessæ.

Colliges 4.° suspensis, limitatis per Sum. Pont. Sententiam Indulgent. pro Eccl. aut Congr., quib. immediate concessæ fuerunt, vel ad earum destructionem cessantibus, adhuc posse alias Eccl. & Cong. communicantes virtute novæ concessionis eis frui, quia per hujusmodi communicationem attributæ, sunt æque principaliter datæ, nec ab illis in conservari dependent. Oppositum dicendum est de communicatis per solam extensionem, cum non sint ex vi hujus communicationis æque principaliter concessæ; quamobrem si cessent pro Ecclesiis aut Congregationibus, quibus primo concessæ fuerunt, non subsistunt, aut in suo robore perseverant in locis aut personis, quibus fuerunt extensæ; & quantunvis dici possent *adinstar*, utpote quæ sunt extensæ adinstar earum, quibus primo fuerunt datæ, sunt tamen in hoc genere imperfectæ secundum modum concessionis, quia communicatæ non sunt per novam concessionem, sed per meram extensionem; ut notat Passerinus Quæst. cit. *nu.* 728. his verbis -- *Indulgentia concessa hoc modo* (nempe quum fuit communicata per novam concessionem) *non cessat etiam dato, quod per destructionem Ecclesiæ, vel revocationem, aut alio modo cessaret Indulgentia in exemplari, quia Indulgentia hoc modo est æque principaliter, & per propriam concessionem concessa exemplato, etiam independenter ab Indulgentia concessa exemplari. Et sic etiam diminuta aut aucta Indulgentia concessa exemplari, non minuitur, aut augetur concessa exemplato; sicut dictum est de privilegio. Secus vero est in Indulgentia communicata per solam extensionem ad alias personas, aut loca, quia hæc est veluti eadem Indulgentia, quæ si deficit in principali aut primo, cui fuit concessa, deficit in totum: & licet hæc etiam dici possit Indulgentia adinstar, quia est extensa ad instar ejus, cui primo fuit concessa, est tamen in hoc genere imperfecta secundum modum concessionis, quia non communicata per novam concessionem, sed per solam extensionem, & maxime si minus principaliter & accessorie sit concessa.*

Colliges 5°. auctis, vel extensis Indulgentiis primò Ecclesiæ, vel Congregationi concessis, non augeri idcirco aut extendi datas per communicationem, seu *adinstar* (nisi fortasse apertissimis verbis in communicationis indulto concessio vel communicatio etiam in concedendis exprimeretur) sicut de privilegio observant Suarius loco citato *cap.* 16. *num.* 8. Hieronymus Rodriquez *Resol.* 116. *num.* 55. Palaus *tract.* 3. *disp.* 4. *puncto* 2°. Etenim concedens cogitat duntaxat de concessis, non vero de concedendis inposterum: & signanter hoc clarius elucet in Indulgentiis *adinstar*, quia istæ quatenus tales dicunt respectum imitationis ad alias. Dicuntur autem aliqua fieri ad imitationem existentium, secus futurorum: & constat a simili ex *L. Testamento* 2. *ff. de Condit. demonstrat.* si Testator monumentum sibi fieri juberet adinstar alterius, vel in eadem, vel in alia Ecclesia constituti, quanquam positum in exemplum deinde augeretur, atque in meliorem formam perficeretur, Hæres id, quod auctum fuit, nequaquam imitari teneretur, sed illud duntaxat, prout erat constructum tempore conditi Testamenti, quia de illo solum cogitavit Testator. Idem itaque de Indulgentiis *adinstar* dicendum erit; Summus enim Pontifex hanc communicationem tribuens ad concedendas inposterum vel a se vel a successoribus minime advertit.

Observa hic pro expediendis Literis Apostolicis Indulgentiarum *adinstar* inter Cancellariæ Regulas hanc recenseri -- *Voluit quod non expediantur adinstar aliarum, nisi illæ specificentur* -- quam ita explicat Lavorius *p.* 2. *cap.* 14. expenditque, in qua concessione Indulgentiar. censeretur Pontifex huic Regulæ derogare. -- *Glossator dicit, quod ratio dubitandi est, quia licet in uno instrumento fiat mentio alterius, tamen debet constare de illo. Auth. si quis in alio C. edendo, quando Princeps facit mentionem alterius instrumenti, vel privilegii, per-*

in-

inde est, ac si totum illud inferatur C. si Romanorum §. Item si; Ubi Glossator 19. dist. & sic verum de jure etiamsi fiat mentio in genere de illo, ideo videbatur sufficere, si Papa diceret: adinstar alterius Ecclesiæ; tamen quia Papa in his, quæ sunt facti, decipi potest, mandat non expediri, nisi specificentur; & ideo recte observat Navarrus, hanc Regulam non esse de dandis Indulgentiis, sed Literas Apostolicas earundem respicere, juxta tradita a Francisco Panvino in Prælud. Extravag. Joannis XXII. a Felino in Cap. ex parte num. 1. *de Rescriptis, a Ludovico quæst.* 2. *in Proœm.° Regul. Cancellariæ; unde sequitur, quod si eveniret Indulgentias adinstar expediri, non expressis in specie repertis in Exemplaribus, adhuc concessio suum effectum sortiretur, juxta laudatum Franciscum Panvini. Peti tamen posset Literarum Apostolicarum correctio: quæ petitio locum non haberet, quando Indulgentiarum expeditio fieret per Cameram; hujusmodi enim Regulæ sunt a Summis Pontificibus institutæ pro Cancellaria, quia cum nequeat præsumi, Sedem Apostolicam eam Regulam ignorare, nec pariter verti potest in dubium, eam communicationem illam velle inutiliter concedere, adeoque censeretur velle hujusmodi Regulæ Cancellariæ derogare, facta concessione illarum adinstar, citra expressionem earundem in particulari.*

ARTICULUS II.

An sub Communicatione Privilegiorum, Indultorum, Immunitatum & Gratiarum intelligatur Communicatio Indulgentiarum?

SUB nomine privilegiorum Indulgentias comprehendi, ac per consequens per illorum communicationem has pariter concedi defendunt PP. Salmantic. Morales *in Tom.* 4. *tract.* 18. *de Privileg. cap.* 1. *num.* 1. ubi hanc privilegii definitionem exponentes = *Privilegium est lex privata, aliquod speciale beneficium continens* = inquiunt = *Dicitur* privilegium *aliquod beneficium speciale continere, idest, favorem, Indulgentiam vel aliud quidpiam, alias ex jure non concessum: & sic præter jus semper debet aliquid operari privilegium, quanvis necessarium non sit, ut semper contra jus operetur aliquid, ut cernitur in Indulgentiis, quæ per modum privilegii conceduntur, & tamen contra jus nihil operantur, sed solum præter jus aliquid concedunt* = Idem putat Donatus *p.* 1. *tract.* 7. ex quo omnis gratia Principis privilegium dicatur per Jo: Andream *in Cap. Olim de Verbor. signif.* & Baldum *in Prælud. feudorum num.* 18. His subscribit Cottonius *lib.* 2. *de Sacram. Controv.* 12. *cap.* 3. *num.* 100. citans Dianam *p.* 1. *tract.* 11. *Resolut.* 88. Sed in hoc profecto decipitur, quia ibi Doctor ab eo citatus non loquitur de privilegiis, sed de facultatibus, probans Indulgentias Regularium per Bullam Cruciatæ minime suspendi, quia clausula præservativa non ad solas facultates, sed ad cuncta præcedentia est extendenda, inter quæ Indulgentiæ recensentur.

Conclusio 1.ª Per solam communicationem privilegiorum, non habetur communicatio Indulgentiarum. Ita sentiunt fere omnes Doctores.

Prob. Privilegium est lex privata, ut habetur *Cap. Privilegium* 3. *dist. C. Abbate*. Jus autem privatum dicitur, quia est contra jus commune *L. Jus singulare ff. de legibus L. p. in fine ff. de mancipiis*, ubi scriptum est: jus commune, a quo quis beneficio Principis eximitur, vere & proprie privilegium est, ac per consequens dici solet, quod de jure communi competit, frustra per privilegium impetratur *L.* 1. *Cap. De Thesauro lib.* 2. Indulgentia autem juri communi nequaquam adversatur. Ergo Indulgentia privilegium non est, sed potius gratia & beneficium; & ideo observat Prado *in Theolog. Moral. cap.* 5.° quod juxta communem usum, privilegium non comprehenditur in Rescriptis Pontificis sub nomine Indulgentiarum: & quanquam Indulgentiæ non concedantur nisi ex Ecclesiæ Thesauro, & ob justam ac rationabilem causam, tamen hoc non est contra jus, sed potius juri maxime conforme.

Conclusio 2.ª Ex vi communicationis indultorum etiam spiritualium non habetur

tur communicatio Indulgentiarum. Hanc Conclusionem statuit Passerinus *Quæst.*102. *num.* 796.

Prob. Per indulta datur facultas agendi tollendo impedimenta, & veluti per ea solvuntur manus, ut quis possit operari; ut notant Joannes Monachus & Geminianus *in Cap.Cum aliquibus de Rescriptis in 6.* ubi exemplum exhibent de vincto, cujus manus pedesque ab aliquo exolvuntur; graditur enim, & reliqua operatur sua vi non autem solventis. Indulgentia autem non prodest ad operandum, nec ad auferenda impedimenta, quæ valent ab agendo removere, sed solum pœnæ temporalis, ad Divinæ Justitiæ compensationem solvendæ, relaxationem important. Ergo per communicationem indultorum etiam spiritualium minime intelliguntur communicatæ Indulgentiæ.

Conclusio 3.ª Indulgentiarum communicatio non venit sub communicatione Exemtionum, Immunitatum, Facultatum & Gratiarum.

Prob. 1.° Ex praxi Summorum Pontificum, qui semper in hujusmodi generalibus communicationibus distinguunt Indulgentias & peccatorum remissiones ab exemtionibus, immunitatibus, facultatibus & gratiis, ut legentibus Literas Apostolicas hujusmodi communicationum manifestum est. Nulla autem foret necessitas hujus expressionis & distinctionis, si sub nominibus exemtionum, immunitatum, facultatum & gratiarum comprehenderentur Indulgentiæ. Ergo Indulgentiarum communicatio non venit sub communicatione exemtionum, immunitatum, facultatum & gratiarum.

Prob. 2.° Per Indulgentias quis non eximitur ab alterius jurisdictione & potestate: quod proprium est exemtionis atque immunitatis; & quanquam earum virtute debitum pœnæ temporalis remittatur, hoc fit non absolvendo duntaxat, verum etiam solvendo: quatenus æquivalens satisfactio de Ecclesiæ Thesauro exhibetur. Propter quam rationem nequit Indulgentia dici facultas ad agendum; unde si quandoque secum afferat facultatem eligendi Confessarium, a quo tum absolutio a casibus reservatis tum Votorum dispensatio possit obtineri, hoc erit per accidens non ex Indulgentiæ natura præcise inspecta, sed ex peculiari favore ob Summi Pontificis benignitatem ei adjecto. Nec possunt Indulgentiæ sub nominibus gratiarum intelligi; non enim sub his nominibus generalibus veniunt species peculiarem habentes prærogativam, cujusmodi sunt Indulgentiæ, quæ rationabilem ac omnino proportionatam causam poscunt. Ergo exprimi debent nomine proprio Indulgentiarum vel remissionum peccatorum, non vero sub generalibus nominibus exemtionum, immunitatum & gratiarum.

CA-

CAPUT XIII.

DE CESSATIONE INDULGENTIARUM

SICUT plura sunt, a quibus dependet valor Indulgentiarum, ita etiam ut eædem in suo robore perseverent, plura sunt necessaria, quorum detectu cessant Indulgentiæ; idcirco oportet in hoc capite discutere 1.° An Indulgentiæ cessent ob mortem Concedentis? 2.° An cessent per renunciationem, per destructionem rerum, & cessationem causarum? 3.° Quomodo difficultates concernentes validam & licitam Indulgentiarum Revocationem solvendæ sint? 4.° An Revocationes Gregorii XV. & Urbani VIII. Oraculorum vivæ vocis comprehendant Indulgentias? 5.° Quomodo intelligenda sit indulgentiarum suspensio Anni Jubilæi, & quas Indulgentias afficiat?

ARTICULUS I.

An Indulgentiæ cessent ob Mortem Concedentis.

CONclusio 1.ª Indulgentiæ non expirant morte Summi Pontificis concedentis, nisi aliter fuisset in concessione declaratum. Ita Paludanus *dist.* 20. *quæst.*4. *art.* 1. Sylvester *Verbo Indulgentia n.* 16. Angelus *n.*7. Innoc. *in cap. Quod Translationes de Offic. Legati*, aliique, quos refert & sequitur Suarius *Disput.* 57. *sect.*2. *n.*2.

Prob. Indulgentiæ sunt gratiæ & donationes factæ ab Ecclesiarum Prælatis in persona Christi, ut loquitur Apostolus 2. *ad Corinth. cap.*2.° de remissione pœnitentiæ facta Corinthio fornicario = *Nam & ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi* = Porro donationes & gratiæ non pereunt morte concedentis, ut innuit Regula *Decet in 6.* quæ sic habet= *Decet concessum a Principe beneficium esse mansurum* = Ergo Indulgentiæ non expirant morte concedentis.

Idque dicendum est etiam de Indulgentiis habentibus adjectam sequentem clausulam = *Ad beneplacitum Romani Pontificis, seu Sedis Apostolicæ* = quia hæc verba non ad personam, sed ad supremam Romani Pontificis Dignitatem referuntur, quæ semper durat; ut observant Salas *de Legibus disp.*20. *sect.*17. *n.* 225. Miranda *in Manual. Prælator. tom.*2. *q.*43. *artic.*1. Suarius *de Legib. lib.*8. *cap.*5. *artic.*1.

Additum est in Conclusione; *nisi aliter fuisset in concessione declaratum*, quia cum Indulgentiarum duratio ex voluntate concedentis dependeat, si in concessione earundem expressa fuisset duratio usque ad mortem ipsius, ultra minime se extenderent ejusmodi gratiæ.

Objicies 1.° Indulgentiarum valor ex Summi Pontificis concedentis voluntate dependet. Eo ergo obeunte, cum non sit amplius illius velle, & nolle, pereunt. Indulgentiæ.

Resp. ad Indulgentiarum valorem ex parte concedentis sufficere voluntatem præcedentem irretractatam, quæ licet non physice, ob ejus mortem, bene tamen moraliter perseverat; hic enim effectus moralis est, & morali modo fit.

Objicies 2.° Idem asserendum est de Indulgentiis ac de Privilegiis. Plura autem ex his tandiu durant, quandiu vixerit, qui ea concessit. Ergo indulgentiæ expirant morte concedentis.

Resp. privilegia esse in duplici differentia, alia enim pertinent ad rescripta justitiæ, alia ad rescripta gratiæ. Primi generis privilegia, quæ sunt potestates collatæ ad actus justitiæ sive civilis sive criminalis, quia cum jurisdictione delegata coincidunt, re integra, morte Delegantis expirant; ut habetur *Cap. Gratum* & *Cap. Relatum de Officio Delegati Cap. si cui nulla de Præbendis in* 6° quia licet per rescriptum Delegatus jurisdictionem assequatur, non tamen in eo radicatur, atque firmatur authoritas, donec jurisdictione uti cæperit; adeoque re adhuc integra, ea pereunte in Delegante, desinit pariter in Delegato, ut tenent Covarruvias *quæst. practic. c.*11. *n.*2. Bonacinna *Disp.* 1. *n.*24. Basseus *n.*13. Quod si privilegia spectent ad ad rescripta gratiæ, seu quod idem est, sint rescripta pure favorabilia; post licen-

tia Sacerdotibus data ad excipiendas Christifidelium Confessiones, facultas Bullæ Jubilæi eligendi Confessarium ex approbatis ab Ordinario, qui a casibus reservatis absolvat, & in Votis dispenset, nullo modo cessat ob mortem Summi Pontificis concedentis;nihil enim ejusmodi in jure determinatur. Ita Basseus *Privileg.3. n.13.* Sanchez *n.72.* Palaus §.4. *n.3.* Itaque cum non inter privilegia spectantia ad lineam justitiæ,sed inter ea,quæ spectant ad lineam gratiæ, & Indulgentias paritas tantummodo intercedat, nihil contra nostram Conclusionem evincitur.

Quod in Conclusione statutum est de Indulgentiis a Summo Pontifice concessis, asserendum est pariter de concessis ab aliis Prælatis habentibus potestatem ordinariam ad hujusmodi gratias concedendas; de aliis vero habentibus potestatem delegatam certa regula nequit tradi, sed attendi debet modus delegationis = *Loquendo secundum ordinarium jus* (inquit Suarius Disp. citata *sect.2. n.4.*) *& communem usum, dicendum est, Indulgentiam concessam ab eo, qui habet potestatem ordinariam concedendi illam, durare etiam post mortem concedentis. Probatur inductione, quia de Episcopis est communis sententia, ut patet ex Paludano, Sylvestro & aliis supra, & constat ex usu: & quia eorum potestas non limitatur in jure nisi ad tantam quantitatem, non vero quoad durationem: nec est ulla ratio, cur nos illam addamus. Et usus idem confirmat.De Legato etiam Pontificis idem docent omnes ob easdem rationes, vel a fortiori, quia censetur habere majorem potestatem: item argumento Cap. ult:de Officio Legati, ubi dicitur, statutum Legati non cessare per mortem illius; ubi glossa idem dicit de Indulgentia, quia non magis limitatur hæc potestas, quam illa. Ratio autem generalis esse potest, quia potestas ordinaria censetur concedi simpliciter, & juxta rei naturam, nisi expresse limitetur. At vero potestas delegata magis arbitraria est, & ideo non potest de illa statui regula adeo certa, sed solum pendere ex voluntate concedentis, & ita juxta modum delegationis judicandum est. Nihilominus si absolute datur ad concedendam talem vel talem Indulgentiam, credo etiam illam durare post mortem concedentis; quia si Indulgentia non limitatur ad hoc, ut pendeat ex vita concedentis, ex se non habet talem dependentiam, nec est cur dicamus eum illa limitatione concedi.*

Quæres. An morte Summi Pontificis concedentis, expirent Indulgentiæ sub hac forma datæ = *Indulgentias concedo, donec voluero, vel ad beneplacitum meum.*

Respondemus Indulgentias dicto modo concessas expirare morte concedentis.Ita Palaus *tr.3.disp.4.§.5.*Salmanticenses *in Cursu Moral. tr.* 18. *de Privileg. cap.2. n.* 149. quia mens concedentis est, Indulgentias ea adjecta formula datas, nedum a negativa, sed a positiva ipsius voluntate dependere,quæ cum eo obeunte non persistat,non possunt Indulgentiæ vigere. Hinc elucet discrimen inter Indulgentias ea adjecta clausula & alias absolute concessas, quod istæ in fieri a voluntate concedentis dependent, ut vero conserventur, satis est, ne detur contraria voluntas seu revocatio. Cæterum quando sub illa forma conceduntur, indigent tam in fieri, quam in conservari positiva voluntate concedentis.

Dices. Ea formula = *Indulgentias concedo donec voluero* = æquivalet huic = *Indulgentias concedo donec revocavero, vel aliter disposuero* = Istæ autem Indulgentiæ perdurare censentur, donec aliter statuatur. Idem ergo dicendum est de Indulgentiis concessis ea formula = *Indulgentias concedo donec voluero.*

Resp. Assignando discrimen inter eos concessionis modos = *Indulgentias concedo donec revocavero* = & = *Indulgentias concedo donec voluero, seu ad beneplacitum meum* = quod ex vi primi modi, Indulgentiæ obtentæ cessare nequeunt, nisi præcesserit actus positivus revocationis, quem elicuisse concedentem ante mortem, minime præsupponitur. Cæterum ex vi secundi modi, mens concedentis est, Indulgentias ab ejus voluntate nedum negativa sed etiam positiva dependere. Oppositum esset dicendum, ubi Indulgentiæ concederentur cum clausula = *Ad voluntatem Sedis Apostolicæ* = quia hæc verba ad Summi Pontificis voluntatem diriguntur, quæ semper durat. Ita Salas *de Legibus disp.* 20.*sect.*17. *n.* 125. Suarius *de Legib. pariter, lib.*8. *cap.*3. *n.*1. Layman *lib.*1.*tract.*4.*apud* Salmanticenses *loco cit.*

Ob-

Observandum tamen est, modum dicendi nobis contrarium: quod morte concedentis non expirent Indulgentiæ ab eo datæ sub illa clausula = *Indulgentias concedo: donec voluero* = sua probabilitate gaudere; quod tanquam probabile admittit Palaus *loco cit. nu.5.* = *Addendum*, inquit, *existimo, illis verbis non limitari gratiam ad vitam concedentis, sed prorogari post illam, quousque revocetur; quia videntur in communi loquendi modo æquivalere illa verba ad beneplacitum meum, illis verbis donec revocavero, seu aliter ordinavero: quia dum aliter non ordinatur, semper videtur esse, & perseverare eadem voluntas. Et confirmari potest ex usu & consuetudine Ordinariorum, cum facultatem Religiosis & aliis personis concedunt administrandi Sacramenta, subjungunt fere semper: si velle, ut illa licentia efficaciam habeat, dum fuerit nostra voluntas; at ex his verbis non reputantur licentiæ cessare, quousque revocentur. Ergo &c. & ita tenet Emanuel Sà: verbo gratia num.7. in utraque editione genuina & reformata, ibi gratia, in qua dicitur, donec voluero, vel donec aliter ordinavero: & in editione genuina subjungit (& si contra habeatur in reformata) quod si dicat Papa, ad nostrum beneplacitum; expirare, eo mortuo, quidam putant, alii negant: & remittit se ad id quod dixerat verbo: Delegatus, ubi in num. 3. inquit: delegatio non expirat delegante excommunicato aut suspenso, neque ipso mortuo, si est data ad ejus beneplacitum.*

ARTICULUS II.

An Indulgentiæ cessent per Renunciationem, Rerum destructionem, & Causæ desitionem?

FATENTUR omnes Doctores, personam particularem, vel Congregationem posse Indulgentiis sibi directe concessis renunciare, quilibet enim cedere potest favoribus sibi collatis; ut probat textus *l. si Judex 24. §. de Minoribus Cap. Titius 39. Cap. Ad Apostolicam de Regularibus*; Quod ita intelligendum est de concessis toti Congregationi, ut quanquam persona particularis possit illis frui & non frui, tamen quia sibi ea directe data non sunt, nequeat illis renunciare *Cap. si diligenti de Foro Competent. Cap. si contingat de sententia Excommunication.* Sed an per renunciationem cessent Indulgentiæ, examini committitur.

Conclusio 1.ª Indulgentiæ non cessant, nisi renunciatio a Prælato, qui illas concessit, vel ejus Successore acceptetur. Ita Suarius *disp.57. sect.2. n.13.*

Prob. Non acceptata renunciatione Indulgentiarum ab illo, qui eas concessit, adhuc persistit voluntas concessionis earundem, quæ est quasi continuata & prorogata earundem concessio. Cum ergo res per illas causas, per quas nascitur, per easdem dissolvatur, Indulgentiæ ortum ducentes non a subditis acceptantibus, sed a voluntate concedentis, ut cessent, debent in acceptatione renunciationis a concedente facta consummari. In quo sensu Lavorius pariter adhæret nostræ Conclusioni = *Licet per renunciationem*, inquit, *Par. 2. cap. 7.* Indulgentia *possit extingui, cum quilibet possit renunciare favori, quatenus ad ipsum spectat renunciare Cap. Nuper de Decimis, tamen non valet ista renunciatio, mutando voluntatem concedentis, sed bene non utendo illa* = Luculenter idem tradit Adam Opatovius S. Theologiæ Doctor & Professor in Cracoviensi Accademia in *Disp.7. de Indulg. in fine*, discrimen observans inter renunciationem Privilegiorum, & renunciationem Indulgentiarum = *Ob renunciationem illius*, ait, *cui Indulgentia concessa est, non cessat. Nam Indulgentia non habet se eo modo ut privilegia: quia hæc jus quoddam conferunt, & cui conceduntur, liberum est juri renunciare. Indulgentia autem nullum jus confert, sed solum usum Indulgentiarum: huic autem si quis renunciet, adhuc Indulgentia in suo robore viget; semper enim est in libera voluntate concedentis, quam renuncians usui Indulgentiarum mutare non potest; unde talis renuncians Indulgentiæ, si iterum voluerit, poterit illam obtinere. Sin autem dato casu sic renunciaret, quod Papa acceptaret ab eo re-*

nunciationem, jam tunc cessaret Indulgentia; verum non per renunciationem illius cui concessa est, sed per voluntatem Summi Pontificis revocantis = Ergo Indulgentiæ non cessant, nisi earundem renunciatio à Prælato, qui illas concessit, vel ejus Successore acceptetur.

Conclusio 2.ª Per rerum destructionem cessant Indulgentiæ. Hanc Conclusionem defendunt Paludanus, Sylvester, Navarrus, Corduba apud Suarium *sect. supracit. num.* 11.

Prob. Pereunte substantia, accidentia sive physica sive quodammodo moralia destrui necesse est. Cum ergo Indulgentiæ sint quodammodo accidentia moralia, eas cessare dicendum est per rerum destructionem. Explicatur hoc magis. Indulgentiæ aliæ sunt Personales, aliæ Locales, aliæ Reales. Quod primæ deficiant obeuntibus personis, patet, quia istæ perpetuæ non sunt, sed potius vitales, adeoque datæ sunt, ut duraturæ ad vitam illius: eo modo, quo privilegium sequitur personam & cum persona interit. De aliis Indulgentiis idem evincitur; nam etiamsi Loco, aut Rosario & Numismati proprie datæ non sint, sed hominibus, qui visitando eum Locum, atque utendo Rosario, illas possint lucrari, tamen in gratiam tam Loci, quam Rosarii & Numismatis concessæ sunt. His itaque rebus destructis, pereunt seu cessant pariter Indulgentiæ.

Unum hic advertendum moneo cum Suario: aliud esse loqui de persona cui fit concessio Indulgentiæ, seu quæ a Summo Pontifice eam obtinuit: aliud vero de iis, pro quibus fit concessio hujusmodi gratiæ, ut eam possint comparare; quia Indulgentia personalis cessat, cum persona, quæ eam est lucratura certo operi vaçando, perit, non vero obeunte impetrante (nisi fortasse in concessione talis terminus præfigeretur) cum Indulgentia ex se ab impetrante nullo modo dependeat.

Conclusio 3.ª Cessantibus causis motivis concessionis, pereunt Indulgentiæ. Ita sentiunt communiter Doctores.

Non loquimur de causa impulsiva; hæc enim cum non sit primaria causa concedendi, sed secundaria, non est hujusmodi, cui concessio innitatur.

Prob. Indulgentiæ pendent essentialiter ex causa rationabili & proportionata. Ergo sicut, ea non existente, nullæ sunt, cum primo conceduntur: ita ea tractu temporis pereunte deficiunt; sive enim considerentur in fieri sive in conservari, semper habent, quod sint dispensationes Thesauri meritorum Christi & Sanctorum, quæ ut dicitur in Extravaganti *Unigenitus de Pænit. & Remissionib.* causam rationabilem exposcunt. Robur adjicitur nostræ Conclusioni ex Responsione Sacræ Congregationis Indulgentiarum & Sacrarum Reliquiarum, quæ sub die 27. Julii anno MDCCXXXIII. censuit = *Confraternitatem Sanctæ Mariæ Gratiarum, translatam ad novam Ecclesiam, non gaudere Indulgentiis olim eidem concessis a Julio II. intuitu soli Hierosolymitani, in quo primo fuerat erecta & fundata* = Verba concessionis factæ a Julio II. hæc sunt = *Ea propter omnes libertates & immunitates, Indulgentias sive privilegia, vel alia indulta Præceptoriæ prædictæ, ac sicut illius membro pleno jure subjecto Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, & in illa Apostolica authoritate institutæ Confraternitati sub invocatione Sanctæ Mariæ Gratiarum, & illius Confratribus ratione dicti Hospitalis concessas, confirmamus.*

Objicies 1.º Opus non est tandiu durare causam, quandiu perseverat Indulgentia, ut patet in perpetua, quæ causam habet temporalem; dependet enim ab ea solum in fieri, non autem in conservari. Cessante ergo causa motiva concessionis, non perit Indulgentia.

Resp. opus non esse tandiu durare Indulgentiam, quandiu physice duntaxat causa persistit: bene vero quandiu hæc perdurat moraliter (in quo sensu diximus supra, nostram Conclusionem propugnantes, Indulgentias pereunte causa motiva deficere;) non raro quippe causa physice transit, quæ adhuc vel in suo effectu, vel in respectu morali ad illam perseverat: & in hoc casu verum est, pro causa physice temporali concedi Indulgentiam perpetuam, quia causa moraliter perpetuo durat. Haustam habes hanc solutionem a Suario *sect. citat. n.* 14. qui ait = *Non est necesse, ut causa tantum duret, quantum durat Indulgentia, nam propter causam temporalem potest concedi Indulgentia perpetua. Igitur a principio consideranda est causa Indulgentiæ, nam si illa fuit*

suf-

sufficiens ad tantam Indulgentiam pro tali tempore concedendam, etiamsi illa transeat, Indulgentia durabit; ut V. G. Dedicatio Ecclesiæ, quæ uno die fit, est sufficiens causa, ut concedatur Indulgentia unius anni, & respectu Pontificis potest esse sufficiens ad Indulgentiam perpetuam, præsertim si aliæ causæ concurrerent..... Verum tamen est, ex hac causa semper relinqui aliquem effectum, vel saltem aliquem respectum moralem ad illam, ratione cujus talis duratio Indulgentiæ nunquam est sine sufficienti causa morali. At vero si a principio causa non sit sufficiens ad concedendam perpetuam Indulgentiam, sed solum pro tanto tempore, tunc quidem etiamsi perpetua concedatur, non est in totum valida, sed solum pro tempore proportionato causæ. Sicut enim in alia quantitate Indulgentiæ servanda est proportio ad causam, ita etiam in duratione: & ideo transacto illo proportionato tempore, cessabit Indulgentia apud Deum, non quia cessavit causa: fieri enim potest, ut antea jam cessaverit; sed quia a principio concessio non fuit valida, nisi pro tali tempore.

Objicies 2.° Concessio aliarum gratiarum & effectuum moralium, si a principio ex causa rationabili sit facta, semper durat, quanvis causa cessaverit, intuitu cujus fuerat obtenta, ut constat in dispensatione Voti, Legis & Juramenti. Ergo opus non est, ut valida sit Indulgentia, quod causa vel physice vel moraliter perseveret.

Resp. dispensationem consummari, quum fit relaxatio Voti, Legis & Juramenti: ac proinde si tunc vera causa daretur, etiamsi postea cessaret (dummodo sit absoluta) minime redderetur invalida, nec obligatio extincta reviviscerет. Quod consonum est *Regulis juris in 6.* & potissimum *Regulæ* 73. quæ est = *Factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, a quo non potuit inchoari* = Diximus si esset dispensatio absoluta, quia si conditionem aut implicitam aut explicitam involveret, obligatio Voti, Legis & Juramenti denuo consurgeret: puta si quis ob virium debilitatem dispensationem obtinuisset cōmedendi carnes tempore Quadragesimali, factus enim robustus ad Quadragesimales cibos redire teneretur. Cæterum in Indulgentiis semper & indispensabiliter importatur ea tacita conditio causæ motivæ, a qua omnino dependent, tum in fieri, tum in conservari.

ARTICULUS III.

Expediuntur Difficultates nonnullæ de valida & licita Indulgentiarum revocatione.

CERTUM est, Indulgentias semel concessas per revocationem tacitam vel expressam, factam a concedente vel ejus Successore, vel Superiore cessare; ut colligitur ex Clementina *Dudum* §. *Nos autem de Sepulturis*, & Extravaganti *Quemadmodum de Pœnit. & Remissionib.*

Hæc autem revocatio duobus modis fieri potest, vel generaliter & confuse, vel determinate. Primo modo, quum non specificatur aliqua Indulgentia particularis, sicut revocatio, quæ prodiit tempore Pauli V. pro Regularium Indulgentiis, Constitutione incipiente *Romanus Pontifex.* Secundo, quum de quibusdam in particulari fit mentio specialis.

Quæres 1.° An valide fieri queat Indulgentiarum revocatio sine causa?

Respondemus affirmative; etenim sicut privilegia mere gratiosa, per quæ dominium rerum minime transfertur, sed duntaxat facultas conceditur ad aliquid agendum, vel non agendum præter Jus, possunt a Principe, quando & quomodo voluerit, sine causa revocari, ita & Indulgentiæ; tam enim istæ, quam privilegia dicta sunt favores & gratiæ dependentes a voluntate concedentis, ac tacitam quandam conditionem censentur involvere = *Nisi revocavero.* vel *quandiu non revocavero.*

Dices. Valida non est Indulgentiæ concessio justa causa non interveniente. Ergo ob eandem rationem Indulgentiarum revocatio valida non erit.

Resp. Thesaurum meritorum Christi & Sanctorum ad dispensandum Summo Pontifici fuisse commissum, cæterisque Ecclesiæ Prælatis, qui proinde sicut possunt justa etiam ac rationabili causa occurrente Indulgentias non concedere, ita pro libito concessas revocare. Quod vero præter concedentis voluntatem specialiter justa

sta causa pro earum concessione requiratur, in naturam dispensationis dicti Thesauri refunditur, quæ non in destructionem, sed in Ecclesiæ ædificationem postulat exerceri; ut dictum est supra *Cap.4. art. 2.*

Quæres 2.° An ad licitam Indulgentiæ revocationem causa requiratur?

Causam per se loquendo non requiri ad licitam Indulgentiæ revocationem, sentit Suarius *Disp. 57. sect. 2. num. 6.* = *Quia a principio hoc*, inquit, *fuit beneficium gratuitum, quod tunc posset absque alia causa licite negari. Ergo postea etiam potest licite revocari sine causa, quia hoc nihil aliud est, quam non conservari, vel non dari pro tempore futuro, etiamsi pro præterito datum fuerit. Item qui concessit Indulgentiam, non se obligavit ad illam conservandam: ergo tam libere potest non conservare, sicut potuit non dare. Præterea quia per concessionem Indulgentiæ perpetuæ nullum jus acquiritur illi, cui conceditur, sed semper manet in ratione cujusdam gratiæ pendentis ex voluntate concedentis: & ideo nulla fit alteri injuria, neque imponitur ei gravamen contra justitiam, vel aliam virtutem, etiamsi hoc favore privetur ex sola voluntate, absque alia causa. Cum autem causam excludimus, non auferimus finem aliquem honestum, qualis necessarius est ad honestatem cujuscunque actionis humanæ ex objecto indifferentis: sed solum asserimus, non esse necessariam specialem causam, quæ honestet hunc actum* = Addit tamen, Indulgentiæ revocationem ab extrinseco & per accidens posse esse illicitam. 1.° si ea posset scandalum Christifidelibus afferre: exempli gratia quia esset signum odii erga personas, quibus Indulgentia concessa est. 2.° si concedens promisisset, se illam nunquam revocaturum: nam promissio illa honesta esset in eo sensu, quod saltem sine causa non fieret revocatio; obligaret autem ipsum promittentem tantum, non vero Successorem, quia promissio est actio personalis. 3.° si nosceretur fructuosa, & tamen absque causa abrogaretur. 4.° si usus Indulgentiæ esset jam inchoatus: ideoque videretur esse jus acquisitum, ut non posset sine magna causa revocari, ut V. G. si Jubilæum concessum sit, & cœperit quis opera illa facere; quia hoc ipso videretur dari jus aliquo modo acquisitum, ut non revocaretur gratia Jubilæi, prius quam opera dicta perficerentur; quantumvis enim, etiam in eo casu, non daretur proprium jus acquisitum, tamen ex quadam fidelitate, & tacita promissione, quæ subintelligi facile potest, illicitum profecto esset hujusmodi hominem Indulgentiæ beneficio defraudare, nisi urgens causa cogeret ad universalem ejus revocationem.

Nostra tamen responsio sit, per se loquendo, ut licita sit Indulgentiæ revocatio, præter honestatem finis (qui in omni actione humana debet intervenire regulariter) aliquam causam adesse debere, quæ specialem Dei cultum, vel Ecclesiæ bonum, vel majorem Fidelium fructum respiciat. Ita Palaus *Tract. 24. disp. unica punct. 11. num. 2.* Donatio enim semel facta nequit per se sine causa justa licite revocari; quia concessum a Principe beneficium debet esse permanens, ut habetur in *Reg. Decet de Regulis juris in 6.* cum impossibile sit, fieri illius revocationem citra aliquam notam; quamobrem conveniens non est, concedentis gratiam mutari, nisi rebus mutatis. Quod maxime probat in Indulgentiis, quæ a Christi Ministris conceduntur, quibus commissa est dispensatio facienda ex Ecclesiæ Thesauro ob justam atque rationabilem causam.

Nota tamen pro causa, ut licita sit Indulgentiarum revocatio, opus non esse dari culpam, aut demeritum quorundam, sed sufficere profusam in earum distributione liberalitatem: ne inde socordes reddantur Christifideles ad implenda pœnitentiæ opera, aut procliviores ad illicita perpetranda; qua ratione ductus Sixtus IV. Constitutione incipiente *Etsi Dominici gregis* nonnullas facultates vel a se vel a Prædecessoribus Pontificibus concessas abrogavit, ibi = *Ne cujusvis Indulgentiæ, remissionis, vel facultatis obtentu Christifideles procliviores ad illicita inposterum committenda reddantur, aut facilitas veniæ eis peccandi tribuet incentivum* = & Pius V. Constitutione, cujus initium est pariter *Etsi Dominici gregis*, cunctas Indulgentias pro porrigentibus manus adjutrices concessas revocavit propter abusus & corruptelas, quæ in aliis irrepserant.

Objicies 1.° Indulgentiæ concessio est gratuitum beneficium, quod licite potest etiam

etiam sine causa a Summo Pontifice denegari. Ergo sine causa potest licite revocari.

Resp. aliud esse loqui de Indulgentia ante concessionem, aliud vero post; etenim ita Summus Pontifex Indulgentiam concedit, ut per se ad illam concedendam non teneatur, ac per consequens, ubi primo non concederetur, esset mera negatio, ac proinde opus non esset in non concessione causam exposcere. Cæterum ejus revocatio post concessionem esset privatio: adeoque paritas non tenet; & quanquam Summus Pontifex, qui Indulgentiam concessit, non se obligaverit ad illam non revocandam, tamen convenit, rebus prorsus non mutatis, eum a gratiæ conservatione non recedere.

Objicies 2.° Per Indulgentiarum concessionem nullum jus acquiritur a Fidelibus, qui hujusmodi gratiis donantur: adeoque Indulgentiæ semper, in ratione quorundam favorum unice a voluntate Prælatorum dependentium, perseverant. Ergo poterunt etiam causa circumscriptâ Prælati eas licite revocare.

Resp. ex quo per Indulgentias concessas nullum proprie acquiratur jus, solum probari, valide sine causa posse revocari, non autem licite.

Quæres 3.° An cessent Indulgentiæ statim ac promulgatur revocatio: vel quando pervenit ad Christifidelium notitiam?

Plurium Doctorum sententia est, Indulgentiam Plenariam a Callisto III. concessam pro porrigentibus subsidium contra Barbaros, & ab ejus Successore revocatam, tempore intermedio, quod interfluxit a revocatione usque ad diem notitiæ, propter ignorantiam invicibilem, ab implentibus illud opus injunctum fuisse comparatam. Ita Geminianus *de concess. præbendar.* Sylvester verbo *Indulgentia num.*27. Tabienna *nu.* 29. quod de hujusmodi revocationibus dicendum esse, putant alii Doctores, nisi fortassis ex earum tenore appareret, Summum Pontificem expresse velle, revocationem locum habere, quantumvis nulla promulgatæ revocationis haberetur notitia. Suarius *Disp.* 57. *sect.* 2. *num.* 9. & Cottonius *lib.*2. *controv.* 11. *num.* 107. non ita generaliter huic sententiæ subscribunt, sed necessitatem notitiæ revocationis exposcunt duntaxat pro Indulgentiis, quibus absolutionis a Censuris & a casibus reservatis, necnon alia privilegia adjecta sunt.

Nos vero cum Passerino *Quæst.* 107. *num.*853. respondemus, cessare quascunque Indulgentias per revocationem earundem juxta stilum sufficienter promulgatam; lex enim ut vel abrogetur, vel vim obtineat obligandi, satis est, ita eam exterius subditis intimari, ut possint moraliter loquendo ad cognitionem legis vel de novo statutæ, vel revocationis ejusdem venire. Ergo ut Indulgentiarum revocatio robur obtineat, opus non est, eam de facto ad Fidelium notitiam venire, sed satis est, id posse innotescere; quod profecto obtinetur, quum revocatio sufficienter promulgatur.

Hinc corruit assertum probabiliter a Suario & Cottonio propugnatum, validam nempe esse Confessionem de casibus reservatis factam occasione Jubilæi: ac pœnitentes obtenta absolutione eorundem a Sacerdotibus approbatis ab Ordinariis, ab obligatione comparendi coram legitimo Superiore exonerari, concurrente ignorantia invincibili revocationis Jubilæi; hæc enim ignorantia nequit reddere actum absolutionis validum, sine potestate jurisdictionis: supposita siquidem dictæ revocationis promulgatione, sicut non daretur facultas in pœnitente eligendi Confessarium, qui a reservatis absolveret, ita nec in eo potestas ad hujusmodi munus obeundum; quamobrem licet proprium sit ignorantiæ invincibilis, cum ea operantem eximere a culpa, non tamen actum gratuitæ concessionis, a Superiore revocatum, validum efficere.

Dices. Revocatio Indulgentiarum facta a Summo Pontifice, qui eas concessit, præsumi posset imprudens, adeoque locum obtinere non debet, antequam Christifidelibus innotescat. Alias Christifideles vacantes operibus injunctis nullum absque culpa Indulgentiarum fructum perciperent.

Resp. prudenter & cordate in revocando Summum Ponrificem procedere, ubi revocatio omnibus posset manifestari, quanquam ea actu ignoraretur; quod profecto fieret, si revocatio juxta stilum sufficienter promulgaretur: ideoque optime observat Passerinus *Quæst. cit. n.* 860. revocationem Romæ promulgatam sufficere de sui

sui natura in foro externo, si habeat Decretum irritans, quod de sui natura etiam ignorantes afficere compertum est. *Cap. si eo tempore 45. de Electione in 6.* & *Cap. Postquam Cap. Dudum Cap. Beneficia* & *Cap. Quodam de Præbend. & dignitatib.* unde ab hora promulgatæ revocationis, Indulgentiæ irritæ & abrogatæ manerent?

Quæres 4.° An Summus Pontifex possit Indulgentias per solum actum internum revocare?

Amicus *in Tom.8. disput.* 20. *n.*292. ad Indulgentiarum revocationem, validam ipsius revocationis promulgationem requirit; quia non præsumitur aliter Summus Pontifex revocare Indulgentias, quam alia privilegia & indulta. Idem asserit Cardinalis de Lugo disp.27. §.3.n.148.pluribusque non contemnendis ad id probandum utitur rationibus = *Primo*, inquit, *propter rationem generalem, quam tradit cum aliis Thomas Sanchez lib.3. de Matrim. disp. 36. quod licentia alicui concessa non revocatur per solum dissensum contrarium concedentis. Secundo, quia fundamentum contrariæ sententiæ supponit falsum, scilicet, quod effectus & valor Indulgentiæ pendent ex voluntate concedentis. Hoc inquam in rigore falsum est; quia non dependet, nisi ex voluntate præterita legitime intimata. Unde quando mortuus est, qui concessit, valor Indulgentiæ continuatur, non quidem propter voluntatem præsentem ipsius, quum jam non habet authoritatem: neque etiam propter voluntatem successoris, ut indicat Suarez dicta sect. num.3. tum quia fortasse nondum est electus successor: tam etiam, quia successor potest nihil de tali concessione cogitasse, nec in particulari nec in communi: sed continuatur valor præcise propter voluntatem præteritam, ex vi cujus applicuit Thesaurum, ad talem effectum suo tempore operandum. Ergo ad impediendum effectum debet impediri causa præterita: non quidem non conservando illam, quia ejus conservatio non requiritur, sed positive impediendo ejus efficaciam, quæ non videtur posse impediri, nisi per actum externum. Quia sicut concessio Indulgentiæ requirit actum externum, quia est actus jurisdictionis visibilis: sic revocatio concessionis est actus jurisdictionis visibilis, nam Successor non aliter potest revocare concessionem Prædecessoris, nisi propter jurisdictionem acceptam, qua potest claudere id, quod Prædecessor aperuit. Cum ergo Claves tam ad claudendum, quam ad aperiendum pertineant ad jurisdictionem visibilem, debent exerceri per actus visibiles & externos, ut valide operentur* = Quem dicendi modum approbat Cottonius *Lib. 2. de Sacram. Controv.* 11. *n.*105. referens, ita Romæ non paucos Doctores judicasse, cum ibi innotescere cœpisset animus Alexandri VII. quascunque Indulgentias Numismatibus concessas revocandi. Hæc fundamenta reddunt sententiam Cardinalis de Lugo satis probabilem.

Respondemus tamen: posse valide per solum actum internum Indulgentias a Summo Pontifice revocari. Ita Suarius *sect.cit. n.*10. Passerinus *n.*859. quia Indulgentiarum valor & efficacia nedum pendent essentialiter a concedentis potestate, sed etiam ab ejus voluntate; prudenti siquidem Summi Pontificis aliorumque Ecclesiæ Prælatorum arbitrio divinitus commissa est dispensatio Thesauri meritorum Christi & Sanctorum. Itaque si post Indulgentiarum Literas Apostolicas Summus Pontifex per actum internum concessionem ibi factam revocaret, Indulgentiæ subsistere non possent: eo pari modo quo, si ita concederentur, vel forma concessionis ita usurparetur, ut actus internus vere illas largiendi deficeret, minime valerent. Quod confirmari potest ex eo, quod seclusa intentione Ministri faciendi opus ut Sacramentale, quanvis serio materia & forma applicarentur, non perficeretur verum Sacramentum, ut dictum est *Cap.*10. *Art.*5. *quæst.*6.. Cum ergo Indulgentiæ tam in fieri quam in conservari a concedentis voluntate dependeant, & si actus revocationis externe non manifestaretur, adhuc revocatio subsisteret, ac Indulgentiæ nullitatis vitio laborarent.

Fatemur tamen hujusmodi revocationem esse illicitam, ea enim esset illusio atque Christifidelium deceptio, & quidem in materia gravi.

Hinc 1.° principale Cardinalis de Lugo pro opposita sententia fundamentum evertitur. Quanquam enim quantum ad forum

rum externum non præsumeretur impedita & retractata ea voluntas præterita concessionis Indulgentiarum, nisi per promulgationem revocationis: aliter tamen dicendum esset in foro Dei, si internus actus præteritæ concessioni contrarius in concedente reperiretur. Quod pariter asserendum est de actibus jurisdictionis: exceptis tam publicis quam occultis, factis cum errore communi & titulo colorato; isti enim validi sunt, non in vi privilegii, sed adminiculo juris similes actus sustinentis *L. Barbarius ff. de Officio Prætoris Basyl. lib. 8. cap. 19. n. 14.*

Corruit 2.° argumentum concessionis Indulgentiarum ad sui valorem tum internum tum externum actum requirentis; ex hoc quippe inferri non potest, utrunque ejusmodi actum ad revocationem earundem exposci; difficilius enim est, ædificare quam destruere. Maxime quia Indulgentias concedere, est de linea boni, quod ex integra causa consurgit, ac proinde actum internum & externum simul exposcit: revocatio vero de linea mali, ad quod minimus defectus, ac per consequens actus internus intentionis est sufficiens.

Dices. Leges humanæ vim obligandi non obtinent in actu, neque possunt abrogari, ubi actus externus non adesset, etiamsi internus concurreret; unde *Cap. In istis dist. 4.* dicitur = *Leges constitui dum promulgantur* = Idem ergo putari debet tam de concessione quam de revocatione Indulgentiarum:

Resp. leges esse regulas humanarum operationum, quæ tales sunt in actu secundo, quum subditis applicantur; quæ applicatio fieri nequit nisi medio actu externo seu promulgatione = *Lex imponitur aliis* (inquit D. Thomas 1. 2.æ quæst. 90. art. 4. in corp.) *per modum regulæ & mensuræ. Regula autem & mensura imponitur per hoc, quod applicatur his, quæ regulantur, & mensurantur; unde ad hoc quod lex virtutem obligandi obtineat, quod est proprium legis, oportet quod applicetur hominibus, qui secundum eam regulari debent; talis autem applicatio fit per hoc, quod in notitiam eorum deducitur ex ipsa promulgatione: unde promulgatio ipsa necessaria est ad hoc, quod lex habeat suam virtutem* = Ex quo colligitur, quod licet lex, ut dicit imperium in mente Legislatoris existens, habeat ex se vim obligandi, eam tamen nunquam habebit in actu secundo, nisi per manifestationem subditis applicetur: nec deobligabit, aut abrogabitur nisi per revocationem legis antea obligantis promulgatam. Imo ad obligandum satis est præsumta superioris voluntas, etiamsi deesset actus internus; externa enim legis promulgatio, secum ferens necessario præsumtam Legislatoris voluntatem, est sufficiens, dum de voluntatis defectu minime constaret. Cæterum Indulgentia non se habet per modum regulæ humanorum actuum, sed per modum concessionis gratiæ vel favoris, quæ non exigit ad sui valorem notitiam apud eos, qui possunt illius utilitatem percipere = *Sicut gratia* (inquit Passerinus *n. 858.*) *ad ejus valorem non requirit essentialiter notitiam sui in eo, cui confertur gratia, ita nec eandem notitiam petit, ad hoc ut gratia non valeat; & ex hoc ad ejus invaliditatem sufficit defectus voluntatis concedentis, quia ex quo ad ejus valorem non requirit notitiam ejus, qui gratiam est recepturus, non est unde non possit invalidari ex defectu ejus, quod non est in ejusdem notitia.*

ARTICULUS IV.

An Revocationes omnium Oraculorum vivæ vocis per Gregorium XV. & Urbanum. VIII. factæ comprehendant etiam Indulgentias?

ORaculum vivæ vocis hic dicitur gratia oretenus tantum a Summo Pontifice concessa. Hinc tum gratiæ factæ per Bullas & Brevia dici non valent vivæ vocis Oracula: tum quæ fiunt per Signaturam Papæ, quum nempe alicui petitioni propria manu subscribit, quia concessiones hujusmodi non fiunt oretenus.

Plura de Oraculis vivæ vocis eorumque revocationibus expendenda sunt, ut Conclusioni infra ponendæ major claritas accedat.

Præmittendum itaque est I.° vivæ vocis Oracula Summorum Pontificum eandem vim habere ac Brevia & Bullas; etenim

 scri-

scriptura nihil superaddit voluntati Principis, a qua gratiæ & privilegia dependent, sed duntaxat mentem concedentis aperit, atque demonstrat; quamobrem donationem Principis, nulla prævia scriptura declaratam, suam vim habere, docet Turrecremata in *Can. Institution. 25. q. 1.*, qui pariter ex *Cap. Dudum de sepulturis* colligit, Summum Pontificem scripto & sine scripto posse privilegia, gratias & favores subditis conferre. Et profecto sicut potest Princeps edito vivæ vocis Oraculo subditos obligare, ita eosdem privilegiis & gratiis oretenus concessis ab observantia legum eximere. Verum cum debeat de iis constare, ut tuto queant ab absentibus executioni mandari, scriptura qualificata, & fide digna requiritur, de cujus veritate nulla dubitatio possit suboriri: & hoc potissimum pro foro exteriori. Ideoque fit, Pontificia vivæ vocis Oracula probari minime posse, nisi vel per duos idoneos testes, aut per authenticam scripturam qualificatam. Leonem tamen X. Patribus Minoribus Ordinis S. Francisci, compertum est, vivæ vocis Oraculo concessisse, quod possent licite frui privilegiis & gratiis, prout in Libris Ordinis eorundem reperiebantur, citra aliam scripturam authenticam, ut tradit Rodericus in *Tom. 1.° quæstion. Regular. quæst. 7. art. 5.°*

Præmittendum 2.° est, quod cum plurima vivæ vocis Oracula Sixti IV. ætate circumferrentur, ea omnia Pontifex laudatus abrogavit Constitutione incipiente *Etsi Dominici gregis*, edita anno MCDLXXVIII., quo exemplo ductus Gregorius XV. iterum ea omnia tum a se tum a Prædecessoribus Pontificibus facta, quæ suum effectum sortita non fuerant, generaliter revocavit Constitutione incipiente *Romanus Pontifex*, edita sub die 2. Julii MDCXXII., ut variis occurreret difficultatibus, atque abusibus inde prodeuntibus: exceptis duntaxat concessis ad Regum instantiam, atque manu Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium firmatis = *Itaque motu proprio* (verba sunt dictæ Constitutionis) *& ex certa scientia, ac matura deliberatione, Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia & singula indulta, facultates, privilegia, gratias & concessiones quascunque spirituales & ecclesiasticas, tam ad forum interius, quam exterius spectantes, ac tam ad supplicationem partium, quam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus a Sede Apostolica, quæ tamen vivæ vocis Oraculo hactenus quandocunque, & qualitercunque, & quavis etiam de necessitate exprimenda causa, quibusvis Collegiis, Capitulis, Ordinibus tam Mendicantium quam non Mendicantium, Societatibus, etiam Societatis Jesu, ac Congregationibus quibuslibet, sive eorum, & earum respective Præpositis, Decanis, Magistris, Ministris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus, Generalibus, vel Provincialibus, quocunque nomine nuncupatis, Superioribus etiam quomodolibet exemtis, ac Sedi Apostolicæ immediate subjectis, cujuscunque dignitatis, præeminentiæ, aut quovis privilegio munitis; non tamen ad supplicationem Regum concessis: in iis videlicet, quæ non sunt sortita effectum, tenore præsentium revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, & annullamus: ac revocata, cassa, sublata, abrogata & annullata, viribusque & effectu vacua perpetuo fore & esse, neque inposterum cuiquam suffragari posse vel debere, etiamsi expressa & specifica mentio, etiam de verbo ad verbum de his facienda esset, decernimus & declaramus.... Firmis tamen & in suo robore permanentibus omnibus indultis, & aliis concessionibus prædictis vivæ vocis Oraculo S.R.E. Cardinalibus, ad ipsorum vel aliorum quorumcunque favorem propria S.R.E. Cardinalium manu firmatis, pro ipsis vel aliis factis, de quibus iidem S.R.E. Cardinales testimonium in scripto præbuerint* = Aliam subinde ampliorem fecit revocationem Oraculorum vivæ vocis Urbanus VIII., Constitutione cujus initium est: *Alias felic. Record. Gregorius XV.*, edita sub die 20. Decembris MDCXXXI., ea comprehendens, quæ Gregorius XV. exceperat; ut habetur ex his verbis dictæ Constitutionis = *Cum autem experientia rerum magistra compertum sit, concessiones & gratias vivæ vocis Oraculo, etiam a S. R. E. Cardinalibus obtentas, & ipsorum manu firmatas, sæpe ab his, in quorum favorem emanarunt, minus canonica interpretatione extendi, & perperam in disciplinæ Ecclesiasticæ detrimentum,* exe-

executioni mandari ; idcirco quantum cum Domino possumus, his & aliis malis occurrere volentes, motu proprio & ex certa scientia, ac matura deliberatione, Nostrisque, deque Apostolicæ potestatis plenitudine : & de consilio nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, quibus negotium hujusmodi mature discutiendum commisimus, omnia & singula privilegia, facultates, licentias, & gratias quascunque, per Summos Pontifices Prædecessores nostros, ac per Nos vivæ vocis Oraculo, & S. R. E. prædictæ Cardinalium quorumcunque manu firmata, quibuscunque Generalibus, Provincialibus cæterisque Superioribus & personis cujusvis Ordinis, Congregationis, Instituti & Societatis, sive sæcularibus sive Regularibus, vel etiam ipsis Ordinibus, Congregationibus, Institutis & Societatibus, etiam Societatis Jesu, aut ejus Clericis seu Presbyteris, aliisque personis prædictis, quacunque de causa, etiam de necessitate exprimenda, occasione, prætextu vel colore, etiam intuitu, contemplatione, seu ad instantiam Imperatorum, Regum, & Principum quorumcunque, aut alias quomodolibet concessa, illorum tenores præsentes pro expressis habentes, tenore præsentium revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus & annullamus, ac de cætero revocata, cassa, sublata, abrogata & annullata, viribusque & effectu vacua esse & fore, nullique prorsus deinceps suffragari posse nec debere, declaramus.

Aliam insuper Constitutionem fecit idem Urbanus incipientem pariter *Alias felic. recordationis Gregorius XV.* declarando, illos Officiales, quibus ratione munerum suorum antea, de Summi Pontificis Oraculo, fides haberi solebat, tam in sua, quam in Gregorii XV. Constitutione revocatoria Oraculorum vivæ vocis, nullo pacto comprehendi = *Cum autem* (inquit Pontifex prælaudatus in mox citata Constitutione) *pro tempore existentibus nonnullis nostris & Sedis Apostolicæ Officialibus seu Ministris, qui eorum Officiorum seu munerum ratione, de gratiis, concessionibus & dispositionibus quibuscunque per Nos faciendis, mandatisque & jussionibus Nostris exequendis, aliisque rebus & negotiis gerendis Nobiscum diversa tractant, per se seu de eorum mandato facienda, gerenda, & executioni demandanda vivæ vocis Oraculo comiserimus, & in dies circa ea, quæ ad cujuslibet eorum officium seu munus, quo funguntur, pertinent, committamus. Nos firmiori gestorum, de mandato nostro, per eosdem Officiales seu Ministros validitati, eorundemque Officialium seu Ministrorum securitati consulere volentes, motu proprio certaque scientia, ac matura deliberatione, Nostris deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Officiales seu Ministros prædictos quibus alias ante emanatas prædictas Constitutiones, ex Officiorum suorum auctoritate & prærogativa, de Oraculo per eos a Romanis Pontificibus pro tempore existentibus habito, fides haberi solebat, quoad ea, quæ, ut præfertur, ad cujuslibet eorum Officium seu munus, quo funguntur, pertinent, in Literis etiam nostris prædictis, super revocatione Oraculorum hujusmodi emanatas, minime comprehensos fuisse, nec esse, nec comprehendi debere declaramus & decernimus: & ad abundatiorem cautelam eosdem Officiales seu Ministros adversus easdem Constitutiones, quatenus opus sit, restituimus, & plenarie reintegramus in omnibus & per omnia: perinde ac si quoad illos prædictæ Constitutiones non emanassent* = Qui autem sint Officiales seu Ministri, quibus de vivæ vocis Oraculis fides haberi possit juxta hanc Urbani Constitutionem, annotatur in Extravaganti *Ad regimen de Præbend. & dignitat.*

Ex quibus constat, illa non amplius vigere vivæ vocis Oracula, quæ juxta hanc Urbani VIII. Constitutionem non emanarunt. Excipimus tamen cum Bonagratia in *Summula Regularium num.* 419. edita favore Patrum Minorum Capuccinorum, cum disertis verbis declaraverit idem Urbanus = *In nostra revocatione non intelligimus vivæ vocis Oracula vobis Capuccinis concessa* = Ex quo perperam erueretur, idem dicendum de obtentis ab aliis Regularibus, qui in privilegiis & gratiis cum illis communicant ; etenim communicatio locum non habet, ubi concessiones privilegiorum & gratiarum peculiarem rationem sibi vendi-

dicant, ut dicemus *Par. 2. cap. 2. §. 5.* Urbanus autem VIII. hoc voluit Patribus Cappuccinis privilegium impertiri, intuitu Instituti, quod præ cæteris singulari charitatis affectu prosequebatur. Maxime quia si juxta mentem Pontificis prælaudati, alii Regulares in hujusmodi privilegio communicarent, inutilis prorsus tam operosa ejus generalis revocatio redderetur; siquidem omnes Ordines Regulares tum Mendicantes, tum non Mendicantes in privilegiis, gratiis & favoribus Patrum Capuccinorum saltem mediate communicant.

Præmittendum est 3.° aliquos Summos Pontifices, privilegia, indulta & gratias Regularibus concessas etiam vivæ vocis Oraculo ex certa scientia Literis Apostolicis confirmasse: ut præstiterunt pro Minoribus S. Francisci S. Pius V. sub die 6. Maii anno MDLXVII. Constitutione incipiente *Ex benigna* apud Confectium *pag.* 247. Sixtus V. Constitutione incipiente *Etsi Mendicantium* edita sub die 3. Octobris anno MDLXXXVII. apud eundem Confectium *pag.* 176. & Clemens VIII. sub die 20. Decembris anno MDXCVII. Constitutione incipiente *Ratio pastoralis officii*, cujus verba sunt = *Omnia, & singula privilegia, immunitates &c. in genere, vel in specie, etiam per solam Signaturam, etiam vivæ vocis Oraculo, aut alias sub quacunque forma & expressione verborum concessa & in eis contenta, illorum omnium tenores, ac formas & decreta, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, authoritate Apostolica, tenore præsentium ex certa scientia confirmamus & innovamus, illisque frui, uti & gaudere posse, ac debere in judicio & extra, in omnibus & per omnia, ac si specialiter & expresse eisdem per Nos concessa fuissent, decernimus, supplentes omnes juris & facti defectus* = Eadem non minori amplitudine concessit Gregorius XIV. Societati Jesu hac in sua Constitutione adhibita clausula = *Qualiacunque sint, ac si de verbo ad verbum præsentibus insererentur* = Clemens VIII. Monachis Ordinis S. Benedicti. Paulus V. Carmelitis Excalceatis Constitutione incipiente *Decet*, ut habetur in *Compend. Privil. dicti Ord. Bulla* 4. *Pauli V. n.* 13. Idem Paulus V. pro Religiosis Ordinis Prædicatorum sub die 23. Maii anno MDCV. & Gregorius XV. Constitutione incipiente *In Apostolica* edita sub die 16. Octobris MDCXXI. pro Theatinis confirmavit omnia privilegia, etiam oretenus pro illis aut aliis Regularibus concessa, ut refert Pellizarius in *Tract* 8. *cap.* 1. *sect.* 5. *num.* 131.

Quærunt hic Doctores: num per generales confirmationes prædicta privilegia, indulta &c. Oraculo vivæ vocis concessa non sint amplius mera Oracula vivæ vocis, sed privilegia & indulta Bullata, ita ut non intelligantur revocata per revocationes Gregorii XV. & Urbani VIII.?

Privilegia hujusmodi nec non indulta transiisse in privilegia Bullata, adeoque non cassari aut abrogari per dictas revocationes, sentiunt Lezana *in Summa* verbo *Oracula num.* 7 Laurentius Peyrinis *tom.* 3. *Privileg. cap.* 8. *ad Constitution. Urbani VIII.* Leander a Sanctissimo Sacramento *Tom.* 2. *de Sacram. in tract.* 9. *disp.* 24. *quæst.* 16. & PP. Salmanticenses Morales in *tr.* 18. *de Privil. cap.* 2. §. 2. *n* 60., qui hanc sententiam eadem probabilitate gaudere, qua gaudet sententia opposita, arbitrantur, his ducti rationibus. 1.° quia in hoc Oracula vivæ vocis pure talia differunt a privilegiis Bullatis, quod illa oretenus absque scriptura concedantur, hæc vero in scriptis per Signaturam Papæ. Si autem hæc Oracula innovatione & confirmatione gaudent, jam sunt privilegia scriptis tradita, ac Manu Papæ subscripta. Ergo jam desinunt esse pure Oracula, ac transeunt in privilegia Bullata. 2.° quia licet privilegia non habeant rationem Canonum nec legum communium, tamen in Corpore juris inserta rationem juris communis participant, & potius Canones atque leges communes, quam privilegia nuda nuncupantur; cum de ratione Canonis legisque communis sit, esse aliquid in Corpore juris insertum. Itaque quia de ratione privilegii Bullati est, a Principe tradi per scripturam, quum Oracula per Bullam traduntur in scriptis, desinunt esse Oracula pura. Cæterum privilegia oretenus concessa, etiam per Bullas Pontificias confirmata non transire in privilegia Bullata ac intra limites Oraculorum contineri, ac proinde in generali revocatione facta a Gregorio XV. & Urbano VIII. comprehendi, affirmant Quintanadvenas in *Theolog.*

log. moral. tom. 1. *tract.* 9. *sing.* 3. *num.* 1. Bordonus *Resolut.* 31. *num.* 5. Donatus in *tract.* 16. *qu.* 3. Theophilus Alarius *Canon. consc. lib.* 4., verbo *Privilegium*, aliique apud PP. Salmanticenses Morales in *tr.* 18. *de Privileg. cap.* 2 *puncto* 6. §. 2. *nu.* 60., quibus in hujus dubii solutione subscribendum duximus, ob hæc rationum momenta. 1.° quia confirmatio etiam his verbis expressa = *Ex certa scientia, de plenitudine potestatis, quorum tenores pro insertis, ac si de verbo ad verbum* &c. = non variat primum illud esse privilegiorum & indultorum, sed solum illud roborat innovatque: ut si ob privilegiatorum negligentiam privilegia vires amisissent, eas repetant, atque restitutionem in integrum acquirant. Ergo ubi primum esse privilegiorum fuit per vivæ vocis Oraculum, nequit per Bullam ea confirmantem transire ad esse Bullatum. 2.° Gregorium XV. & Urbanum VIII. constat suis Constitutionibus revocare omnia Oracula quomodocunque concessa & confirmata, ut habetur ex illis verbis = *Sub quibuscunque tenoribus ac formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, ac irritatoriis & aliis decretis in genere & in specie, ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, & confirmatis & innovatis* &c. = Ergo Oracula hujusmodi adhuc confirmata, & innovata per Bullas sub dictis revocationibus continentur. 3.° Si nostra sententia vera non esset, frustraneæ & nugatoriæ universalissimæ ac gravissimæ Gregorii XV. & Urbani VIII. revocationes redderentur; vix enim ulla darentur vivæ vocis Oracula, quæ comprehenderent. Etenim fere omnia vivæ vocis Oracula usque ad diem 16. Octobris: enim MDCXXI. per generales privilegiorum confirmationes atque communicationes fuerunt confirmata, ut supra observavimus. Cum ergo ab ea die nullum constet Gregorium XV. aut Urbanum VIII. ejus immediatum Successorem vivæ vocis Oraculum concessisse, vix aliquod reperiretur, prædicta abrogatione deletum.

Ex quibus habetur solutio argumentorum oppositæ sententiæ, & potissimum paritatis privilegiorum, quæ in Corpore juris inseruntur; privilegia enim mutant propriam conditionem, novumque esse recipiunt, diversum ab eo, quod antea obtinebant. At vero non variatur Oraculorum vivæ vocis conditio per confirmationem, sed duntaxat innovatur, atque ad pristinum valorem restituitur; hæc enim nihil aliud est quam acquisiti juris roboratio.

Sed ut ad alia, quæ observatione digna sunt, revertamur, præmittendum est 3.° non abrogari dictis revocationibus ea vivæ vocis Oracula, quæ nullum continent privilegium, gratiam aut Indulgentiam, sed sunt tantummodo declarationes Bullarum & Decretorum Summorum Pontificum; non enim sunt concessiones Oraculorum vivæ vocis, sed simplices manifestationes, seu explicationes intentionum, quas tunc temporis iidem habuerunt. Ita Novarius *in Lucer. Regular.* verbo *Indulgentia*, Bordonus *Resolut. citat. num.* 7. Gobat *num.* 130.

Præmittendum est 4.° cum Lezana in *Summa Quæstion. Moral. tom.* 2. verbo *Oracula vivæ vocis* per memoratas Gregorii XV. & Urbani VIII. Constitutiones non esse revocata vivæ vocis Oracula tam omnibus Fidelibus, quam cunctis personis Ecclesiasticis concessa: tum quia in illis sermo est de privilegiis, Indultis & gratiis collatis Religionibus, Communitatibus &c. tum quia verba in materia odiosa non sunt extendenda, sed potius debent restringi. Quamobrem inferri potest, adhuc in suo robore manere illud Leonis X., quo recitantibus eam Orationem = *Sacrosanctæ & Individuæ Trinitati, Crucifixi Domini nostri Jesu Christi humanitati* &c. = post expletum Divini Officii pensum omnes defectus leves, in eo commissos indusit; de quo profecto dubitandum non est, cum illud Breviariis jubente Urbano VIII. per aliquot eruditos viros recogniiis fuerit præfixum.

His itaque præmissis, ut proximius ad principalis dubii solutionem accedamus, libet hic referre, quid sentiat Eusebius Amort in suo Opere novissime edito *de Origine, progressu & fructu Indulgentiarum, in Quæstionib. & Resolutionib. quæst.* 56. hanc excitans difficultatem: probabilius scilicet esse, etiam Indulgentias in prædictis revocationibus comprehendi = *Quia*, inquit, *etiam Indulgentiæ sunt aliquod indultum: & quia eadem certe, si non major ratio erat revocandi hujusmodi In-*

Indulgentias: cum manifestum sit ex allegationibus talium vivæ vocis Oraculorum in œconomia Indulgentiali nasci ingentem confusionem. Confirmatur responsio, ex eo quia Sacra Congregatio non statim confirmat tales Indulgentias vivæ vocis Oraculo concessas, nec eas de novo concedit, imo si de novo concederet, agnosceret abrogatas; ut patet ex responso dato MDCCXV. Mense Januario nu.2.°; ubi supplicatum fuit pro nova talis Indulgentiæ concessione: adeoque eo ipso, ex parte valere, fuit dubitatum. Anno MDCCXVIII. Mense Februario num. 4. fuit absolute denegata confirmatio Indulgentiæ cujusdam, quæ ex aliquo scriptore probabatur concessa vivæ vocis Oraculo. Similis denegatio facta est MDCCXIX. Mense Aprilis num. 3. & MDCCXXII. Mense Augusti num.5., & dilatio facta usque ad productionem documentorum MDCCXXVI. 11. Martii. Itaque hujusmodi Indulgentiarum valor est ad minimum dubius, & ob hanc ipsam dubietatem amplius promulgare eas non licet, per decretum de Indulgentiis dubiis.

Sed nostra Conclusio sit. Revocationes Oraculorum vivæ vocis Gregorii XV. & Urbani VIII. non comprehendunt Indulgentias vivæ vocis Oraculo concessas. Ita Peyrinis *loc. cit.* Bordonus in *Tom. 2. variar. resolut. par. 1. resolut. 31. n. 4.*

Prob. Indulgentiæ nequeunt intelligi abrogatæ, nisi expressa earundem mentio habeatur; quia sicut in generalibus concessionibus aut communicationibus privilegiorum, indultorum & gratiarum &c. illæ non veniunt, nisi sub expressione *Indulgentiarum, & remissionum peccatorum*, ut diximus *Cap. 12. art. 2.* ita nec in generalibus revocationibus: & quidem a fortiori; sumus enim in odiosis, quæ potius restringenda sunt quam amplianda. Cum ergo in generalibus revocationibus Gregorii XV. & Urbani VIII. non fiat expressa mentio nisi de privilegiis, facultatibus, indultis, gratiis & concessionibus spiritualibus, dicendum est, Indulgentias vivæ vocis Oraculo concessas ibi minime comprehendi. Confirmatur. Ex quo Paulus V. post revocatas cunctas Indulgentias Regularibus concessas, Constitutione incipiente *Romanus Pontifex* edita anno MDCVI., privilegia atque gratias Patribus Minoribus Sancti Francisci confirmaverit sub his verbis: *Gratias in tulta spiritualia*, cum quidam Accademiæ Salmanticensis Doctores (teste P.Viva in *Damnatis Thesibus Alexandri VII. sub num. 37.*) propugnarent Paulum V. dictis Minoribus iterum antiquas Indulgentias confirmasse: idque pariter de cunctis Indulgentiis, Regularibus olim concessis, vel ob communicationem in privilegiis & gratiis cum Minoritis, vel ob similes Confirmationes; sub iisdem verborum expressionibus post Gregorium XV. & Urbanum VIII. obtentis, pro aliis Religionibus asserere non dubitarent; nihilominus tamen his confirmationibus non obstantibus, Alexander VII. sub die 18. Martii anno MDCLXVI. hanc propositionem reprobavit sub nu. 37. = *Indulgentiæ concessæ Regularibus, a Paulo V. revocatæ, hodie sunt revalidatæ* = Porro si nomine gratiarum, indultorum spiritualium in communicationibus & confirmationibus comprehenderentur Indulgentiæ, propositio illa saltem probabiliter posset propugnari. Itaque per generalia verba *gratiarum, indultorum spiritualium* &c. in confirmationibus & communicationibus privilegiorum indultorum, gratiarum &c. non intelliguntur Indulgentiæ. Ergo in generalibus revocationibus privilegiorum, gratiarum &c. vivæ vocis Oraculo concessarum, non intelliguntur revocatæ Indulgentiæ vivæ vocis Oraculo concessæ.

Majus robur adjicitur Conclusioni, si verum est, quod tradit Cardinalis de Lugo ex relatione plurimorum fide dignorum, apud Lacroyx in *Theologia morali tom. 2. lib. 1. par. 2.* nempe Urbanum VIII., post ultimam revocationem Oraculorum vivæ vocis a se factam, declarasse: *Non fuisse suam intentionem revocare Indulgentias viva voce datas.*

Hinc colliges 1.° sub revocationibus Gregorii XV. neenon Urbani VIII. non cadere Altaria Privilegiata pro Defunctis; Privilegium enim Altaris in eo consistit, quod Animæ in Purgatorio detentæ, Sacerdote pro ipsis in eo celebrante, Plenariam Indulgentiam per modum suffragii recipiant; quamobrem si Indulgentiæ vivis concessæ non revocantur per istas generales revocationes, a fortiori concessæ immediate pro Defunctis; quod probabiliter sentit pro-

probabiliter Lacroix *Part. 2. Theolog. moral. de Sacrific. Missæ* ex professo de Altari Privilegiato pertractans, licet alibi docuisset oppositum = *Quanvis*, inquit, *libro 1. num. 850. dixerim, revocata esse Altaria Privilegiata vivæ vocis Oraculo concessa: & ibidem insinuaverim etiam de Privilegiis, quæ concernebant Indulgentias, tamen valde probabile manet, non esse revocata, præsertim quoad Indulgentias pro Defunctis.*

Colliges 2.° parvi momenti esse ea, quæ in favorem sententiæ oppositæ allata sunt, & quidem corruit probatio; cum falsum sit, Indulgentias esse quædam indulta, remittunt enim istæ pœnas temporales, illa vero tollunt impedimenta ad agendum. Quod vero eadem sit ratio revocandi indulta ac Indulgentias, si hoc verum esset, solum evinceret dari causam legitimam pro illis revocandis: non vero quod ea ducti Gregorius & Urbanus de facto ejusmodi revocationem eddiderint. Pari infelicitate laborat confirmatio, quia quod hujusmodi Indulgentiæ non confirmentur, sicut aliæ, quæ Literis Apostolicis a supplicantibus afferuntur concessæ, provenit, vel ex authenticæ probationis defectu, vel quia recedunt a stilo, quem dicta Sacra Congregatio tam in novis concessionibus, quam in confirmationibus earundem solet adhibere.

ARTICULUS V.

Quomodo intelligenda sit Suspensio Indulgentiarum pro anno Jubilæi: & quasnam Indulgentias afficiat?

FORMA Suspensionis Indulgentiarum, quæ solet a Sede Apostolica ante vel post Jubilæi ordinarii promulgationem indici, Sixto IV. adscribitur, occasione accepta ex eo, quod plurimæ Plenariæ, quas tam ipse quam ejus Prædecessor Paulus II. quibusdam Monasteriis, Confraternitatibus aliisque Locis Piis liberaliter dederant, essent fortassis impedimenta ad suscipiendum iter ad Limina Apostolorum, ob acquirendum Jubilæum ordinarium; ut habetur ex ejus Constitutione allata in *Dissertat. proœmial. §. 7. num. 17.* ibi = *Verum quia postmodum tam Nos, quam idem Paulus dum in humanis ageret, diversas Indulgentias Plenarias nonnullis Ecclesiis, Monasteriis & Piis Locis duximus concedendas, propter quas populorum forsan concursus ad Basilicas Romanas retardari, aut ipsius anni Jubilæi celebritas minui vel intermitti possit, cum animarum non modico detrimento. Nos ne, propter aliarum Indulgentiarum hactenus a Nobis seu eodem Paulo, vel aliis Prædecessoribus nostris concessarum hujusmodi effusionem, hoc sanctum opus, ac remissionis & gratiæ annus Jubilæus intermittatur, aut Fideles a tanto munere reddantur expertes, remediis opportunis providere volentes, omnes & singulas Plenarias, etiam ad instar Jubilæi, ac etiam commutandi vota, ac super eis, & male ablatis incertis, per usurariam pravitatem, vel alium modum illicitum exortis dispensandi & componendi, aut illa sub certis modo & forma remittendi, & deputandi Confessores cum potestate absolvendi, etiam in casibus Sedi Apostolicæ reservatis, facultates, concessiones & indulta a Nobis, & eadem Sede vel illius authoritate, quibuscunque Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus & Piis Locis, Universitatibus, Fraternitatibus quibuslibet, tam in perpetuum, quam ad certum tempus, in vita seu in mortis articulo, quovis modo aut quavis causa quomodolibet concessas & concessa, & inposterum forsitan concedendas vel concedenda, authoritate Apostolica usque ad nostrum & ejusdem Sedis beneplacitum suspendimus, illasque durante beneplacito nostro, & Sedis prædictæ, suspensas esse volumus, nec interim alicui suffragari, Indulgentiis tamen Basilicarum Urbis in suo robore durantibus; districtius inhibentes alias Indulgentias, præter istas duntaxat, prædicari, earumque prætextu a Quæstoribus exigi quoquo modo.*

Hic observatione dignum existimamus dictæ suspensionis formulam = *Usque ad nostrum & ejusdem Sedis Apostolicæ beneplacitum suspendimus, illasque* (nempe Indulgentias) *durante beneplacito nostro, & Sedis prædictæ suspensas esse volumus, nec interim alicui suffragari* = Pro qua clarius intelligenda, non inutilis erit labor in examine dubii breviter immorari, quod sibi ventilandum proponit Navar-

varrus *Notab.* 33. in fine, occasione suspensionis Indulgentiarum, quam Gregorius XIII. post indictum Jubilæum promulgavit anno MDLXXIV. veteri forma utens, hoc est, Indulgentias omnes de Apostolicæ potestatis plenitudine suspendens, ad beneplacitum ejus & Sedis Apostolicæ.

Dixi *veteri forma*, quoniam eandem præter Sixtum IV. (ut dictum est) adhibuisse constat Clementem VII. anno MDXXIV. & Julium III. anno MDXLIX. in hujusmodi suspensionibus: quamvis Clemens VIII., qui durante solum Jubilæi anno Indulgentias suspendit, novum morem induxisse visus est, a Successoribus Pontificibus servatus, ut narrat Lavorius *Par.* 1. *de Indulg. cap.* 10. *n.* 23.

Dubium Navarri est = *An suspensio facta per Sixtum IV. fuisset revocata vel modificata per lapsum Anni Jubilæi, vel aliam dispositionem, & consequenter: an suspensio Gregorii XIII. erit revocata, per lapsum hujus anni, vel aliam dispositionem?*

Ut lucem expetitam in propositæ difficultatis solutione, quam aliqua ex parte in *Notab.* 28. suspenderat, sibi compararet Navarrus, consuluit Matthæum Contarellum Gregorii XIII. Datarium genere, pietate atque eruditione clarissimum, Curiæque Romanæ peritissimum, qui Gregorii mentem propius noverat = *Qui* (ut inquit Navarrus eidem se subscribens) *Respondit, pro certo me posse tenere, quod nullam revocationem expressam generalem suæ suspensionis fecit prædictus Sixtus, nec ulla talis fuit per lapsum anni tacite facta: & consequenter nullam faciet expressam & generalem hujus suspensionis Sanctissimus Dominus Noster, nec ulla talis tacite per lapsum hujus anni fiet; quamvis credere possim, aliquas particulares rogatu aliquorum fecisse Sixtum, & aliquas, quæ videbuntur expedire, facturum esse Sanctissimum Dominum nostrum. Quod consequitur, operæ pretium facturos esse eos, sive sint Universitates & Collegia, sive singulares personæ, quibus sunt facultates quærendi Plenam Indulgentiam, & aliæ ejus quærendi causa factæ, si ad benignitatem Sanctissimi Domini nostri refugientes, earum confirmationem, non obstante hac suspensione, sibi obtinuerint, & fuit animis recte consulturos, si nullatenus eis utantur, nullatenusque illa prædicent vel publicent, antequam ejusmodi confirmationem quoad illas obtinuerint.*

Non temere nec sine gravi causa, Religionum atque Ecclesiarum omnium Indulgentias in dubium revocaret Navarrus, omnibus Christifidelibus scrupulum injiciens, qui suspensas a Gregorio Indulgentias lucrari ac promulgare conarentur, nisi novam earundem concessionem, vel suspensionis revocationem obtinuissent; fuit enim vir sanctitate & doctrina præclarus, & plurium annorum spatio Romæ, commoratus est, *Sacro*, ut ipse ait, *Pœnitentiariæ Prætorio adscriptus*, ac non raro in obscuris arduisque negotiis de sua sententia a Romano Pontifice interrogatus. Quin omnes, quos videre nobis contigit Authores, eam quæstionem agitantes, Navarri sententiam ita probant, ut tanquam certam admittere videantur.

His addendum est, S. Carolum Borrhomæum Archiepiscopum Mediolanensem sub die 4. Februarii MDLXXVI., hoc est secundo mense post Jubilæum a Gregorio XIII. promulgatum, monuisse Parochos, ne Indulgentias Plenarias ante Jubilæum concessas promulgarent, aut publice earum summaria & tabellas exponerent = *quoniam*, inquit, *adhuc viget prohibitio*.

Huic autem controversiæ minime subduntur novæ Ordinum Regularium atque Confraternitatum Indulgentiæ, cum istæ post Gregorii suspensionem a Paulo V. ejusque Successoribus fuerint concessæ: sed illæ duntaxat consideran dæ sunt, quas Gregorii ejusdem suspensionem præcessisse compertum est, a nullo Romano Pontifice pristino valori restitutas.

Hoc tamen non levis momenti dubium solvendum est ex sententia Sacræ Congregationis Indulgentiarum & Sacrarum Reliquiarum, quæ appropinquante anno Jubilæi MDCLXXV., cum sub die 5. Martii anni MDCLXXIV. fuisset examine discussum = *Quid sentiendum sit de suspensione Gregorii XIII. ex vi illius clausulæ. Indulgentias ad nostrum & Sedis Apostolicæ beneplacitum suspendimus; post annum Jubilæi MDLXXV. an scilicet adhuc manerent suspensæ: & qua via*

via incommodis esset occurrendum, si revera adhuc revocatæ Indulgentiæ reperirentur, aut dubiæ? Respondit = *Suspensionem expressam non haberi, sed pro majori cautela supplicandum Sanctissimo, ut dignetur relaxare suspensionem*.

Ad solvendas cæteras difficultates, quæ propter suspensionem generalem Indulgentiarum anno Jubilæi fieri consuetam possunt excitari

Quæres 1.° An nova forma suspensionis Indulgentiarum anni Jubilæi se extendat ad Indulgentias Ecclesiis Urbis concessas?

Formam dictæ suspensionis antiquam eas Indulgentias minime comprehendere, apertissime constat ex his verbis in Pontificiis Constitutionibus insertis = *Indulgentiis Basilicarum & aliarum Ecclesiarum Urbis nihilominus in suo robore duraturis* = Difficultas fieri posset de Indulgentiis Ecclesiarum extra Urbem; cum verba juxta propriam significationem sint intelligenda, ut tradunt Franciscus Molina *de Ritu nuptiar. lib.* 1. *cap.* 30. *num.* 7. Mantica *de conjecturis ultim. volunt. lib.* 8. *titul.* 18. *nu.* 35. Phoebeus Lusitanus *decis.* 77. *n.* 14. nomine autem Urbis ea, quæ sunt extra Urbem, minime contineri videntur; quamobrem privilegio Civitati concesso, non gaudent castra nec villæ, ut ait Felinus in *Cap. Rodulphus num.* 10. *de rescriptis* Gironda *de Privileg. explicatione nu.* 55. Sed non arbitramur recedendum esse a Navarro, scilicet quod nomine Ecclesiarum Urbis veniant pariter Ecclesiæ, quæ sunt extra Urbem = *Tum quia* (inquit Doctor laudatus in *Comment. citato Notab.* 53. *num.* 4.) *exceptio Literæ non excipit Ecclesias in Urbe sitas, sed Ecclesias Urbis quales sunt prædictæ Ecclesiæ, licet non sint in ea sitæ, sed sunt & dicuntur esse Urbis. Tum quia verba sunt intelligenda secundum vulgatum modum loquendi, qui attendendus est Cap. ex literis de sponsalibus l. jubeo ff. de supell. & prædictæ Ecclesiæ saltem secundum vulgatum modum loquendi dicuntur esse Urbis vel de Urbe, ut in præcedenti notab. num.* 9. *est dictum* = Cæterum cum in nova forma suspensionis, a Jubilæo anni MDC. usque ad novissimum Benedicti XIII., ea verba non legantur, non immerito hoc dubium proponitur.

Respondemus novam formam suspensionis non comprehendere Indulgentias septem Ecclesiarum Urbis. Ita certo constat, tum ex Notificatione Gratiarum & Declarationum Clementis X. promulgata anno Jubilæi MDCLXXV. quam dabimus in calce n. 1.° tum ex aliis similibus Declarationibus.

Idque probabiliter dicendum est de concessis aliis Urbis Ecclesiis; ad suspensionis enim causam potius attendendum est, quam ad verba *L. scire ff. de legibus, L. non aliter de Legatis*. Porro non ex alio fine ad generalem hanc suspensionem moventur Summi Pontifices, quam ut Christifideles in propriis regionibus cunctis Indulgentiis destituti, Romam confluant, ibi Plenissimum Jubilæum lucraturi; cui profecto fini non officit subsistentia aliarum Indulgentiarum Urbis.

Quæres 2.° An dicta suspensio afficiat Indulgentias partiales a Summis Pontificibus concessas?

Respondemus, per formam suspensionis a Summis Pontificibus (exceptis Sixto IV. & Gregorio XIII., qui de Plenariis duntaxat loquuntur) hactenus observatam etiam partiales manere suspensas; est enim hujusmodi = *Omnes & singulas Indulgentias etiam perpetuas & peccatorum remissiones ...... per quoscunque Romanos Pontifices, ac etiam Nos ...... suspendimus, & suspensas esse declaramus* = Eo vel maxime, quod cum Clemens X. pro anno Jubilæi MDCLXXV. Innocentius XII. pro anno Jubilæi MDCC. & Benedictus XIII. pro anno Jubilæi MDCCXXV. exceperint Indulgentias septem annorum & totidem Quadragenarum, quæ dantur Romæ Fidelibus vere contritis in comprecatione quadraginta horarum, non leve fundamentum habetur ad asserendum, cæteras hujusmodi Indulgentias durante anno Jubilæi manere suspensas.

Quæres 3.° An durante ea generali suspensione vigeant Indulgentiæ a Sedis Apostolicæ Legatis, Nuntiis & Episcopis concessæ?

Respondemus affirmative; mens enim Summorum Pontificum est, solum Indulgentias a Sede Apostolica immediate concessas suspenderet. Idque clarius constat ex Declaratione Innocentii XII. pro anno Jubilæi MDCC., quam dabimus infra num 2.°

Quæres 4.° An generalis suspensio Indulgentiarum, appropinquante anno Jubilæi promulgari consueta, se extendat ad Indulgentias pro Defunctis concessas?

Respondemus, hanc generalem suspensionem juxta stilum usque ad annum MDCCXXV. servatum non comprehendere illas Indulgentias, quæ immediate dantur pro degentibus in Purgatorio, cujusmodi sunt illæ, quæ conceduntur pro Altaribus Privilegiatis; quia sicut in generali revocatione Indulgentiarum nequaquam intelliguntur abrogatæ ejusmodi gratiæ, nisi specialiter exprimantur: ita nec in generali suspensione intelliguntur suspensæ; & insuper habetur de his specialis declaratio. Vide infra Notificationem supracitatam *num.* 1. Oppositum tamen sentiendum est de Indulgentiis, quæ conceduntur cum facultate applicandi pro Defunctis per modum suffragii; cessante enim principali, corruit accessorium. Porro Indulgentias immediate pro viventibus concessas, posse pro Defunctis applicari, est quid accessorium respectu illarum, & veluti extensio earundem gratiarum: ideoque suspensis dictis Indulgentiis pro viventibus, ex consequenti remanent suspensæ facultates annexæ eas applicandi pro Defunctis. Id majus robur accipit ex sæpe citata Notificatione, ubi continentur aliæ exceptiones Indulgentiarum, quæ minime anno Jubilæi suspensæ intelliguntur juxta mentem Summorum Pontificum. Aliter tamen declaravit Benedictus XIII. pro anno Jubilæi MDCCXXV. ut ex ejus Brevi habetur, quod dabitur in calce n. 3.°

Quæres 5.° An prædicta Indulgentiarum suspensio afficiat concessas pro articulo mortis?

Respondemus negative; etenim sub generali dispositione non cadunt ea, quæ si quis animadverteret, non præsumeretur comprehensurus. *L. in Obligatione generali ff. de Pignoribus*. Ob pietatem autem Summorum Pontificum nequit præsumi hujusmodi Indulgentiarum suspensio: cum in ultimo agone constitutis velit Ecclesia omni meliori modo quo potest spiritualiter subvenire. Insuper finis seu ratio, quare occasione Jubilæi ordinarii suspendantur Indulgentiæ est, ut omnes Nationes Fidelium confluant ad Apostolorum Limina, qui accessus ob alias propriarum regionum Indulgentias posset intermitti. Id autem cessat in Indulgentiis concessis pro articulo mortis. Accedunt Declarationes Urbani VIII. pro anno Jubilæi MDCXXV. ut testantur Faustus & Leo, Innocentii X. pro anno MDL. in quodam Examine Episcoporum, nec non cæterorum Summorum Pontificum.

Quæres 6.° An prædicta generalis suspensio Indulgentiarum comprehendat Indulgentias Bullæ Cruciatæ?

Negativam sententiam amplectuntur Henriquez *lib. 7. de Indulg. cap. 21. n. 3.* Rodriquez §. 12.*nu.*13. Sanchez *lib. 7. de Matrim. disp.*33.*n.*10. Alphonsus Perez *in Compend. trium gratiarum pag.*28. aliique, quos refert & sequitur Trulleuch. *in Praxi Sacram.* exponens dictam Bullam *lib.*1.§. 1.*dub.* 12. Primo quia in Extravaganti Sixti IV. *Quemadmodum* suspenduntur duntaxat privilegia & Indulgentiæ concessæ Monasteriis, Hospitalibus, Confraternitatibus, non tamen singularibus personis, ut patet ex contextu dictæ Bullæ. Secundo Indulgentiæ aliaque in Bulla Cruciatæ contenta conceduntur per modum contractus in hunc modum = *Que per quantos vos distes dos reales de plata, que es la limosna tassada* = In hujusmodi autem generali suspensione non fit mentio eorum, quæ concessa fuerunt per modum contractus. Quod profecto necessarium esset; non enim præsumitur voluntas suspendendi ac revocandi ea, quæ derogant juri tertii. Tertio quia cum Summi Pontifices sexto aut octavo quoquo anno Cruciatam concedant, atque annum Jubilæi minime excipiant, putandum est, eorum mentem non esse, suspensionem illam generalem ad Bullam prædictam extendere. Advertit tamen Rodriquez, securius esse, anno Jubilæi ad Summum Pontificem recurrere, ut Bullam Cruciatæ confirmet, quam confirmationem exposci ab iis, ad quos dictæ Bullæ negotium spectat, testatur Alphonsus Perez loco citato.

Sed non desunt alii Authores, qui oppositum doceant, inter quos Navarrus in *Commentar. de Jubil. & Indulg. notab. 33. num.*3. Ludovicus Lopez *in Exposit. Bullæ cap.*10. Rutilius Benzonus *de anno Jubilæi lib.*4. *cap.*8. *dub.*2. = *Nota* (inquit Navarrus in *Nobili citato num.* 2.) *quod hæc suspensio* (nempe Gregorii XIII) *est major, quam suspensio Sixti IV. qua* *par-*

parte illa solum suspendit Plenarias concessas Universitatibus, Ordinibus & aliis, quæ non sunt personæ veræ, sed fictæ: hæc autem, etiam concessas singularibus, quæ sunt personæ veræ, ut etiam insinuavi per novam additionem, posteaquam validis rationibus probavi, illam non extendi ad facultates singularibus personis concessas. Quod consequitur nullibi gentium posse quenquam quærere ullam Indulgentiam Plenariam, nec frui illa facultate suspensa hoc anno, neque sequentibus, donec suspensio hæc tollatur: quod satis ægre ferent, Bullas Cruciatæ & indulta personalia, quæ Confessionalia vocant, habentes: & non satis animadvertentes, quod non solum Papa, sed etiam alii Monarchæ possunt de plenitudine potestatis, qua hæc Extravagans nititur, suspendere, imo & abrogare justa de causa, qualis videtur ista, privilegia præsertim gratis, vel modica impensa, præsertim subditis data, qualia sunt prædictæ Bullæ, & Confessionalia.

His utriusque sententiæ rationibus tanto ardore anno Jubilæi MDCL. disceptatum est in Hispaniis, ut Sanctæ Inquisitionis Tribunal (teste Eminentissimo Riccio in suis MSS.) ea de re quæstiones omnes prohibendas putaverit.

Nos tamen probabiliorem esse arbitramur sententiam Navarri, expensis verbis generalis suspensionis, nisi aliunde de Summi Pontificis declaratione doceatur, qua velit eas Indulgentias excipere a prædicta generali suspensione.

Diximus: *nisi de Summi Pontificis declaratione doceatur* &c. eam enim sub die 8. Novembris anno MDLXXV. a Gregorio prodiisse pro anno Jubilæi proxime celebrando, testatur Alphonsus Perez laudatus, necnon a Clemente VIII. edito Brevi sub die 8. Maii pro anno Jubilæi MDC. cujus verba relata a Sebastiano a Costa *in explicatione Cruciatæ qu.* 161. hæc sunt = *Nos, quibus præcipue curanda sunt ea, quæ ad fidem Catholicam tuendam, & adjuvante Deo aliquando propagandam pertinent, quique eo animo, & ea voluntate nunquam fuimus, ut Indulgentiæ, facultates, concessiones & indulta quæcunque intuitu dictæ expeditionis in Infideles concessa, & Cruciata, ut dicitur, impediretur aut revocaretur, ac dictarum Literarum omnium seriem, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis & insertis habentes, auctoritate præsentium declaramus, suspensionem eandem ad Indulgentias, facultates, concessiones & indulta, quacunque occasione dictæ Expeditionis & Cruciatæ in Portugalliæ & Coronæ Regnorum ipsius subjectis concessa non extendi, eaque omnia & singula sub dicta suspensione minime compræhendi: atque propterea Commissario Generali, & aliis ab eo deputatis & pro tempore deputandis, omnia & singula sibi per prædictas Literas demandatas facere, exequi, & plenariæ executioni demandare, absque aliquo conscientiæ scrupulo, sententiarum aut pœnarum incursu, ut prius, antequam suspensionis Literæ a nobis emanassent, licere.*

Quæres 7.° An in generali suspensione Indulgentiarum pro anno Jubilæi comprehendatur Indulgentia *Portiunculæ* nuncupata.

Respondemus non comprehendi propter specialem declarationem, quæ solet singulis annis Jubilæi emanare; ut habetur tum ex Epistola Cardinalis Matthæi data sub die 19. Julii anno MDC. = *Questa mattina la Santità di Nostro Signore ci ha detto in Concistoro, che si contenta, che possino ammettersi li Fedeli al perdono d' Assisi, se bene è l' anno Santo* = tum ex Brevibus Urbani VIII. sub die 31. Julii anno MDCXXV. Innocentii X. sub die 5. Julii anno MDCL. Clementis X. sub die 24. Septembris anno MDCLXXV. Innocentii XII. sub die 21. Augusti MDCXCIX. & Benedicti XIII. anno MDCCXXIV.

I.

Notificatio Gratiarum & Declarationum factarum a Sanctissimo Domino Nostro Papa Clemente X. occasione Jubilaei Anni Sancti &c.

Gaspar Tit. S. Silvestri in Capite S. R. E. Presbyter Cardinalis Carpineus, Sanctissimi Domini Nostri Papæ Vicarius Generalis.

CUM Sanctitas Domini Nostri, prout Nobis vivæ vocis Oraculo mandavit, cupiat magis dilatari gratias concessas omnibus illis, qui convenerunt veniuntque Romam consecuturi Plenissimum Jubilæum hujus Anni Sancti, mandavit Nobis exponere infrascriptas concessiones, declarando etiam illa, quæ in dubio erant aut vocabantur, non sine Fidelium turbatione & scrupulis conscientiarum; quarum paci & quieti consulturus Summus Pontifex hæc statuit. Ut itaque Confessarii & Operarii multiplicentur, ad majorem commoditatem & consolationem Fidelium utriusque sexus, in omni plenitudine paternæ charitatis concedit amplam facultatem Pœnitentiariis Basilicarum D. Petri, S. Pauli, S. Joannis Lateranensis, & S. Mariæ Majoris, sive illi sint ex numero antehac esse solito, sive ex jam aucto, & deinceps augendo. Ad hæc eadem facultas datur Parochis tam Sæcularibus quam Regularibus omnium Parochiarum Romæ (durante tamen Jubilæo Anni Sancti) absolvendi, videlicet in ordine ad lucrandum præsens Jubilæum, Fideles ab omnibus sententiis & Censuris Ecclesiasticis contra illos pronunciatis, & fulminatis a Sacris Canonibus, aut Judicibus quacunque de causa, & ab omnibus peccatis & excessibus, ac delictis quantuncunque gravibus & enormibus, etiam a casibus reservatis non solum ab Episcopis, aut alias a Prælatis inferioribus, verum etiam a Pontifice ipso & a Sede Apostolica, etiam in Bulla Cœnæ Domini, & in aliis quibuscunque Constitutionibus Summorum Pontificum, in foro conscientiæ tantum: ut tamen Sua Sanctitas declaret, se non intelligere, aut dispensare, nec dare facultatem dispensandi, aut habilitandi, & in pristinum statum restituendi, quæ ad Irregularitatem publicam aut occultam, vel notam, defectum, incapacitatem & inhabilitatem quomodocunque contractam spectant, ne quidem in foro conscientiæ. Neque vult Sua Sanctitas, ut præsens facultas illis suffragetur, qui a Summo Pontifice, aut Judicibus Apostolicis, vel aliis Ecclesiasticis excommunicati, suspensi, vel interdicti sunt declarati, vel publice denunciati, ob sententias & Censuras Ecclesiasticas, quas incurrerunt; adeo ut isti omnes absolvi non possint, nisi prius satisfecerint, aut obediverint, & partes sibi contrarias pacificas ante reddiderint: ita ut iidem Pœnitentiarii & Parochi, durante hoc Anno Jubilæi Sancto, commutare possint omnia Vota (exceptis Castitatis & Religionis) in alia opera pia; imponendo nihilominus hisce Fidelibus, & quibusque aliis pœnitentiam salutarem, & alia opera pia, quæ eisdem Confessarii præscribent.

Concedit pariter Sua Sanctitas Confessariis Religiosis cujuscunque Ordinis, Congregationis & Instituti, qui a Nobis, vel a nostro Vicesgerente sunt approbati, aut deinceps approbabuntur, eandem facultatem paulo ante explicatam absolvendi a Censuris & Casibus reservatis, commutandi Vota, modo ea non sint substantialia Religionum, Ordinum, Institutorum: imo & Religiosis Confessariis eadem datur facultas respectu sui Ordinis: & illis æque, qui modo Romæ versantur, quam illis, qui sunt venturi hoc Anno Sancto, ad quem se extendit tantum hæc facultas.

Ut etiam facilitetur iisdem Religiosis consecutio Anni Sancti & Jubilæi, tantique thesauri Spiritualium gratiarum, & ut illi suo exemplo populum ædificent, compareantque debito cum decore, qui decet personas Deo dicatas; significatur eisdem, suam Sanctitatem contentam esse, ut illi visitent quatuor assignatas Ecclesias ter tribus diebus continuis aut interpolatis, una simul, aut quoad majorem partem euntes, & incedentes respectu eorum, qui in eodem Conventu aut Domicilio versentur, & sic consequantur Sanctissimum Jubilæum, ac si visitassent easdem Ecclesias triginta vicibus, aut diebus. Ut tamen observentur cætera, quæ in Bulla Jubilæi continentur, hortamur & Nos eosdem Religiosos in Domino, ut incedant servato or-

ordine, quam modestissime recitantes Psalmos vel alias preces, & laudes divinas decantantes.

Idem Indultum, ut visitentur tamen quatuor diebus continuis aut interpolatis eædem Ecclesiæ, concedit Summus Pontifex etiam Alumnis & Convictoribus juvenibus, qui operam dant scientiis & liberalibus artibus, & vivunt in eodem convictu; modo & illi eant saltem quoad mediam partem, quos comitabitur Præfectus aut Rector, vel alii, qui eisdem præsunt, ut eadem gratia fiat iisdem Præfectis, Magistris & famulis. Monentur tamen hi omnes, ut servent modestiam & ordinem inter eundem, orantes vel pium quid tractantes. Regulares vero aliunde huc profecti ad lucrandum Jubilæum Sanctum, si voluerint se conjungere aliis suæ Religionis, habebunt eandem facultatem & lucrabuntur Indulgentias, si eodem modo ter visitaverint Ecclesias supradicto modo; si vero non possent expectare aliorum commoditatem, aut advenirent, cum alii lucrati sunt Indulgentias, concedit Sua Santitas, ut illi quinquies visitando Ecclesias per quinque continuos aut interpolatos dies lucrentur easdem Indulgentias, quas fuissent lucrati visitando per quindecim dies easdem Ecclesias, prout Bulla præscribit. Conceditur etiam Congregationibus & Confraternitatibus, quæ aliunde huc venerunt, ut simul semel visitando Ecclesias, & bis separatim fratres, aut sorores satisfaciant visitationibus præscriptis in Bulla, ac si quindecies visitassent.

Et cum maxime Sua Sanctitas secundum viscera paterna compatiatur paupertati, ac multiplicibus miseriis Advenarum eorumque plurimorum, qui non habent unde se tandiu alant, vel neque sufferre possunt molestias tot visitationum intra quindecim dies, remittit arbitrio, discreto tamen & prudenti dictorum Poenitentiariorum & Parochorum, ut quivis dispenset juxta cujusvis poenitentis indigentiam & possibilitatem in assignando numero visitandarum Ecclesiarum, dando eisdem omnem facultatem circa id necessariam, & opportunam. Eodem modo, quia Cives & Incolæ Romani, qui inceperunt visitare Ecclesias, sed morbo impediuntur prosequi secundum opus, ne priventur fructu laborum inchoatorum, & piæ intentionis, qua aggressi sunt opus; & ne affligantur corpore & animo, concedit eisdem Poenitentiariis & Parochis facultatem commutandi opera injuncta visitandarum Ecclesiarum per triginta dies, in alia, quæ viderint esse proportionata possibilitati prædictorum Civium & Incolarum infirmorum. Quod si repente mors immineat, antequam obtineant hanc commutationem, concedit illis Sua Sanctitas Jubilæum, ac si omnia opera necessaria explevissent.

Ut etiam finaliter tollatur omnis ambiguitas, & Fideles sint certi de Indulgentiis, quas possunt lucrari, declaramus, una cum Oraculo Suæ Sanctitatis, ut supra insinuatum, quod in suspensione generali Indulgentiarum, quæ continetur in Bulla data 5. Maii MDCLXXIV., publicata vero 17. Septembris ejusdem anni, non intelligantur suspensæ Indulgentiæ Altarium Privilegiatorum pro Defunctis, neque aliæ concessæ eodem modo pro Defunctis; verum illæ suspensæ habeantur, quas possunt sibi consequi vivi, ut eas possint concedere animabus Purgatorii per modum Suffragii: & nec minus Indulgentiæ concessæ in Articulo Mortis, & facultates communicandi eas aliis; sicut nec cessant modo facultates Sanctæ Inquisitionis & Officialium ejusdem, aut Missionariorum & Ministrorum, qui ab eodem Tribunali, vel a Congregatione Propagandæ Fidei, vel cum auctoritate Apostolica ad id sunt deputati: & specialiter facultates absolvendi ab hæresi illos, qui abjurato errore redduntur capaces earum gratiarum.

Ut autem conservetur pium Institutum, & consuetudo visitandi Templa, in quibus celebratur comprecatio quadraginta horarum, & præcipua Sanctuaria colendi hac in Urbe, concedit Sua Sanctitas non obstante ea generali Indulgentiarum suspensione, ut Indulgentias solitas consequi possint Fideles utriusque sexus, quas alias consequebantur. Si visitent septem Ecclesias, & Scalam Sanctam diebus determinatis, eo modo & his cum conditionibus, quibus illæ fuerunt concessæ, easdem lucrantur Indulgentias. Quivis insuper qui visitat Templa, ubi habetur expositum Venerabile, & est comprecatio quadraginta horarum circularium & ordinariarum, quæ sunt in publico folio a Nobis exponendo, & publicando hujus Anni Sancti decursu, ita ut ibidem ali-

aliquo tempore inter preces detineatur, prout illi videbitur, Confessione prius & Sacra Communione peractis, aut saltem concepto firmo proposito confitendi, lucrabitur is septem annorum Indulgentias & totidem quarantenas, toties quoties id præstiterit.

Datum Romæ ex Ædibus nostris die 1. Februarii MDCLXXV. anno Jubilæi.

G. Card. Vicarius.

II.

Notificatio Gratiarum & Declarationum factarum ab Innocentio XII. occasione Jubilæi Anni Sancti.

Gaspar Miseratione Divina Episcopus Sabinen. S. R. E. Cardinalis de Carpineo, Sanctissimi Domini Nostri Papæ Vicarius Generalis, Romanæque Curiæ ejusque districtus Judex Ordinarius &c.

Essendosi nella Sacra Congregazione deputata da Nostro Signore sopra la celebratione del presente Anno Santo, tenutasi li 26. Febraro prossimo passato, portate diverse istanze per la dichiarazione di alcuni dubij insorti sopra l' intelligenza della Bolla: e riferitasi da Noi il sentimento della medesima Congregazione alla Santità di nostro Signore nell' udienza delli 4. corrente, alla Santità Sua e piaciuto fare le seguenti dichiarazioni.

che l' intiero visita delle quattro Basiliche debba farsi in un giorno contenuto nello spatio di 24. hore: e che il giorno debba intendersi & incominciare, e finire da una mezza notte all' altra.

Che la facoltà concessa sotto li 24. Gennaro del presente anno alli RR. Parochi, Penitentieri e Confessori destinati, di commutare in altre Opere pie, & abbreviare le visite delle Chiese alli invalidi, impotenti Cittadini & Abitanti di Roma, che avessero incominciato le medesime visite, e per sopravenenza d' impedimenti non le potessero terminare, la Santità Sua l' estende a beneficio ancora di quelli, che per la causa stessa non le avessero potuto incominciare. Avvertendo però li sudetti Confessori, come sopra, di servirsi con prudenza e moderazione di questa facoltà. Rimanendo nel resto preservato l' indulto conceduto a Noi, e nostro Monsignor Vicegerente, di poter delegare qualsivoglia Confessore ne casi particolari con l' istesse facoltà.

Concede parimente la Santità Sua al Padre Confessore del Sacro Palazzo Apostolico la stessa facoltà de Penitentieri per la famiglia, che lo serve, durante il presente anno.

Intende ancora, e dichiara, che le Indulgenze solite a concedersi da Signori Cardinali Legati, Nunzj Apostolici e Vescovi, o nel uso de Pontificali, o nel darsi le benedizioni, o in altra forma solita, rimanghino nel loro vigore, non ostante la generale sospensione dell' Indulgenze sotto li 4. Giugno 1699.

Dato dal nostro Palazzo questo dì 6. Marzo 1700.

G. Card. Vicarius.

III.

Breve BENEDICTI XIII., *quo conceditur Christifidelibus facultas applicandi Indulgentias, Anno Jubilæi durante suspensas, per modum suffragii Animabus Defunctorum.*

BENEDICTUS PAPA XIII.

Universis Christifidelibus salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Salvatoris & Domini Nostri Jesu Christi, qui de sinu Patris ad infima Mundi descendens, & formam Servi accipiens in ara Crucis pro humani generis redemtione pretiosissimum Sanguinem suum effundere dignatus est, vices quanquam immeriti gerentes in terris, ad ea libenter intendimus, per quæ Fidelium Defunctorum Animæ hoc potissimum tempore, expiationis scilicet, veniæ & remissionis, & gratiæ ejusdem Domini Nostri Jesu Christi ejusque Sanctorum suffragia meritorum uberius consequi, & illis adjutæ ex Purgatorii poenis ad æternam salutem per Dei misericordiam perduci valeant.

Cum itaque Nos occasione præsentis Anni Jubilæi omnes & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones quomodolibet con-

conceſſas, dicto Anno durante, ſub certis modo & forma tunc expreſſis per noſtras ſub plumbo expeditas Literas ſuſpenderimus; ac poſtmodum ſub generali ſuſpenſione hujuſmodi, neque Indulgentias Altarium Privilegiatorum pro Fidelibus Defunctis, nec alias quaſcunque eodem modo pro ſolis Defunctis conceſſas venire, ſed quas vivi ſibi lucrari poſſint cum facultate illas per modum ſuffragii animabus ipſorum Defunctorum in Purgatorio exiſtentibus applicandi comprehenſas eſſe, inter alia declaraverimus, prout in noſtris deſuper in ſimili forma Brevis die 2. Menſis Martii proxime præteriti confectis Literis, quarum tenorem præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſo, ac de verbo ad verbum inſerto haberi volumus, plenius continetur.

Nunc vero Fidelium devotioni animarumque eorundem Defunctorum refrigerio peramplius conſulere cupientes, ac declarationes a Nobis, ſicut præmittitur, etiam ampliantes, & extendentes, omnibus & ſingulis Chriſtifidelibus, quod quaſcunque Indulgentias, & peccatorum remiſſiones, ut præfertur, ſuſpenſas (injuncta tamen in illarum conceſſionibus pietatis opera peragendo, ac firma remanente pro vivis earum ſuſpenſione) ad effectum illas animabus Fidelium Defunctorum, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, per modum ſuffragii, hoc Anno Jubilæi durante, directe applicandi, etiam ſi eas ſic applicandi facultas in conceſſionibus prædictis conceſſa non fuerit, conſequi libere & licite poſſint & valeant in omnibus & per omnia, perinde ac ſi ſuſpenſio præfata a Nobis non emanaſſet, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus & indulgemus.

Non obſtante ſuſpenſione hujuſmodi, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Volumus autem, ut præſentium Literarum tranſumtis ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides ubique adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 28. Aprilis MDCCXXV. Pontificatus noſtri anno I.

CA-

CAPUT XIV.

DE INDULGENTIIS DEFUNCTORUM.

UT completa exeat in lucem hujus Tractatus pars, æquum non est Defunctorum Indulgentias silentio præterire. 1.° igitur de suffragiis in genere agemus: An scilicet animæ Defunctorum viventium suffragiis adjuventur? 2.° An Indulgentiæ prosint Defunctis? 3.° An hujusmodi Indulgentiæ sint per modum absolutionis, vel per modum suffragii? 4.° Quid sit facultas concessa viventibus applicandi Indulgentias pro Defunctis per modum suffragii? 5.° An Indulgentiæ pro Defunctis applicatæ habeant effectum infallibiliter? 6.° An possint concedi Indulgentiæ per modum suffragii Defunctis immediate, seu non medio alicujus viventis opere, vel applicatione? 7.° An aliquæ Indulgentiæ concedantur vel possint concedi pro vivis, quæ tantum valeant per modum suffragii? 8.° De requisitis tum ex parte viventium tum ex parte Defunctorum, ut acquirantur Indulgentiæ per modum suffragii pro Defunctis. 9.° An melius & laudabilius sit, si vivens Indulgentias aliaque opera satisfactoria sibi applicet, vel si Defunctis?

ARTICULUS I.

An Animæ Defunctorum viventium suffragiis adjuventur?

SUffragiorum nomine in præsentiarum nihil aliud intelligimus, quam auxilia quædam pro aliis præstita ad obtinendam a Deo pœnæ temporalis remissionem, vel aliquid hujusmodi; quamobrem ad ea spectant preces, oblationes, jejunia, cæteraque opera satisfactoria Deo pro aliis exhibita vel exhibenda.

Hac brevi de suffragiis explicatione præmissa, supponendum est. 1.° ex animabus a corporibus jam separatis, nonnullas reperiri, quæ, ob non deletum culpæ lethalis reatum, gehennalibus torquentur suppliciis: alias, quæ clara Dei visione perpetuo beantur: plurimas, quæ ob leviores culpas non remissas, vel ob debitum pœnæ temporalis adhuc non solutum, Purgatorio igne temporaliter puniuntur.

Supponendum est 2.° animas ad Infernum damnatas nullum ex viventium suffragiis juvamen experiri; disertissimis enim verbis in pluribus Sacræ Scripturæ locis ignis illius & pœnarum æternitas aperitur, Matthæi cap. 25. v. 4. = *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus* = *Ad Thessalonicenses* 1.° v. 8. = *In flamma ignis dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum, & qui non obediunt Evangelio Domini Nostri Jesu Christi, qui pœnas dabunt in interitu æternas* = & *Apocalyps.* 14.° v. 11. = *Fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum*.

Supponendum est 3.° viventium suffragia nequaquam animabus Beatorum prodesse; istæ enim statum omnium bonorum aggregatione perfectum assecutæ, in cœlesti Patria nulli pœnæ aut malo subjiciuntur, a quo possint viatorum suffragiis liberari: nec gratiæ aut gloriæ essentialis augmentum valent obtinere, cum ea sit supernæ illius Beatitudinis conditio, ut vel per modum hæreditatis, ut pueris baptizatis ante usum rationis obeuntibus, aut per modum hæreditatis simul & coronæ adultis conferatur, juxta meritum, quod solum locum habet in via. Contenditur ergo de animabus Justorum, quæ levioribus culpis tantum obnoxiæ, post graviorum criminum remissionem, vel nondum a debito pœnæ temporalis absolutæ ex hac vita migraverunt, ob defectum condignæ satisfactionis præstitæ in via, quando corporibus erant unitæ.

Recensentur Heretici, qui Defunctorum suffragiis bellum indixerunt: & quid in contrarium doceat Ecclesia Catholica.

Orationes pro Defunctis, nec non opera bona pro illis suscepta damnavit Aerius Eu-

Eustathii Sebastei Sodalis deinde æmulus; de quo agit S. Epiphanius *Hæresi 75.* eundem referens ita differentem. = *Qua ratione post mortem nominatis nomina mortuorum? Oret enim vivens, aut dispensationem faciat, quid profuerit mortuo? Si vero omnino preces eorum, qui hic sunt, pro illis sunt, qui isthic sunt: igitur nemo sit pius neque boni quicquam faciat, sed acquirat amicos quosdam, per quem vult modum aut per pecunias persuadens, aut amicis id in obitu demandans, & orent pro ipso, ut ne quid illic patiatur neque immedicabilia peccata ab ipso perpetrata requirantur* = Aerio adhæserunt Albigenses & Petrobusiani. Vehementius tamen contra Defunctorum suffragia invehitur Calvinus *lib.3. Institution.cap.5.§.6.&* 10. = *Cum mihi* (inquit) *objiciunt adversarii: ante mille & trecentos annos usu receptum fuisse, ut precationes fierent pro Defunctis, eos vicissim interrogo: quo Dei verbo, qua revelatione, quo exemplo factum? ..... Atque ipsi etiam veteres, qui preces fundebant pro mortuis, & mandato Dei & legitimo exemplo hic se destitui videbant. Cur ergo audebant? in eo, dico, aliquid humani passos esse: ideoque ad imitationem trahendum non esse contendo, quod fecerunt. Certe quisquis mediocri prudentia pollet, facile agnoscit, quidquid de hac re legitur apud veteres, publico mori & vulgi imperitiæ fuisse datum. Abrepti etiam ipsi, fateor, in errorem fuerunt: nempe ut inconsiderata credulitas privare judicio solet hominum mentes. Interea quam dubitanter preces pro mortuis commendent, lectio ipsa demonstrat. Monicam matrem suam, in Libris Confessionum Augustinus narrat, vehementer rogasse, ut sui memoria in peragendis mysteriis fieret ad Altare. Anile scilicet votum, quod filius non exegit ad normam Scripturæ, sed pro naturæ affectu probari aliis voluit. Liber autem de cura pro mortuis agenda compositus, tot hæsitationes continet, ut suo frigore merito debeat stulti zeli calorem extinguere. Si quis mortuorum patronus esse appetat, frigidis certe verosimilitudinibus severos reddet, qui prius erant solliciti* = Idem docent alii Hæretici, qui Purgatorium post hanc vitam negant, ut Lutherani & Anabaptistæ.

Huic Hæreticorum errori oppositam Concilium Tridentinum amplectitur doctrinam: dari nempe Purgatorium, in quo animæ a corporibus separatæ, quæ Deo in charitate conjunctæ ex hac luce migrarunt, pœnas luunt pro anteactæ vitæ excessibus, a quibus incruento potissimum Altaris Sacrificio aliisque viventium suffragiis sublevantur = *Quare non solum pro Fidelium vivorum peccatis* (sunt verba *sess. 22. cap. 2.°*) *pœnis, satisfactionibus & aliis necessitatibus, sed & pro Defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis, rite juxta Apostolorum traditionem offertur* Missæ Sacrificium = & *Can. 3.°* oppositum afferentes anathemate percellit atque confodit. = *Si quis dixerit, Missæ Sacrificium tantum esse laudis & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificii in Cruce peracti, non autem propitiatorium: vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis & Defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus & aliis necessitatibus offerri debere: anathema sit* = Tandem *sess. 25. in Decreto de Purgator.* hæc habet = *Cum Catholica Ecclesia Spiritu Sancto edocta ex Sacris Literis, & antiqua Patrum traditione in Sacris Conciliis, & novissime in hac Oecumenica Synodo docuerit, Purgatorium esse, animasque ibi detentas Fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili Altaris Sacrificio juvari, præcipit Sancta Synodus Episcopis, ut sanam de Purgatorio doctrinam, a sanctis Patribus & Sacris Conciliis traditam, a Christifidelibus credi, teneri, doceri & ubique prædicari, diligenter studeant.*

Asseritur, Animas Defunctorum suffragiis adjuvari, ex Sacræ Scripturæ authoritatibus.

Conclusio. Animæ Defunctorum viventium suffragiis adjuvantur.

Prob. ex 2.° *Machabæor. cap. 12.* ubi Judæ Machabæi pietas memoratur, eleemosynas mittentis Hierosolymam ad offerendum Sacrificium pro Defunctis; quod

Bbb pie

pie factum, atque ad pœnarum temporalium solutionem eorundem proficuum, his verbis commendatur = *Vir fortissimus Judas, facta collatione duodecim millia drahmas argenti, misit Hierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, vere & religiose de resurrectione cogitans; nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum & vanum videretur, orare pro mortuis: & quia considerabat, quod ii, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo & salubris est cogitatio pro Defunctis exorare, ut a peccatis solvantur* = Ex quo bene ratiocinatur Lucas Tudensis in *lib.* 2.° *cap.* 27. *contra Albigen.* dicens = *Si sancta & salubris est cogitatio, multo magis validior & salubrior erit oratio, & plurimum sanctissima, & saluberrima operatio* = Defunctorum ergo animæ viventium suffragiis adjuvantur.

Quantum hic Sacræ Scripturæ locus, ex veteri Testamento prolatus, favet Catholicæ Conclusioni, tantum officit hæreticæ pravitati, quæ in perversis erroribus obfirmata respondere non erubescit 1.° Machabæorum Libros inter Canonicos non esse recensendos: idque probat Authoris ipsius testimonio veniam petentis, pro erroribus, quibus ea scatet historia = *Ego quoque* (inquit *cap.* 15. *v.* 38.) *in his faciam finem sermonis. Et si quidem bene, & ut historiæ competit, hoc & ipse velim: sin autem minus indigne concedendum est mihi. Sicut enim vinum semper bibere, aut semper aquam, contrarium est, alternis autem uti delectabile: ita legentibus, si semper exactus sit sermo, non erit gratus* = Unde Brentius suffragia pro Defunctis oblata reprobans inquit = *Ergo demus illi veniam, quod erraverit, cum suffragia pro Defunctis laudavit* = 2.° Effatum illud = *Sancta & salubris est cogitatio pro Defunctis exorare* &c. = esse potius additionem marginalem, deinde in textum per errorem intrusam, quam sententiam ab Authore secundi Libri Machabæorum exaratam; non enim ea Conclusio Authori historico videtur convenire.

Verum Heterodoxos, asserentes primum ac secundum Machabæorom Libros non esse Canonicos, allucinari, constat ex eo, quod communi Ecclesiæ consensu dicti Libri tanquam Divini legantur ac recipiantur = *Machabæorum Libri* (inquit D.Hieronymus in Prologo eorundem Librorum) *licet non habeantur in Canone Hebræorum, tamen ab Ecclesia inter Divinorum voluminum annotantur historias* = Erat autem Concilii Carthaginensis III. Decreto statutum, ne ullus Liber in Ecclesia legeretur, qui authoritate Canonica non polleret. Insuper Gelasius Papa *in Concil. Rom.* Concilium Florentinum *in Decr. super union. Jacobinor. & Armenor.* §. *Decernimus*, Tridentinum *sess.* 4. *in Decreto de Canonic. Scriptur.* eosdem in Librorum Divinorum indice describunt: atque ut Canonicos admittunt ex Patribus D. Cyprianus in *lib. de Exhortat. Martyr. ad Fortunat. Cap.* 11. S. Gregorius Nazianzenus *Orat.* 23 ac D. Ambrosius in *Lib.* 2.° *de Jacob & Vita beata*; gloriosa Machabæorum prælia eloquentiæ radiis illustrans horum librorum verba identidem usurpat. Illorum meminit S. Hieronymus *lib.* 5. *Commentarior. in Isai. ad Cap.* 23. & D. Augustinus, qui eos tanti fecit, ut in *lib.* 1.° *de de Cura pro Mortuis cap.* 1.° ex solis illis argumentum petierit ad propugnandum fidei dogma de precibus fundendis pro Defunctis. His accedit D. Isidorus Hispalensis in *Lib.* 6. *Origin.* dicens = *Machabæorum Libros, licet Hebræi inter Apocrypha separent, Ecclesia tamen Christi inter Divinos Libros & honorat, & prædicat* = Tandem eos inter Divinos Libros enumerat Summus Pontifex Innocentius I. *in Epistola* 5.ª *ad Exuperium cap. ult.*°

Hinc Occhini retunditur impudentia, qui in *Dialog. de Purgat.* inquit = *Quod Apocryphi sint Libri Machabæorum, ex Laodicensi & Africana Synodo manifestum est: imo ex omnibus Sacris Doctoribus, qui Sacrorum Librorum Catalogum percensentes, de Machabæis nullam mentionem faciunt.*

Nec horum Librorum Author veniam petit propter errores, qui in factis ibi historice descriptis obrepserant, sed propter elocutionem seu orationem, quæ minus elegans eam legentibus videri poterat; sicut ait Paulus 2. *ad Corinth. cap.* 11. *v.* 6. = *Nam si imperitus sermone, sed non scientia*, = cum revera sermone imperitus non esset

esset Apostolus laudatus, quanquam talis aliquibus videretur.

Quod vero suffragiorum pro Defunctis approbatio non Authoris effatum, sed potius marginalis additio censenda sit, invicte refellitur; potius enim est eximia Authoris Canonici sententia, cum dissonum Historico non sit, ex laudabiliter gestis aliquid adjicere, ad Fidelium mores informandos, atque ad promovendum studium pietatis.

Respondent secundo Hetherodoxi. Ex quo Liber secundus Machabæorum esset Canonicus, minime posset inferri suffragiorum utilitas pro Defunctis. I.° quia Judas oblatis eleemosynis, fieri curavit sacrificium pro militibus, qui in peccato lethali pugnantes objerant; inventa enim fuerunt sub eorum tunicis quædam de Idolorum donariis, quæ apud Jamniam fuerunt: idque ex verbis ibi præmissis colligitur = *Invenerunt sub tunicis Interfectorum de donariis Idolorum, quæ apud Jamniam fuerunt, a quibus lex prohibet Judæos* = Hujusmodi autem sacrificium pro vita functis in statu peccati lethalis vel est superstitiosis actibus adscribendum, ac per consequens rejiciendum: vel id factum dixeris duntaxat, ut superstites de eorum funere mœstitia deposita, consolationem reciperent. Addunt, ibi non statui legem ferendi suffragia pro Defunctis, sed quod fecerat Ductor exercitus, enarrari; non autem imitari tenemur, quæcunque in historiis Sacræ Scripturæ referuntur. Rursus, quod laudetur Judas, quia collectis aliorum eleemosynis mandaverit sacrificium offerri pro Defunctis, nihil refert; neminem enim fugit, factum Raziæ, qui seipsum necavit, ut adversariorum insidias evaderet, ab eodem Historico pariter commendari. Quod profecto imitari non debemus; alias colligi posset, licitum esse in hujusmodi casibus seipsum interimere.

Impugnatur autem, quod primo dicitur in responsione; solum quippe voluit Judas oblato sacrificio iis opitulari, qui cujuslibet contagione peccati lethalis expertes ex humanis decesserant, & in Purgatorii lacum ceciderant: ut vel culparum venialium, vel pœnarum temporalium remissione percepta resurgerent, atque ad supernam Beatitudinem obtinendam quantocyus convolarent; in allata siquidem authoritate hæc causa ferendi suffragium Defunctis exprimitur = *Bene & religiose cogitans*, (nempe Judas); *nisi enim eos qui ceciderant resurrecturos speraret, vanum & superfluum videretur orare pro mortuis: & quia considerabat, quod ii qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam* = prudenter enim sibi potuit suadere, illorum militum furtum non ex superstitione, aut pronitate in Idololatriam, sed ex avaritia perpetratum genus peccati venialis nequaquam excessisse: vel si culpæ lethalis malitiam attigisset, media contritione ante mortem elicita, fuisse deletum, juxta illud *psalmi* 77.v.34 = *Cum occideret eos, quærebant eum, & revertebantur* = Nec subsistit id, quod additur in responsione: quia quod fecit Judas, nosque adduximus, ad inferendam suffragiorum virtutem pro Defunctis, non est factum privatæ personæ, sed factum solemni veteris Ecclesiæ ritu aut commemoratione adstipulatum; relatis enim eorum omnium precibus, qui cum Juda erant, pergit Historicus referre pecuniam collectam, ac omnium nomine Hierosolymam missam = *Facta collatione duodecim millia drachmas argenti, misit Hierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium* = Illud præterea, quod majus est, ut pietati ac religioni conforme infallibili Authoris Canonici testimonio commendatur, ut posteris daretur exemplum, ad orationes & oblationes pro Defunctis exhibendas. Idem tamen dicendum non est de facto Raziæ, quo ducti Circumcelliones Donatistæ (ut luculenter advertit D. Augustinus in *Lib.* 1.° *contra Gaudent. cap.* 31.) ad sibi mortem inferendam excitabantur; laudatur enim ibi Razias duntaxat, eo quod in vitæ discrimine ab Adversariorum insidiis constitutus, viriliter mortem subjerit = *Proinde*, inquit, *etiam Senior ille Razias* (*quem isti exemplis sui sceleris destituti, de Machabæorum Libris tanquam imitandam se invenisse gloriantur*) *hoc facere debuit, quod in eisdem literis leguntur septem illi fratres exhortante Matre fecisse; ut comprehensus, & a lege Domini sui non aversus, omne quod ei applicitum esset acciperet, & in dolore sustineret, & humilitate*

 sua

sua patientiam haberet: quocirca humilitatem inter manus inimicorum non valens ferre, non plane sapientiæ, sed insipientiæ dedit exemplum, non Christi Martyribus, sed Donati Circumcellionibus imitandum...... At enim Sanctarum Scripturarum authoritate laudatus est Razias. Quomodo laudatus? quia fuit amator Civitatis. Hoc potuit & carnaliter, Civitatis videlicet illius terrenæ Hierusalem, quæ servit cum filiis suis, non autem illius, quæ sursum liberæ Matris nostræ. Laudatus est, quia Pater Judæorum appellabatur. Hoc magis est, unde & illi tanquam homini subrepsit humilitatis impatientia, ut prius mori vellet quam hostibus subjici. Dictum est quod elegerit nobiliter mori: melius vellet humiliter, sic enim utiliter. Illis autem verbis Historia gentium laudare consuevit, sed viros fortes hujus sæculi non Martyres Christi. Dictum est, quod se viriliter de muro præcipitavit in turbas, nec nos dicimus eum fecisse muliebriter: quanquam vos, qui multum exemplo isto profecistis, etiam fœminas vestras hoc facere docuistis. Sed fatemur hoc etiam ipsas non facere muliebriter, sed viriliter, non tamen salubriter, quia non fideliter = Utrunque itaque factum & Judæ & Raziæ in Machabæorum Libris legimus commendatum; aliter tamen & aliter. Illud in ordine Morali ut pietatem ac religionem redolens; proindeque merito ad Posterorum imitationem propositum. Hoc ut facinus egregium in ordine physico, non vero in ordine morali, quia non conforme prudentiæ dictamini, ad quam spectat virtutes morales æquitatis dirigere.

Efficax pariter est pro nostra Conclusione argumentum id, quod deducitur ex Matthæi 12. ubi Christus ait = *Quicunque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei. Qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæcula neque in futuro* = Ex quo patet, Christum supponere aliquod reperiri peccatum in futuro sæculo remittendum. Idque ad genuinam hujus loci intelligentiam necessario dicendum est, ne compellamur fateri, Christum ibi sermonem adhibuisse ad humano loquendi more valde alienum, quod ab impietatis nota non posset vindicari. Et profecto nemo non dixerit ineptum proferre sermonem eum, qui creditori promitteret, se nec in hoc, neque in futuro sæculo debitum soluturum, cum in futuro locus solutionibus debitorum minime detur. Quædam ergo sunt peccata, quæ in Purgatorio remittuntur vel per ignem aliosque cruciatus ibi perpessos, vel intuitu suffragii præstiti a viventibus. Hujus expositionis veritatem adstruit D. Augustinus in *lib.21. de Civit. Dei cap. 13. & 24.* his verbis = *Pro Defunctis quibusdam, vel ipsius Ecclesiæ, vel quorundam piorum exauditur oratio: sed pro his, quorum in Christo regeneratorum nec usque adeo vita in corpore male gesta est, ut tali misericordia judicentur digni non esse: nec usque adeo bene, ut talem misericordiam reperiantur necessariam non habere..... neque enim de quibusdam veraciter diceretur, quod non eis remittatur, neque in hoc sæculo, neque in futuro, nisi essent quibus etsi non in isto, tamen remittetur in futuro* = Idem ostendit D. Bernardus contra Hetherodoxos *serm. 66.* = *Videte detractores, videte canes. Irrident nos, quia baptizamus infantes, quod oramus pro mortuis..... Non credunt autem ignem Purgatorium restare post mortem, sed statim animam solutam a corpore, vel ad requiem transire, vel ad damnationem. Quærant ergo ab eo, qui dixit: quoddam peccatum esse, quod neque in hoc sæculo remittetur, neque in futuro. Cur hoc dixerit, si nulla manet in futuro remissio purgatione peccati?*

Eodem pollet virtutis robore, ad probandum Defunctorum animas viventium suffragiis adjuvari, authoritas *Epist. 1.ª ad Corinth. cap. 15. v. 29.* = *Alioquin* (ait Apostolus) *quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? Ut quid baptizantur pro illis?* = qui textus de pœnitentiæ baptismate intelligitur, quod jejuniis, precibus ac lacrymis constat, juxta veriorem ac germaniorem cæteris expositionem S. Ephrem, Petri Cluniacensis, Hugonis aliorumque Sacræ Scripturæ Interpretum; ita ut sensus sit: si mortui ad vitam non resurgunt, perperam agunt, qui vigiliis, jejuniis, aliisque satisfactoriis operibus se macerant; passim enim in Sacris Scripturis & Patribus

pro afflictione baptismus accipitur; ut Marci 10. v. 38. = *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum, & baptismo quo ego baptizor baptizari?* = Lucæ 12.° v. 50. = *Baptismo autem habeo baptizari, & quomodo coarctor usque dum perficiatur* = D. Cyprianus *Serm. de Cœna Domini* inquit = Pietas *lacrymis se abluit, & lacrymis se baptizat* = & S. Gregorius Nazianzenus in *Orat. panegyr. in Sancta Lumina* dicit = *Quintum locum tenet lacrymarum baptismus, verum asperior & lacrymosior* = S. Isidorus Hispalensis in *Lib. 2.° de Officiis cap.* 24. inter varia, quæ enumerat baptismata, loco tertio pœnitentiam ponit = *Est & tertium baptisma*, inquit, *lacrymarum, quod laboriosius transigitur, sicut ille, qui per singulas noctes stratum suum rigat, qui imitatur conversionem Manasse* = Ab his edoctus D. Damascenus in *Lib. 3. de Orthodoxa fide* inquit = *Sextum baptisma in pœnitentia & lacrymis versatur, estque sane grave & durum*. Favet allatæ expositioni Sacræ Scripturæ ipse Apostolus, addens = *Ut quid & nos periclitamur tota die* = quasi dicat: cur nos tantopere patimur pro mortuis? Colligitur ergo Apostolum asseruisse, eos pro mortuis baptizari, qui orationibus, jejuniis & lacrymis pro Defunctis vacantes, assumunt sibi ignei baptismatis partem, quo in Purgatorio animæ torquentur, ad eas suis suffragiis adjuvandas.

Suffragia prodesse Defunctis propugnatur ex Conciliis.

Conclusio Catholica, de suffragiorum utilitate pro Defunctis ex Sacra Scriptura comprobata, ex Conciliorum statutis potest demonstrari. De Anniversariis publicisque precibus pro mortuis fit honorifica mentio in Concilio Carthaginensi III. celebrato anno CCCXCVII., quo decernitur *can.* 29. Sacerdotes pro Defunctis ad celebrandum incruentum Altaris Sacrificium jejunos accedere, nisi anniversaria dies Cœnæ Domini recurreret, aut post meridiem solis orationibus eorum memoria recoleretur = *Ut Sacramenta Altaris non nisi a jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniversario, quo Cœna Domini celebratur. Nam si aliquorum pomeridiano tempore Defunctorum sive cæterorum commendatio facienda est, solis orationibus fiat, si illi qui faciunt, jam pransi inveniantur.*

Ex Concilio Carthaginensi IV. celebrato anno CCCXCVIII. disces, pœnitentes satisfactionibus ab Ecclesia præscriptis operam dantes, ac in mari vel in itinere obeuntes, non esse orationibus & oblationibus destituendos = *Pœnitentes* (ita habetur *c.* 79.) *qui attente leges pœnitentiæ exequuntur, si casu in itinere vel in mari mortui fuerint, ubi eis subveniri non possit, memoria eorum & orationibus, & oblationibus commendetur.*

Censuit Concilium Aurelianense II. celebratum anno DXXXIII. can. 15. quod oblata pro criminosis interemtis admitterentur, dummodo propriis manibus sibi violenter mortem non intulissent = *Oblationes*, ait, *Defunctorum, qui in aliquo crimine fuerint interemti, recipi debere censemus, si tamen non ipsi sibi mortem probetur propriis manibus intulisse* =

Præcipit Concilium Bracarense I. anno DLXIII. celebratum, non impendi orationis suffragium pro iis, qui seipsos non sine culpa necaverant = *Qui sibi ipsis* (sunt verba Canonis 34) *quolibet modo culpabili inferunt mortem, nulla pro illis fiat commemoratio, nec cum psalmis sepeliantur* = & can. 39. statuit, eleemosynas pro Defunctorum memoria celebranda collectas inter Clericos distribui = *Si quid*, ait, *ex collatione Fidelium, aut per Festivitates Martyrum, aut per commemorationem Defunctorum offertur, apud unum Clericorum fideliter colligatur, & constituto tempore aut semel aut bis in anno inter omnes Clericos dividatur.*

Idem quod pro pœnitentibus Defunctis decreverat Concilium Carthaginense IV. fieri voluit Toletanum XI., sedente Adeodato Pontifice, anno DCLXXV. celebratum = *De his autem* (sunt verba canon. 12) *qui accepta pœnitentia, ante quam reconcilientur, ab hac vita recesserint, placuit nobis, ut & memoria talium in Ecclesia commendetur, & oblatio pro eorum delicto a Presbytero recipiatur.*

Expressius præ cæteris Conciliis Suffragiorum utilitatem pro Defunctis commen-

mendavit Concilium Florentinum anno MCCCCXXXVIII. celebratum *sess.* 25. *in Decreto de Purgatorio*, ubi legitur = *Item si vere pœnitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint & omissis, eorum animas pœnis Purgatorii purgari: & ut a pœnis hujusmodi relevventur, prodesse eis vivorum Fidelium Suffragia, Missarum scilicet Sacrificia, Orationes & Eleemosynas, & alia pietatis officia, quæ a Fidelibus pro aliis Fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiæ instituta*.

Dices cum Heterodoxis, quorum supra meminimus, Concilia voluisse fieri orationes & oblationes pro Defunctis: idque in Ecclesia observatum esse, sed id nulli Sacræ Scripturæ authoritati esse innixum, verum ex naturali amore erga Defunctos prodiisse, quod fidei & pietati fortasse repugnat = *Solet nobis objici* (Ita omnium nomine loquitur Petrus Vermilius Martyr) *Ecclesiam semper pro Defunctis orasse; quod quidem non inficior, sed assero, istius facti, neque verbi Dei nec exempli, quod desumitur ex Sacris Literis, authoritatem habere. Facile moventur homines naturali quadam charitate impulsi, & amore in Defunctos, ut illis bene cupiant, & in aliquas preces pro eis erumpant: sed affectio hæc vehementior, videndum est, ne fidei & justæ pietati adversetur*.

Resp. etiam dato, nullum Sacræ Scripturæ textum reperiri, suffragia fieri pro Defunctis approbantem (quod profecto falsissimum esse, constat ex dictis supra) ad id tamen apertissime demonstrandum Ecclesiæ consuetudinem tot Conciliorum authoritate comprobatam sufficere = *Sed etsi nusquam in Scripturis veteribus omnino legeretur* (inquit D. Augustinus in *Lib. de Cura pro mortuis geren.*) *non parva tamen est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret authoritas* = Nusquam legimus in Sacris Scripturis, oportere infantes Sacro Baptismatis fonte regenerari; quod & Petrus Vermilius Martyr fatetur contra Anabaptistas, & tamen certum est, infantium Baptisma ad fidei dogma pertinere. Regula a D. Augustino prælaudato tradita, in *Epist.* 118. *ad Januar.*, tenenda est = *Si quid universa per Orbem frequentat Ecclesia, quin ita sit disputare, insolentissimæ est insaniæ* = Quamobrem vim non facimus ad hoc fidei dogma probandum in precibus privatis, sed in solemnibus Deo oblatis nomine universalis Ecclesiæ. Quæ autem ita offeruntur, nequeunt fidei ac veræ pietati adversari.

Viventium Suffragia prodesse Defunctis ex Sanctis Patribus vindicatur.

Quanquam hactenus expensa tum ex Sacræ Scripturæ locis, tum ex Conciliorum Statutis atque Decretis satis superque Catholicam nostram Conclusionem evincant, tamen ut ea firmius roboretur, veterum hic Patrum traditionem adjicimus.

D. Dionysius Areopagita *de Ecclesiastica Hierarchia cap.* 7., de Oratione disserens ad Deum pro Defunctis dirigenda, ait = *Accedens venerandus Antistes precem Sacram super mortuum peragit: precatur Divinam Clementiam, ut cuncta dimittat per infirmitatem humanam admissa peccata Defuncto, eumque in luce statuat, & regione vivorum*.

Approbat Tertullianus orationes atque Anniversaria fieri pro Mortuis, ideoque in *Libro de Monogam. cap.* 10 mulieri viduæ suadet = *Ut pro anima ejus* (scilicet Conjugis) *& refrigerium interim adpostulet ei = & in prima resurrectione consortium: & offerat annuis diebus dormitionis ejus* & in *Lib. de Exortat. castitat. cap.* 11. inquit = *Duplex enim rubor est, quia in secundo matrimonio duæ uxores circunstant eundem maritum, una spiritu, alia carne. Nec enim pristinam poteris odisse, cui etiam clariorem reservas affectionem. Et jam repete apud Deum, pro cujus Spiritu postules, pro qua oblationes annuas reddas. Stabis ergo ad Deum cum tot Uxoribus, quot illas rationes commemoras, & offeres pro duabus, & commemoras illas duas per Sacerdotem de monogamia, ob pristinum de virginitate sancitum circumdatum Virginibus ac univiris: & ascendet Sacrificium tuum libera fronte?*

Supponit D. Cyprianus, merito offerri pro Defunctis Sacrificium, etsi illud fieri prohibeat pro Victore, qui contra legem in Episcoporum Concilio sancitam

Ge-

Geminium Faustinum Presbyterum Tutorem & Curatorem constituerat, in *Epist. 66. Ad Cler. & Pleb. Furnitanor.* dicens = *Episcopi antecessores nostri religiose considerantes, & salubriter providentes, censuerunt, ne quis frater excedens ad tutelam vel curam Clericum nominaret: ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec Sacrificium pro dormitione ejus celebraretur. Neque enim apud Altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab Altari Sacerdotes & Ministros voluit avocare. Et ideo Victor, cum contra formam nuper in Concilio a Sacerdotibus datam, Geminium Faustinum Presbyterum ausus sit Tutorem constituere, non est quod pro dormitione ejus apud nos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine ejus in Ecclesia frequentetur.*

Morem orandi pro illis, qui ex humanis decedunt, commendat D. Cyrillus Hierosolymitanus in *Catechesf. 5.*ª his verbis = *Denique pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi sunt, maximum esse credentes animarum juvamen, pro quibus offertur precatio Sancti illius & tremendi, quod in Altari positum est, Sacrificii, quod exemplo vobis demonstrare volumus. Scio enim multos dicere. Quid juvat animam sive cum peccatis, sive absque peccatis ex hoc Mundo decedentem, etiamsi in hoc Sacrificio mentio illius fiat? An enim si Rex aliquis eos, a quibus offensus est, in exilium pepulerit, postea vero illorum propinqui coronam aliquam conficientes pro his, qui sunt in supplicio exilibus, eidem offerrent, nonne condonationem aliquam suppliciorum ipsis dederit? Ad eundem modum & nos pro Defunctis preces adhibentes, quamvis sint peccatores, non quidem coronam plectimus, sed Christum pro nobis mactatum offerimus, ut & nobis & illis eum, qui est benignissimus, propitium reddamus.*

Idem tradit S. Gregorius Nazianzenus, qui *Oratione* 10. *in funer. Cæsarii fratris* inquit = *Nostras & eorum, qui tanquam in communi via paratiores ad Hospitium prius pervenerunt, animas ipsi Deo commendantes .... O omnium Domine & effector, ac præcipue hujus figmenti! ..... Nunc quidem Cæsarium, discessus nostri primitias, quæso suscipe.*

Idem habet D. Epiphanius *Hæresi 75.* Aerianos impugnans = *Cæterum*, ait, *quæ pro mortuis concipiuntur preces, iis utiles sunt, tametsi non omnes culpas extinguant .... Nam & Justorum & peccatorum mentionem facimus: peccatorum quidem, ut iis a Domino misericordiam imploremus* &c. = & infra *Necessario facere illud Ecclesiam dico, quæ traditum sibi ritum illum a majoribus acceperit. Potest vero quisquam maternam Sanctionem aut legem Patris evertere?*

Diserte ostendit S. Athanasius, non temere aut frustra, sed utiliter fieri pro Defunctis orationes & oblationes; ait enim *Orat.* 34. = *Quid ergo? Num sentiunt aliqua beneficia etiam peccatorum animæ, cum super illis fiunt Conventus, & per actiones bonorum operum & oblationum? Si non aliqua beneficia participarent ex illo, non utique in cura & exequiis fieret commemoratio* = Consentit D. Athanasio S. Joannes Chrysostomus *Homil.* 21. *in Act. Apostolor.* = *Non frustra oblationes pro Defunctis fiunt, non frustra preces, non frustra eleemosynæ. Hæc omnia Spiritus disposuit, volens, ut nos mutuum juvemus. Vide enim utilitatem, accipiet ille per te, & tu per illum, contemtis opibus, inductus ad faciendum aliquid generosum, tu illi Salutis: ipse vero tibi eleemosynæ factus est author, ne dubita, quia erit aliquis fructus suavis. Non simpliciter Minister clamat pro his, qui defuncti sunt in Christo, & pro his, qui illorum memoriam faciunt .... Hoc scientes consideremus, quantas consolationes possemus mortuis, pro lacrymis, pro monumentis præstare; nempe eleemosynas, preces, orationes, ut & illi & nos assequamur promissa bona.*

Defunctorum animas Deo minime precibus & Sacrificiis commendaret D. Ambrosius, nisi suffragia in Purgatorii carcere mancipatas juvare possent = *Tibi nunc* (ait in *Orat. Funeb. de Obitu Satyri Fratris*) *Omnipotens Deus, innixam commendo animam, tibi hostiam meam offero: cape propitius ac serenus fraternum munus, Sacrificium Sacerdotis* = Et in

in Orat. de Obitu Theodosii = *Tu solus Domine invocandus es, tu rogandus, ut eum in filiis repræsentes ... Da requiem servo tuo Theodosio, requiem illam, quam præparasti Sanctis tuis. Illo convertatur anima ejus unde descendit, unde mortis aculeum sentire non possit, ubi cognoscat mortem hanc non naturæ finem sed culpæ ... Dilexi, & ideo prosequor eum usque ad regionem vivorum, nec deseram, donec fletu & precibus inducam virum, quo sua merita vocant in montem Domini Sanctum, ubi perennis vita.*

Laudat D. Hieronymus Pammachium in *Ep.26.*, eo quod curasset uxoris suæ obitum satisfactoriis operibus celebrare = *Cæteri mariti*, inquit, *super tumulum conjugum spargunt violas, rosas, floresque purpureos, & his officiis dolorem peccatoris consolantur. Pammachius noster sanctam favillam ossaque veneranda eleemosynæ balsamis rigat. His pigmentis atque odoribus fovet cineres quiescentes, sciens scriptum, quod sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum.*

Audiendus nunc est D. Augustinus, qui *Serm. 32. de Verb. Apost.* inquit = *Pompæ funeris, agmina exequiarum, sumtuosa diligentia sepulturæ, monumentorum opulenta constructio, vivorum sunt qualiacunque solatia, non adjumenta mortuorum. Orationibus verò Sanctæ Ecclesiæ, & Sacrificio salutari, & eleemosynis, quæ pro eorum Spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adjuvari: ut cum eis misericordius agatur a Domino, quam eorum peccata meruerunt. Hoc enim a Patribus traditum, universa observat Ecclesia, ut pro eis, qui in Sanguine & Corporis & Sanguinis Christi Communione defuncti sunt, cum ad ipsum Sacrificium loco suo commemorantur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur. Cum vero eorum commendandorum causa opera misericordiæ celebrantur, quis eis dubitet suffragari, pro quibus orationes Deo non inaniter allegantur?*

Infert S. Gregorius Papa in *in lib. 4. Dialogorum* cap. 55., viventium suffragia Defunctis prodesse, ex quo ab ipsis ea expetantur, unde prolato exemplo cujusdam viri Defuncti, qui Sacerdotis suffragia postulaverat, inquit = *Qua ex re, quantum prosit animabus immolatio sacræ oblationis, ostenditur, quando hanc & ipsi mortuorum Spiritus a viventibus petunt, & signa indicant, quibus per eam absoluti videantur.*

Jungimus Patribus hucusque relatis D. Isidorum Hispalensem, qui *Lib. 1. de Offic. Ecclesiast. cap. 18.* hæc habet = *Sacrificium pro Defunctorum Fidelium requie offerri vel pro eis orari, quia per totum hoc Orbem custoditur, credimus quod ab ipsis Apostolis traditum sit. Hoc enim ubique Catholica tenet Ecclesia, quæ nisi crederet Fidelibus Defunctis dimitti peccata, non pro eorum Spiritibus vel eleemosynam faceret, vel Deo Sacrificium offerret. Nam & cum Dominus dicat Matth. 12., Qui peccaverit in Spiritum Sanctum non remittetur ei neque in hoc sæculo neque in futuro, demonstrat, quibusdam illic dimittenda peccata, & quodam purgatorio igne purganda.*

Ex dictis colliges, retundendam esse Calvini impudentiam, qui *Lib. 3. Institutionum cap. 5. num. 10.*, ut suffragiorum usum a Christiana Republica penitus eliminaret, asseruit, morem orandi & offerendi Sacrificia pro Defunctis a Gentilibus acceptum, ita inposterum retinendum approbasse SS. Patres, non quod in eo aliquam utilitatem pro Defunctis agnoscerent, sed ut se populis accomodarent. Neminem enim latet, Sanctos Patres omnem movisse lapidem, ut Ecclesiæ aream a superstitiosis Ethnicorum moribus purgarent; ideoque nisi orationes, oblationes, nec non Anniversaria Defunctis profutura existimarent, ea tot laudibus non extollerent, nec assererent esse pietati ac Religioni consentanea.

Aliud pro eadem Conclusione ex ratione theologica profertur argumentum.

Conclusionem propositam Sacræ Scripturæ, Conciliorum ac Sanctorum Patrum authoritatibus fuse jam propugnatam, ratione theologica illustrandam aggredimur.

Animæ in Purgatorio existentes sunt cum cæteris Fidelibus viventibus unitæ per fidem & charitatem = *Neque enim* (ut inquit D. Augustinus in *lib. 12. de Civitat. Dei*) *piorum animæ Defunctorum ab Ecclesia separantur, quæ est Regnum Christi* = Unio autem fidei, & charitatis ne-

nequit non esse communicationis extremorum fundamentum; membra siquidem ejusdem corporis debent nedum cum capite, sed etiam ad invicem communicationem habere. Itaque quemadmodum ob eandem unionem inter Fideles viventes, unus potest pro alio preces propriasque satisfactiones offerre, eundemque ab onere luendæ pœnæ temporalis eximere, ita poterunt hujusmodi charitatis & miserationis officia viventes pro Defunctis exhibere. Quod optime declarat Glossa in *Cap. Ecce charitas de Consecr. dist.* 15. *super illud psalmi*: *Particeps ego sum omnium timentium te & custodientium mandata tua*, ubi dicit = *Membrum particeps est totius corporis*; *nec enim nobiscum minus conjuncti sunt Defuncti quam vivi. Communio autem charitatis facit, ut nostra opera illis apud Deum prosint, non minus quam vivis, præsertim cum sint in majori necessitate constituti*.

Neque audiendi sunt Willelmus Parisiensis & Henricus Vici, qui quanquam admiserint, animas in Purgatorio detentas viventium suffragiis adjuvari; asserere tamen non dubitarunt, non esse tali modo juvandas, tum ut detur locus ibi Divinæ Justitiæ, tum ne frænum illud peccatorum, ac licentiæ retinaculum auferatur, quod nobis ingerit Purgatorii metus. Et profecto si eorum assertum scopum veritatis attingeret, rejicienda esset Ecclesiæ Praxis, quæ tam in veteri Testamento, quam in novo a Christo & Apostolis saluberrimis legibus edocta, summo semper studio pro Defunctis suffragia exhibere consuevit: silentium oporteret indici Conciliis ac Patribus, quorum authoritates nuper expendimus, quia dum Missæ Sacrificium, jejunia, orationes, aliaque pia opera pro Defunctis indesinenter commendant, ad ea peragenda superstites vehementer alliciunt.

Hinc merito opinionem Parisiensis & Vici Theophilus Raynaudus in *Etheroclyt. Spirit. Cœlest. Terrestr. & Inferor. sect.* 1. aliis solidissimis rationum momentis impugnat, eamque omnino rejiciendam esse scribit: ac insuper advertit, verum ejus primum authorem atque parentem Satanam esse dicendum, qui hasce animas odio prosequens, cœlestis Aulæ Sedes, a quibus ipse delapsus fuerat, quantocyus occupaturas: cum nequeat illis amplius suis malis artibus nocere, neque claram Dei visionem, quam expectant, eripere, omnem movet lapidem, ut saltem amotis viventium suffragiis supernæ beatitudinis merces eis differatur. Quo sane consilio, eundem Satanam Heterodoxos, qui Catholicæ de Purgatorio veritati aperta fronte restiterunt, produxisse, scribit Petrus Cluniacensis. Verum his Ecclesiasticæ Censuræ mucrone contritis, in aliorum Fidelium animos vulpino genio, hoc nititur obducere velum: ut melius judicent, nullo præstito adjutorio, Defunctos exolvere pœnas, quas Divina Justitia in Purgatorio ob anteactæ vitæ reatus exposcit in vindictam, quam illos suffragiis adjuvare: ut ita Purgatorii timor sit peccandi frænum & licentiæ retinaculum.

Solvuntur argumenta, quibus Heterodoxi probare nituntur, Defunctos non juvari viventium suffragiis.

Objicies 1.° Plura Sacræ Scripturæ loca nos edocent, Defunctorum animas suffragiorum fructum non experiri. *Ecclesiastis* 9. *v.* 5. habetur = *Viventes enim sciunt se esse morituros, mortui vero nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem, quia oblivioni tradita est memoria eorum* = Et *versu* 10. = *Quodcunque potest facere manus tua, instanter operare, quia nec opus nec ratio, nec sapientia erunt apud Inferos, quo tu properas* = ubi innuitur, peccata neque quantum ad pœnam in futuro sæculo posse expiari.

Resp. 1° ibi fieri sermonem de mercede, quæ in præsenti vita potest obtineri a viventibus, in lucris aliisque bonis temporalibus: non vero de alia, quam hic bene agendo justi, in futuro sæculo sibi conferendam meruerunt. Porro hunc esse legitimam eorum verborum expositionem, patet ex illis verbis = *Vade ergo & comede panem tuum in lætitia*.

Resp. 2.° Ecclesiastem minime velle, Defunctorum animas non esse in statu percipiendi commodum ex viventium suffragiis, ut perperam interpretantur Hetherodoxi, sed duntaxat non esse amplius in statu merendi vel demerendi; præsens enim vita viæ ac stadio decurrendo comparatur, quo emenso, non datur tempus vel locus ad merendum: unde D. Hierony-

 mus

mus Eccl esiastem ita loquentem exponens ait = *Viventes metu mortis possunt bona opera perpetrare, mortui vero nihil valent ad id adjicere, quod semel secum tulerunt de vita .... nec juste quippe possunt agere, nec peccare, nec virtutes adjicere nec vitia.*

Objicies 2.° id quod habetur ex D. Paulo 2. *ad Corinth. cap.* 5. *v.* 10. = *Omnes nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum* = Si vero viventium suffragia Defunctis prodessent, non referret unusquisque in Purgatorio aliorum suffragiis adjutus ea, quæ gessit in corpore, sed ea, quæ alii gesserunt. Idem confirmat dictum ejusdem Apostoli *ad Galat.* 6. = *Unusquisque onus suum portabit* = quod ita D. Hieronymus exponit = *Obscure licet docemur per hanc sententiolam novum dogma, quod latitat, dum in præsenti sæculo sumus, sive orationibus sive consiliis invicem posse nos coadjuvari. Cum autem ante Tribunal Christi venerimus, non Job, non Daniel, nec Noe rogare posse pro quoquam, sed unumquenque portare onus suum* = Animæ itaque Defunctorum ante Christum Judicem constituendæ non sunt in statu recipiendi opem ex viventium suffragiis.

Resp. 1.° Apostolum in utraque authoritate, necnon D. Hieronymum loqui de ultimo & universali Judicio, solumque asserere, in eo nos non posse mutuæ charitatis officium experiri: nec tunc viros etiam eximia sanctitate præditos posse aliis prodesse, ut a statu peccati, in quo decesserunt, ad statum gratiæ vel gloriæ resurgant. Idque esse Hieronymi mentem, ejusmet verba, quæ in objectione recitata sunt, apertissime declarant, quibus adde hæc immediate præcedentia = *Videtur* Apostolus *superioribus contraire, ubi ait: Alter alterius onera portate. Si enim onus suum unusquisque portabit, alter alterius onera portare non poterit. Sed videndum quod ibi præceperit, ut peccantes in hac vita nos invicem sustentemus, & in præsenti sæculo alterutrum auxilio simus: hic autem de Domini dicat in nos judicio, quod non ex alterius peccato & comparatione deterioris, sed juxta nostrum opus, aut peccatores ab eo judicemur aut Sancti, recipiente unoquoque secundum opus suum. Obscure licet docemur per hanc sententiolam* &c. = Hoc tamen non obstat, quominus Defuncti, antequam ad Christi Tribunal sistantur ultimam sententiam audituri, eleemosynis aliisque piis operibus in Purgatorio existentes adjuventur.

Resp. 2.° etiam supposita Catholica veritate de suffragiorum utilitate pro Defunctorum animabus, adhuc verum esse, unumquenque referre ea, quæ gessit in corpore, quia adjutorium illud, quod in Purgatorio justi experientur, in hoc sæculo bene vivendo sibi comparaverunt. Et hoc statui charitatis cohæret, in quo justi decesserunt, ut ex unione cum aliis in eodem statu viventibus ac Christo Capiti adhærentibus illorum suffragiis a pœnis sublevarentur = *Hic omne meritum* (inquit D. Augustinus in *Enchirid. cap.* 110.) *comparatur, quo possit post hanc vitam relevari quispiam vel gravari. Nemo autem se speret, quod hic neglexerit, cum obierit, apud Deum promereri. Non igitur ista, quæ pro Defunctis commendandis frequentat Ecclesia, illi Apostolicæ sunt adversa sententiæ, qua dictum est: Omnes enim adstabimus ante Tribunal Christi, ut referat unusquisque secundum ea, quæ per corpus gessit, sive bonum sive malum; quia etiam hoc meritum sibi quisque, cum in corpore viveret, comparavit, ut ei possent ista prodesse. Non enim omnibus prosunt, nisi propter differentiam vitæ?* = Idem meritum agnoscit D. Gregorius Magnus *Lib.* 4. *Dialogor. cap.* 39. = *Quia qualis*, inquit, *hinc egreditur quisque, talis in Judicio præsentatur. Sed tamen de quibusdam levibus culpis esse ante Judicium purgatorius ignis credendus est .... Hoc tamen sciendum est, quia illic saltem de minimis nihil quisque purgationis obtinebit, nisi bonis actibus in hac vita positus, ut illic obtineat, promereatur.*

Objicies 3.° Ex Sanctis Patribus colligitur non dari locum Purgatorii, in quo culparum remissio necnon aliqua consolatio aliorum adjutorio percipiatur; ait enim S. Joannes Chrysostomus *Conc.* 2. *de Lazaro* = *Cum hinc discesserimus, non est in nobis situm pœnitere, neque commissa diluere,*

re: *neque enim, qui in præsenti vita peccata non diluerunt, postea consolationem aliquam recepturi sunt* = Idem docet D. Ambrosius *lib. de Bono Mortis c. 2.* ubi ait = *Qui enim hic non acceperit remissionem peccatorum, illic non erit*, nimirum in Patria Beatorum.

Resp. D. Chrysostomi locum exponendum esse de culpis lethalibus, non vero de venialibus. Nec aliter potest sentire D. Jo: Chrysostomus, qui *Homilia 32.ª in Matth.* suffragia pro Defunctis fieri commendat, ut a maculis in hoc sæculo contractis purgentur = *Si barbaræ gentes*, inquit, *una cum defunctis res eorum cremare solent, quanto æquius tu defuncto filio sua tradere debes, non ut in cinerem redigantur, sed ut gloriosum magis illum reddas. Putas eum maculis inquinatum abiisse, da ipsi sua, ut illis se a maculis detergat* = Eodem modo intelligendus est D. Ambrosius.

Objicies 4. Ex precibus & Sacrificiis, quæ Deo pro Defunctis offeruntur, perperam infertur, Defunctorum animas in Purgatorio viventium suffragiis adjuvari 1.° quia in antiquis Liturgiis, & apud Sanctos Patres habetur, Deo preces offerri & Sacrificia pro Patriarchis, Prophetis, Apostolis cæterisque Sanctis, quos clara Dei Visione perfrui in Patria minime diffitemur; proindeque certum est, eos suffragiorum non indigere, cum ab omni genere mali tum culpæ tum pœnæ sint immunes. 2.° In Ecclesia preces funduntur pro animabus, quæ gehennalibus torquentur suppliciis. Oratur enim in Ecclesia, ut Deus *liberet animas omnium Fidelium Defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu: ut liberet eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum* = & tamen fide Divina credimus eorum pœnas nec finiri, nec minui. Quanquam ergo preces & oblationes fiant pro animabus in Purgatorio degentibus, non recte inde arguitur, viventium suffragia pro Defunctis in Purgatorio existentibus prodesse.

Resp. ad 1.m Sacrificium Missæ pro Sanctis offerri, quatenus Eucharisticum, non quatenus propitiatorium, ac per consequens non ut pro illis aliquid impetremus, sed ut pro illis Deo gratias referamus acceptas; unde S. Augustinus *Serm. 17. de Verbis Apost.* = *Ideo*, ait, *habet Ecclesiæ disciplina, quod Fideles noverunt, cum Martyres eo loco recitantur ad Altare Dei, ubi non pro ipsis oretur, pro cæteris autem commemoratis Defunctis oretur; injuria est enim orare pro Martyre, cujus nos debemus orationibus commendare* = & Innoc. III. *in Cap. cum Marthæ de Celebratione Missarum* inquit = *Fraternitas tua requisivit, quare fuerit mutatum, quod in Secreta Beati Leonis secundum antiquiores codices continetur, sic videlicet: Annue nobis Domine, ut animæ famuli tui Leonis hæc prosit oblatio; cum in modernis Sacramentariis habeatur: Annue nobis quæsumus Domine, ut intercessione B. Leonis hæc nobis prosit oblatio? Super quo respondemus, quod cum Sacræ Scripturæ dicat authoritas: Quod injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre, idem est ratione consimili de Sanctis aliis sentiendum, quia orationibus nostris non indigent, pro eo, quod cum sint perfecte beati, omnia eis ad vota succedunt; sed nos potius orationibus eorum indigemus, quos, cum miseri simus, undique mala nostra perturbant. Unde quod in plerisque orationibus continetur, prosit vel proficiat huic Sancto vel illi talis oblatio ad gloriam & honorem, ita debet intelligi, ut ad hoc prosit, quod magis ac magis a Fidelibus glorificetur in terris* = Ad 2.m dicimus, ea verba ab Ecclesia in Missa Defunctorum adhibita non continere orationem, qua petat Defunctorum animas a damnationis Judicio, vel Inferni pœnis liberari, sed ordinari ad obtinendam pro ipsis suppliciorum, quæ in Purgatorio subeunt, vel diminutionem vel integram remissionem; continent enim piam quandam repræsentationem status earum animarum pro instanti, quo a vinculis corporeis absolutæ, Dei intersunt judicio particulari, ideoque preces exhibentur, quæ in tali discrimine fiunt, ac fieri deberent. Nec prædictam repræsentationem dixeris otiosam; quia plura continet utilia, & prodeunt inde optimi fructus: admonentur enim Fideles ad summum illud periculum mortis & judicii serio recogitandum, ut cuncta visibilia contemnant, & ad æterna jugiter aspirent: fidei atque Religionis actus exercentur, cum ea oratio fiat in Cultum Dei, quem supremum animarum Judicem agnoscimus, qui cum sit maxime misericors, potest ani-

mas in Purgatorio detentas media Fidelium obsecratione liberare: tandem cum dicti actus satisfactorii sint, ad animarum Purgatorii liberationem, vel solatium diriguntur. Sic Ecclesia celebrans Christi Adventum, in memoriam revocat tempus illud, quo hujusmodi Mysterium nondum erat impletum, sed a Sanctis Patribus pie expectabatur, non quia de Mysterii consummatione certa non sit, sed ut Fideles spirituales fructus ex eo percipiant, ita recolit, ac si nunc esset implendum. Eo tendunt preces illæ, quæ tempore Adventus fiunt = *Rorate Cœli desuper, & nubes pluant Justum, aperiatur terra, & germinet Salvatorem* = Quod dicendum est pariter de aliis mysteriis Christi ab Ecclesia celebratis; unde D. Augustinus de Paschatis celebratione loquens in *Epist. 23. ad Bonifac. Episcop.* ait = *Sæpe ita loquimur, ut Pascha propinquante, dicamus crastinam, vel perendinam Domini passionem, cum ille ante tam multos annos passus sit, nec omnino nisi semel illa passio facta sit, nempe ipso die Dominico dicimus: Hodie Dominus resurrexit, cum ex quo resurrexit, tot anni transierunt. Cur nemo tam ineptus est, ut nos ita loquentes arguat esse mentitos? nisi quia istos dies secundum illorum, quibus hæc gesta sunt, similitudinem nuncupamus, ut dicatur ipse dies, qui non est ipse, sed revolutione temporis similis ejus: & dicatur illo die fieri, propter Sacramenti celebrationem, quod non illo die sed jam olim factum est. Nonne semel immolatus est Christus in seipso? & tamen in Sacramento, non solum per omnes Paschæ Solemnitates, sed omni die populis immolatur: nec utique mentitur, qui interrogatus responderit immolari.*

Alia argumenta, quæ aut reatum pœnæ temporalis expleta justificatione nunquam superesse, aut satisfactionis necessitatem, ac per consequens indirecte suffragiorum utilitatem pro Defunctis impugnant, habes soluta supra *cap. 1. art. 1. dub. 1.*

ARTICULUS II.

An Indulgentiæ prosint Defunctis?

HOstiensis in *Summa Titul. de Remissionib. cap. 6.* negat mediis Indulgentiis posse adjuvari Defunctos = *Sed & vivis*, inquit, *tantum prosunt* Indulgentiæ, *non mortuis, sicut enim membrum corporale putridum, vel resecatum vel mortuum non potest nutriri, vel vivificari cibo corporali, licet alias Suffragia Ecclesiæ mortuis prosint; quia charitas sola prodest in Purgatorio, sed potestas Clavium non habet ibi locum.*

Hostiensi subscribit Joannes Gerson *serm. 2. pro Defunctis*; ventilandum enim sibi proponens dubium: An Indulgentiæ acquiri possint pro Defunctis = *Teneo*, inquit, *quod non, quia indulgentiæ ordinatæ sunt iis, qui submittunt se Curiæ misericordiæ, quæ hic est, & durat usque ad mortem, non autem post mortem* = Idem docuit Henricus de Gorichen in *Summ. D. Thom qu. 20.*

Conclusio nostra sit: Indulgentiæ prosunt Defunctis. Hæc Conclusio tanta pollet certitudine nunc apud Catholicos, ut contrarium asserere errori proximum sit.

Prob. 1.° ex Constitutione Sixti IV. cujus initium est *Licet ea*, recitata in *Dissert. Proœmial.* §. 7. n. XVIII. qua hæc propositio Petri Oxomensis proscribi tur = *Romanum Pontificem Purgatorii pœnam remittere, & super his, quæ universalis Ecclesia statuit, dispensare non posse* = Nequit autem Romanus Pontifex eam pœnam Defunctis relaxare, nisi utendo potestate Clavium per Indulgentiarum largitionem. Insuper Pontifex laudatus in Constitutione incipiente *Romani Pontificis*, edita 5. Calendas Decembris anno MCCCCLXXVII. declaravit = quod *Indulgentia alias Ecclesiæ Xantonensi concessa ... perinde proficeret, ac si devotæ orationes piæque eleemosynæ pro earundem animarum*, existentium in Purgatorio *salute dicerentur & offerrentur* = Ergo Indulgentiæ prosunt Defunctis.

Prob. 2.° ex Literis Decretalibus Leonis

nis X. ad Cardinalem Cajetanum allatis in *Differt. Proœmial.* §. 7.*n.* XIX. ubi habetur = *Ecclesiam Romanam tradidisse, Romanum Pontificem ..... potestate Clavium .... pro rationalibus caussis concedere Christifidelibus, qui charitate jungente membra sunt Christi, sive in hac vita sint, sive in Purgatorio, Indulgentias ex superabundantia meritorum Christi & Sanctorum; & tam pro vivis quam pro Defunctis Apostolica auctoritate Indulgentiam concedendo, Thesaurum meritorum Jesu Christi & Sanctorum dispensare, & per modum absolutionis Indulgentiam ipsam conferre, vel per modum suffragii illam transferre consuevisse: ac propterea omnes tam vivos, quam Defunctos, qui veraciter omnes Indulgentias hujusmodi consecuti fuerint, a tanta temporali pœna secundum Divinam justitiam pro peccatis suis actualibus debita liberari, quanta concessæ & acquisitæ Indulgentiæ æquivalet* &c. = Si ergo ex mente Pontificis laudati Indulgentia pœnæ in Purgatorio luendæ ita correspondet, ut tantum de hac Defunctis relaxetur, quantum de illa comparatur, fateri necesse est, Indulgentias utique Defunctis prodesse. Et ideo ab ipsomet Leone Pontifice damnatam novimus hanc Lutheri propositionem Constitutione incipiente: *Exurge Domine*, recitata in sæpe allegata *Dissertation.Proœmial.* §.7. *n.* XX. = *Sex hominum generibus Indulgentiæ non sunt necessariæ nec utiles, videlicet Mortuis* &c.

Prob.3.° ex praxi Ecclesiæ. Joannes VIII. in *Epistola* 144.*ad Galliæ Episcop.* data anno DCCCLXXVIII., recitata a Baronio ad dictum annum, declarat, Christifideles in bello pro Ecclesiæ defensione suscepto, in statu pietatis vita functos nedum requiem æternæ vitæ assecuturos, sed etiam se illis Indulgentiam elargiri = *Nostra* (sunt verba Epistolæ laudatæ) *præfatos mediocritate intercessione Beati Petri Apostoli, cujus potestas ligandi atque solvendi est in Cælo & in terra, quantum fas est, absolvimus, precibusque in Domino commendamus.*

Non dissimilem gratiam pro Arnulpho Imperatore Defuncto anno DCCCXCIX. Bojariæ Episcopos a Joanne IX. postulasse, reperies apud Metropolitani Salisburgensem *lib.*1.° *pag.*47. his verbis = *ut ipsius* Imperatoris *anima absoluatur* = Aliud hujusmodi Pontificiæ liberalitatis exemplum exhibuit Gelasius II., ritu solemni consecrata Januæ Sanctorum Laurentii & Syri Ecclesia, paulo ante ædificata, erga Fideles Defunctos tum ibi tumulatos, tum inposterum in dictæ Ecclesiæ Cœmeterio tumulandos; ut plenam fidem facit perantiqua tabulæ inscriptio in dictæ Ecclesiæ Sacrario servata, quam refert Oldoinus *in Vit. Romanor. Pontific.* in Gelasio II. his verbis exaratam = *Sexto Idus Octobris anno Dominicæ Incarnationis* MCXVIII. *Indictione* 12. *Dedicatio Ecclesiæ Beatissimi Laurentii, atque Sanctissimi Syri Januensis Episcopi, quæ consecrata fuit a Domino Gelasio, primo anno Episcopatus sui cum pluribus Episcopis &c. In qua consecratione, laude omnium virorum Religiosorum fecit remissionem cunctorum peccatorum, ex parte Dei Omnipotentis, Beatæque Dei Genitricis Mariæ, & omnium Sanctorum & sua, inquantum potuit, omnibus Defunctis masculis & fœminis, qui mortui sunt in vera Confessione, & sunt sepulti in Cœmeterio ejusdem Ecclesiæ, & sepelientur usque ad finem sæculi.*

In ejusdem praxis fidem locum habere debent Pontificiæ largitiones, quæ pro Sacris Expeditionibus in Syriam ad loca illa sancta ex Infidelium manibus vindicanda, vel contra Schismaticos & Hæreticos quandoque despondebantur; etenim summi Pontifices, ut libenter Fideles, vel dictas Expeditiones amplecterentur, vel stipem aliquam pro Crucesignatorum subsidio tribuerent, uberes dederunt Indulgentias pro Defunctis. Hanc praxim his verbis describit D. Thomas in 4. *dist.* 45. *quæst.* 2. *artic.* 3.=*Per consuetudinem Ecclesiæ, quæ facit prædicari Crucem, ut aliquis habeat Indulgentiam pro se & duobus vel tribus, & quandoque decem animabus tam vivorum, quam mortuorum.*

Ut tamen intelligas, nedum pro sacris Expeditionibus, sed etiam aliorum piorum operum intuitu pro Defunctis cælestem Ecclesiæ Thesaurum mediis Indulgentiarum concessionibus summos Pontifices aperuisse, observare non pigeat, quod refert Mabillonius in *Præfatione ad Acta Sanctor. Ordin. Benedicti sæculo* V. Ex Epi-

Epitome fundationis Abbatiæ S.Nicolai Andegavensis, in ejusdem Monasterii Archivio existente=*Urbanum III.circa an.* 1186.*benemerentibus de eadem Abbatia, tam in vita, quam post eorum mortem septimam de injunctis pœnitentiis partem relaxasse, prout Archiepiscopus Turonensis, & quamplures alii inibi præsentes Episcopi singuli* 40. *dies condonaverunt* = Hujusmodi vero concessiones ævo D. Thomæ Aquinatis viguisse, testatur S. Doctor *Articulo mox citato quæstiune.* 2. = *Si autem Indulgentia sub hac forma fiat: Quicunque fecerit hoc vel illud, ipse & pater ejus, vel quicunque ei adjunctus in Purgatorio detentus, tantum de Indulgentia habebit, talis Indulgentia non solum vivo, sed etiam mortuo proderit*=Frequentiora reperiuntur apud Scriptores Sæculo XIV., & XV. Pontificia hujusmodi Indulgentiarum edita Diplomata. Extant Callisti III. Literæ pro Ecclesia Tyrasionensi in Hispania, Pii II. & Sixti IV. pro Ecclesia Xantonensi cum facultate applicandi eas pro Defunctis. Has vero concessiones, necnon supralaudatam Sixti IV. declarationem tanti fecit Gabriel Wyel, ut, licet in *Expos. Missæ Lect.*56. docuisset, Indulgentias minime Defunctis prodesse, neque de Ecclesiæ consuetudine ejusmodi suffragia concedendi constare, cito tamen *Lect.*57. id apertissimis his verbis retractaverit = *In Lectione* 56. *dixi, non constare de consuetudine illa Ecclesiæ. Dum illa scripsi, nondum venerat ad manus meas Declaratio D. Sixti Papæ novissime de medio sublati, qua declarat: Indulgentias proficere per modum suffragii etiam animabus in Purgatorio. Hinc & modernus Pontifex D.Innocentius VIII. Indulgentias hujusmodi, olim per Pium II. & Sixtum præfatum visitantibus Ecclesiam Xantonensem, & fabricæ ejus contribuentibus ad animas in Purgatorio redimendas per modum suffragii extensas, etiam ad contribuentes ad S.Cruciatam contra Turcas extendit. Similiter Callistus Papa tales Indulgentias dedit in Hispania Ecclesiæ Tyrasionensi ..... Et hanc sententiam, prodesse Defunctis Indulgentias per modum suffragii, velut certam, amplecti debere, existimo* = Jubilæum insuper anni MD. cum eadem facultate ab Alexandro VI. indictum fuisse, perspicue demonstrat Bulla ejusdem, edita anno MCCCCXCIX. recitata a Raynaldo ad dictum annum: idemque Clementem VII. anno MDXXV. recurrente præstitisse, tradit Victorellus *Tract. de Jubilæis* pagina mihi 346. Mirum insuper est, quantum earundem Indulgentiarum usus sæculo XVI. invaluerit. Leo enim X. facultatem fecit Patribus Ordinis Minorum Sancti Francisci cunctas Indulgentias, antea eis concessas pro viventibus, applicandi pro Defunctis: sicut Sixtus V. idem dedit indultum Confratribus, Cordigeris nuncupatis, Bulla cujus initium est *Divinæ Charitatis*, edita anno MDLXXXVI. Altaria Privilegiata plurima Gregorium XIII. concessisse, nemo est qui dubitet. Superiori autem, & præsenti quo vivimus Sæculo, quam benignissime se gesserit, ac se gerat Sedes Apostolica in dispensandis hujusmodi thesauris pro Defunctis, adeo clarum est, ut supervacaneum sit, concessiones sive generales sive particulares recensere. Itaque ne dicamus vel Ecclesiam decipi, vel Christifideles decipere in despondendis Indulgentiis pro Defunctis, asserendum est eas iisdem prodesse.

Dices ad probandum Indulgentias prodesse Defunctis ex praxi Ecclesiæ, oporteret ostendere, eandem primis Sæculis exercuisse potestatem impendendi hujusmodi suffragia Defunctis. Porro ante sæculum IX. non probatur, Ecclesiam consuevisse concedere dictas Indulgentias. Corruit igitur argumentum allatum ex Ecclesiæ praxi deductum.

Resp., ex quo constet a Sæculo IX. ad hæc tempora usus Indulgentiarum pro Defunctis, optime evinci, eum esse legitimum; impossibile quippe est, in re morali atque gravissima Ecclesiam errasse, ac Fidelibus errandi occasionem præbuisse. Quamobrem etiam dato ante Sæculum IX. hanc potestatem minime exercuisse, non evertitur hoc nostræ Catholicæ Conclusionis fundamentum; cum enim potestas Clavium varios actus complectatur, opus non est eos omnes primis Sæculis, sed satis est decursu temporum exercuisse, prout expedire judicavit.

Prob. 4.° Viventium orationes aliaque pia exercitia pro Defunctis oblata eis prosunt, ut constat ex dictis in *Artic. antec.* po-

Potiori ergo ratione idem præstant satisfactiones Christi & Sanctorum per Indulgentiarum concessionem eisdem applicatæ. Maxime quia charitatis vinculum inter viventes & Defunctos a participatione Thesauri Ecclesiæ eos excludi non patitur, ut testatur D. Bonaventura in 4. *dist.20. q.5.*

Objicies 1°. Nullibi legitur in Sacra Scriptura, Defunctorum animas ex Indulgentiarum concessionibus fructum percipere. Deficiente autem fundamento ex Sacra Scriptura, non videtur certo aliquid esse statuendum, ad eorum solatium. Ergo certum non est Indulgentias prodesse Defunctis.

Resp. non haberi explicite & expresse in Sacra Scriptura nostram Conclusionem, bene vero implicite & virtualiter; quandoquidem si 2°. *Machabeor.* miserationis officium mediis suffragiis impensum Defunctis commendatur: pari ratione idem dicendum erit de Indulgentiis, quæ ex Christi meritis, ac superabundantibus Sanctorum satisfactionibus per Clavium potestatem ex Ecclesiæ Thesauro applicantur.

Objicies 2.° Indulgentiarum potestas, de qua Matthæi 16. habetur = *Quodcunque solveris super terram erit solutum & in Cœlis* = ita legitime debet exponi, quod ea pro degentibus super terram sit collata, seu pro illis, qui nobiscum conversantur: voluitque Christus potius definire, atque limitare terminos collatæ potestatis, quam extendere; eo modo quo Rex, Provinciæ gubernium alteri committurus, diceret: *quidquid egeris in Provincia tuo regimini commendata, ratum ac validum erit*. Cum ergo super terram non vivant animæ Defunctorum, nequeunt Indulgentiarum fructu gaudere.

Resp. verum esse, potestatem, de qua ibi expresse loquitur Christus, ita esse exponendam; sed tamen optime ex ea colligi, (ut dicemus Articulo sequenti) eandem extendi posse ad Defunctos. Maxime quia id evincit Ecclesiæ traditio, confirmatque suffragii natura.

Objicies 3.° Defuncti non sunt capaces Indulgentiarum, tum quia nequeunt externis operibus vacare, quæ in Dei honorem & Ecclesiæ utilitatem redundant: tum quia non sunt sub Ecclesiæ jurisdictione. Unde Henricus de Gorichen loco supracitato inquit = *Ex quibus patet, quod Indulgentiæ non possunt dispensari existentibus in Purgatorio, tum quia non possunt provocari ad aliquem actum, tum quia non sunt de jurisdictione Ecclesiæ. Tamen potest quis suam satisfactionem transferre ex charitate in relaxationem pœnæ ibidem existentium; unde Papa non potest liberare animas existentes in Purgatorio propter dispensationem Indulgentiarum* = Ergo Indulgentiæ non prosunt Defunctis.

Resp. ad hoc ut locum habeat nostra Conclusio, non requiri Defunctos implere opera in concessionibus injuncta; sed satis esse ea viventes peragere cum intentione percipiendi Indulgentiam pro Defunctis. Quæ vero ad hoc Ecclesiæ jurisdictio requiratur, constabit ex dicendis.

ARTICULUS III.

An Indulgentiæ concessæ pro Defunctis sint ad modum absolutionis, vel ad modum suffragii?

Contendunt Joannes Angeli, quem refert Major in 4. *dist.20. quæst.2.*, & Michael Medina *disp. 7. cap.34.* & *disp.8. cap. 40. de Indulg.* animas Defunctorum ad Summi Pontificis jurisdictionem pertinere: adeoque Indulgentias pro illis datas habere vim absolutionis. Eandem jurisdictionem supra Defunctorum animas admittit D. Bonaventura in 2. *part. dist. 20. quæst.2. in fine* = *Si quis*, ait, *contendat, Vicarium Jesu Christi habere judiciariam potestatem super eos, qui sunt in Purgatorio, non est ei multum resistendum; dum tamen hoc dictet ratio, vel auctoritas manifesta*.

Nostra tamen Conclusio sit. Indulgentia non prodest Defunctis ad modum absolutionis, sed ad modum suffragii.

Prob. prima pars. Ecclesia nullo potest uti actu jurisdictionis in Defunctos; quia non potest eos citare, aut illorum causas cognoscere, eos pascere, aut ad obediendum cogere, cum nequeant a Summo Pontifice doctrinam, Sacramenta, leges aut jura recipere; ideoque Gelasius Papa, ut habetur *causa 24. quæst.2. Cap.* Le-

Legatur = Mortuos suscitasse Christum legimus, in errore mortuos absolvisse non legimus, & qui certe hoc faciendi solus habuit potestatem, Beato Petro principaliter mandat Apostolo: Quæ ligaveris super terram ligata erunt & in Cælis: & quæ solveris super terram, erunt soluta & in Cælis. Super terram inquit, nam in hac legatione Defunctum nusquam dixit absolvi=Et eadem *Quæst. Cap. Nequidquam* idem Pontifex dicit=Achatius *in hac eadem persistens damnatione Defunctus absolutionem, quam superstes quæsivit, omnino non meruit. Mortuus jam non potest impetrare; siquidem ipsis Apostolis Christi voce delegatum est: Quæ ligaveritis super terram &c. Cæterum jam de eo, qui est in Divino Judicio constitutus, nobis fas non est aliud decernere* = Cum vero Indulgentia per modum absolutionis sit actus jurisdictionis in illum, cui conceditur, sequitur Indulgentiam Defunctis non prodesse per modum absolutionis.

Prob. altera pars Conclusionis 1.° ex Constitutione Leonis X. ad Cardinalem Cajetanum ubi habetur = *Apostolica authoritate Thesaurum Jesu Christi & Sanctorum dispensando, & per modum absolutionis ipsam concedendo, vel per modum suffragii illam transferendo* = Ubi ut vides, declaratur, quomodo per modum absolutionis prosit vivis Indulgentia, per modum vero suffragii Defunctis. Item ex alia supracitata Xisti IV. incipiente *Romani Pontificis* edita 5. Cal. Decembris occasione Indulgentiæ Ecclesiæ Xantonensi concessæ, ut occurreret abusibus, falsisque interpretationibus nonnullorum Doctorum asserentium, ratione talis Indulgentiæ non esse opus pro animabus Defunctorum orare, aut facere pia suffragia, dicitur = *Nos scandalis & erroribus hujusmodi ex pastorali officio obviare volentes, per Brevia nostra ad illarum partium Prælatos scripsimus, ut Christifidelibus declarent: ipsam Plenam Indulgentiam pro animabus existentibus in Purgatorio per modum suffragii fuisse concessam; non ut per Indulgentiam prædictam Christifideles ipsi a piis & bonis operibus revocentur, sed ut illa in modum suffragii animarum saluti prodessent, perindeque ea Indulgentia proficeret, ac si devotæ Orationes piæque eleemosynæ, pro earundem animarum salute dicerentur & offerrentur.*

Prob. 2.° Indulgentiæ aut prosunt Defunctis ad modum absolutionis, aut per modum suffragii. Non ad modum absolutionis, ut probavimus. Ergo per modum suffragii, seu Ecclesiastici subsidii: eo modo quo viventes per pia opera subveniunt vel vivis, vel Defunctis. Duo afferimus exempla ad hunc modum magis explicandum. 1.^m Regis habentis subditum, in alterius captivitate constitutum, pro quo si satisfactionem offerret, illum diceretur liberare, non absolvendo, sed suffragando. 2.^m Amici, ob debitum ab alio amico contractum centum scutorum, & ob id in carcere detento, totidem illi ex publico thesauro exolventis, qui certe illum a carceris pœna liberaret; ideoque aliter hoc beneficium proveniret a judice, aliter ab amico: ab illo, quia vi jurisdictionis absolvit, ab isto quia pretium obtulit liberationis. Ita Summus Pontifex viventibus dans Indulgentiam, vi suæ potestatis & jurisdictionis a pœna temporali eos absolvit; eandem vero largiens Defunctis, dat per modum adjutorii & auxilii, Deo offerendo, quod illi solvere tenebantur.

Ex dictis colliges 1. merito (ut refert Major in 4. *dist.* 10. *quæst.* 2.) Facultatem Parisiensem sequentem Joannis Angeli propositionem tanquam scandalosam reprobasse, ac per consequens nullatenus publice prædicandam = *Animæ in Purgatorio detentæ sunt de Jurisdictione Papæ.*

2.° Quod quanquam in quibusdam antiquis Indulgentiarum concessionibus pro Defunctis (ut vidimus in *Artic. anteced.*) Summi Pontifices verbum illud *absolvimus* adhibuerint, noluisse tamen vere & proprie absolutionem a pœnis temporalibus Defunctis impendere, vel supra eosdem potestatem jurisdictionis exercere: sed duntaxat solutionem ex Ecclesiæ Thesauro præstitam pro Defunctis significare, ut ea mediante, a pœnis, quibus in Purgatorio torquentur, absolutionem reciperent.

3.° Indulgentias viventibus solum concessas applicari non posse pro Defunctis, contra Gobat, qui *part.* 2. *cap.* 21. inquit = *Nullum plane inconveniens apparet in hac precatiuncula: Clementissime Deus, rogo te*

go te, ut, illam Indulgentiam Plenariam, quam cras in die Portiunculæ comparare studebo, digneris admittere, potius pro expiandis Parentis mei defuncti peccatis = Cæterum nemo non dixerit inconveniens, absolutionem a pœnis temporalibus, solis viventibus impensam posse ad Defunctos transferri, ut docent alii Theologi. Et ideo suam sententiam, quam loco citato Doctor laudatus exposuerat, in Appendice postea scribens censuit, non esse tam probabilem, sicut eam antea existimaverat = *Legisti*, inquit, *Lector, quid ab hinc annis plusquam viginti censuerim de quæstione proposita. Si autem quæras, quid etiam nunc judicem? Respondebo, eam responsionem jam non videri mihi tam probabilem, quam antea videbatur; idque ob solam authoritatem contrariam, siquidem reperio tres Doctores, qui me citato non probant illam doctrinam.*

Objicies 1.° contra Conclusionem. Christus omnem judiciariam potestatem contulit Summo Pontifici, suo in terris Vicario, super animas Defunctorum; & hoc cohæret Matthæi 16. v. 19. ubi dicitur Petro = *Quodcunque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis* = quia sicut ea verba = *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis* actum important supra personas ligatas; ita alia: *Quodcunque solveris* &c. jurisdictionem exprimunt supra personas, pro quibus potest fieri solutio; ideoque Innocentius III. *Cap. A Nobis de sententia Excommunicationis*, inquit = *Non obstat, quod Ecclesiæ legitur attributa potestas ligandi atque solvendi homines super terram, tanquam non possit solvere & ligare sub terra sepultos* = Nihil ergo obstat, quod Indulgentia pro Defunctis concessa habeat rationem absolutionis.

Resp. Christum dedisse suo in terris Vicario omnem Potestatis plenitudinem, ad sublevandum Fideles tam vivos quam Defunctos ab onere solvendi pœnam temporalem peccatis debitam, juxta tamen eorum capacitatem; quapropter quia viventes gaudent subjectione ad Claves Ecclesiæ, non vero Defuncti, idcirco his nequit Indulgentia concedi per modum absolutionis. Alias illud inconveniens evitari non posset, quod quis a Judice non suo absolutionem reciperet. Nec jurisdictio supra Defunctos suaderi potest ex citato Cap. *A Nobis*; quia duplici modo ferri potest Excommunicatio. 1.° directe & proprie, quendam bonis spiritualibus privando, ut tali pœna affectus a contumacia resipiscat: & hoc modo nequeunt puniri Defuncti: non ratione corporis, quia est quid inanimatum, proindeque incapax subjectionis ad Claves Ecclesiæ: non ratione animæ; est enim hæc pure spiritualis, & Ecclesiæ jurisdictio, quæ sensibilis est, circa sensibilia duntaxat versatur. Maxime quia, animæ Defunctorum, quæ vel in Purgatorio vel in Cœlo degunt, utrobique Deo intime unitæ per charitatem, nullam habent contumaciam pœna medicinali auferendam: vel in Inferno reperiuntur, & in hoc statu sunt omnino incapaces curationis & emendationis. 2.° ferri potest Excommunicatio indirecte & improprie, prohibendo ne subditi ad aliorum utilitatem impendant pietatis officia, aut cum eis communicent. Et de hac loquitur Innocentius III. in laudato *Cap.* cum dicit, Ecclesiam posse solvere sepultos, quia talem pœnam latam aufert: unde Bellarminus *Lib. 1. de Indulg.* merito dicit = *Excommunicatio, vel absolutio Defunctorum, est potius declaratio sententiæ, quæ ferenda fuisset, si meritum eorum non latuisset, quam nova aliqua pœna, quæ ad animas ipsas pertingat* = Nec verum est, laudatum Matthæi textum loqui de potestate concedendi Indulgentias pro Defunctis.

Replicabis. Si laudatus Matthæi textus non loquitur de Summi Pontificis potestate concedendi Indulgentias pro Defunctis, non poterit colligi ex Sacra Scriptura eam vere in Ecclesia reperiri.

Resp. aliud esse ibi non fieri sermonem de tali potestate, aliud esse quod ex ibi dictis ea potestas non colligatur; ex quo enim Petro ejusque Successoribus collata fuerit potestas remittendi viventibus peccata tum quoad culpam media Sacramentali absolutione, tum quoad pœnam per Indulgentias, jam elucet fundamentum sufficiens ad asserendum, Summum Pontificem posse Ecclesiæ Thesaurum dispensare Fidelibus; ex quo sequitur posse eundem spirituali adjutorio Defunctis subvenire, ut bene notavit Passerinus *qu. 115. n. 906.* his ver-

verbis = *Ad concedendum Indulgentiam per modum suffragii non requiritur specialis potestas, sed hæc venit per consequentiam ex potestate dandi Indulgentias per modum absolutionis. Nam cum ordo Divinæ Providentiæ velit, ut unus possit adjuvare alium per modum suffragii, concesso semel hoc alio, quod scilicet Pontifici data sit facultas dispensandi Thesaurum Ecclesiæ, consequitur ex connaturalitate talis facultatis, ut possit dispensare hunc Thesaurum, ad suffragandam & adjuvandum animas Purgatorii, quæ fide & charitate cum Ecclesia militante conjunctæ sunt. Et sic, ex quo ex eo loco Matth. 16. colligimus, quod Christus Petro concessit, ut dispensando Ecclesiæ Thesaurum possit vivos solvere judicialiter a pœna debita in Foro Dei, simul consequenter colligimus, quod possit pro Defunctis hoc facere per modum suffragii. Nam ut habet D.Thomas in 4. dist. 45. qu. 2. art. 3. qu. 2. Non est aliqua ratio, quare Ecclesia possit transferre merita communia, quibus Indulgentiæ innituntur, in vivos, & non in mortuos.*

Objicies 2.° Indulgentias elargiri Summum Pontificem per modum absolutionis, spectat ad jurisdictionem non contentiosam, sed voluntariam, quæ profecto etiam in Defunctos non subditos a Summo Pontifice potest exerceri; & duplici exemplo probatur. 1.° Episcopi conferentis beneficium Clerico non subdito. 2.° Exemplo Principis, qui in delinquentem, ob delictum in suo Territorio perpetratum, potest ferre sententiam, etsi ille alibi migraverit, vel infligendo, vel remittendo pœnam.

Resp. exempla adducta non probare, posse exerceri potestatem jurisdictionis supra Defunctos, elargiendo Indulgentias. Non primum, aliud enim est uti potestate jurisdictionis in beneficium collatum: aliud est uti jurisdictione in personam Clerici, cui fit collatio beneficii. Primum verum est; siquidem quælibet bonorum Ecclesiæ communium dispensatio, ex officio Prælatis conveniens, est actus jurisdictionis non supra personam, sed supra rem dispensatam. Sic pariter dubium non est, per concessionem Indulgentiæ jurisdictionem exerceri, non supra Defunctos (quod erat necessarium, ut eisdem per modum absolutionis Indulgentia prodesset) sed supra Thesaurum Ecclesiæ, ut tradit Cajetanus *lib. 1. tract. 16. quæst. 6.* his verbis = *Conceditur quod Papa non potest authoritative absolvere animas in Purgatorio, sed aliud est absolvere illas authoritative, & aliud est dispensare authoritative Thesaurum Ecclesiæ, ut per modum suffragii absolvantur illæ* = Nec secundum exemplum urget; quia quod delinquentes queant a Principe loci, ubi excessum perpetrarunt, etsi alibi migraverint, vel absolvi vel puniri, provenit ex eo, quod adhuc ad ejus forum pertineant. Cæterum detenti in Purgatorio non sunt amplius de foro Ecclesiæ, proindeque nec ab ea possunt a pœnis absolvi.

Quæres 1.° An requiratur causa legitima ad concessionem Indulgentiæ pro Defunctis per modum suffragii?

Respondemus affirmative = *Non tamen sequitur* (inquit D. Thomas in *supplem. 3. part. quæst. 71. art. 10. in corp.*) *quod Prælatus Ecclesiæ possit pro suo arbitrio animas a Purgatorio liberare: quia ad hoc ut Indulgentiæ valeant, requiritur causa conveniens Indulgentias faciendi* = Nemo tamen arbitretur pro causa legitima sufficere duntaxat Defunctorum utilitatem, cum ultra hanc alia particularis postuletur, quæ Dei honorem necnon Ecclesiæ utilitatem concernat, juxta dicta *Cap. 4. art. 1.* de Indulgentiis vivorum; & declarat Bellarminus his verbis = *Non sufficit pro causa utilitas illarum animarum, vel gloria Dei, quæ redundat ex animarum illarum liberatione; nam si ista sufficerent, Christus ipse pius ac misericors jam omnes animas liberasset* = Itaque requiritur causa aliqua particularis pertinens ad honorem Dei & Ecclesiæ utilitatem, imo proportionata: adeo ut Pontifex arbitretur, magis acceptam fore Deo rem illam, cujus gratia Indulgentiæ conceduntur, quam esset executio taxatæ pœnæ, quæ exerceretur in Purgatorio. Vide dicta in *cit. Cap. art. 2.*

Quæres 2.° An Indulgentiæ pro Defunctis concessæ illis prosint duntaxat, pro quibus acquiruntur, vel omnibus in Purgatorio existentibus?

Respondemus, quoad satisfactionem, & liberationem a pœnis illis solum prodesse, quibus applicantur ex viventium intentione:

ne : omnibus vero quoad gaudium accidentale. Prima pars responsionis patet ex Doctrina Augustini, qui *Lib.4. de Cura pro Mortuis* inter communia Ecclesiæ suffragia, & particularia destinguens, sentit, Ecclesiam suffragia quædam trasmittere ad animas Defunctorum, ut quibus desunt particularia, non desint aliqua a communi Matre, quæ est Ecclesia; adeoque particularia suffragia, inter quæ recensentur Indulgentiæ, quæ conceduntur applicandæ a viventibus pro Defunctis, solum illis prosunt, quibus applicantur. Secunda pars evincitur, ex quo in charitate constituti ita gaudent de bonis aliorum, ac si ea tanquam propria possiderent.

Nec objicias cum Præpositivo (cujus meminit D. Thomas in 4. *dist.* 45. *quæst.* 2. *art.* 4.) suffragium particulare comparatur lucernæ, quæ in Aula Regis accensa, nedum Regi, sed aliis ibi existentibus lucet, melius quidem vegetiores oculos habentibus: item libro, qui si coram Rege legeretur, nedum ab eo, sed a cæteris Regi adstantibus perciperetur. Non enim suffragia particularia assimilantur aut lucernæ aut libro, sed potius, ut notat Bellarminus *lib.* 1. *cap.* 14. summæ pecuniariæ, quæ ita ad liberandum ære alieno gravatum potest impendi, ut nequeat aliis Debitoribus applicari pro onere solvendæ pecuniæ.

Colliges 1.° ex dictis, Indulgentias vivorum, & Defunctorum in aliquibus convenire, in aliquibus vero differre. Conveniunt in causa, eo quod non diversa utrique præfigatur, ut tradit Suarius *disp.* 53. *sect.* 4. inquirens, quæ conditiones requirantur ad valorem Indulgentiæ pro Defunctis his verbis = *Ex parte finis certum est requiri piam ac rationabilem causam, de qua eadem est ratio in hac Indulgentia, & in ea quæ vivis conceditur* = In effectu earum non elucet diversitas, cum tam illæ quam istæ inferant exemtionem a pœna temporali; differunt tamen in modo illum causandi, eo quod Indulgentia viventium est actus jurisdictionis, quo Summus Pontifex ut Superior & Judex, Deo oblata proportionata satisfactione ex Ecclesiæ Thesauro, suos subditos a pœnæ temporalis reatu judicialiter absolvit: Indulgentia vero Defunctorum non est actus jurisdictionis supra Defunctos, sed supplicatio, qua Summus Pontifex, congruam ex eodem Thesauro satisfactionem offerens, Deum deprecatur pro eorum liberatione a pœna temporali subeunda; unde hæc bene potest definiri, quod sit = *Solutio æquivalentis ex Thesauro Ecclesiæ, & suffragium publicum, & supplicatio, qua Divina obsecratur majestas, ut acceptata solutione oblata meritorum Christi & Sanctorum, Defunctum liberare dignetur, vel in totum vel in partem.*

Colliges 2.° non posse Episcopos in suis Diœcesibus, aut Archiepiscopos in suis Provinciis respective, Indulgentias per modum suffragii Defunctis concedere, sed hujusmodi potestatem duntaxat Summi Pontificis dignitati reservari; quod ita tradit Lavorius *Par.* 2. *cap.* 11. = *Indulgentiæ in Defunctos dispensantur duplici ratione, per modum authoritatis, & per modum suffragii. Primo modo is solum authoritatem obtinebit, cujus est in Ecclesiastica Republica summa potestas, & cui animarum piorum gubernium committitur in Ecclesia militanti: secundo modo multo magis ad Pontificem solum, & non ad alium Episcopum dicta potestas referenda erit, cum Potestas dispensandi Ecclesiæ Thesaurum ad eum solum spectet, qui toti Christi Societati præsidet, quique summam habet in Ecclesia authoritatem, non item ad reliquos Pastores.*

Colliges 3.° non posse viventes quascunque Indulgentias Pontificias pro Defunctis lucrari, quanquam opera in forma concessionis earundem accurate peragerent: sed eas duntaxat, in quibus facultas applicandi Defunctis a concedente specialiter exprimitur; quia sicut Indulgentiæ tantum valent quantum sonant, ita illis tantum prosunt, quos concedens vult hujusmodi Ecclesiastico subsidio a pœnis temporalibus sublevari. Quod docuit D. Thomas in 4. *dist.* 20. *quæst.* 1. *art.* 5. *quæstiunc.* 3. = *Opus proprium*, inquit, *potest quis applicare per intentionem cuicunque voluerit; & ideo potest, pro quocunque vult, satisfacere: sed Indulgentia non potest applicari ad aliquem, nisi ex intentione ejus qui dat Indulgentiam; & ideo cum ipse applicet ad facientem, vel dantem, hic autem illud non potest, ille qui facit, ad alterum hanc intentione m transferre non potest.*

At inquies: Ad intelligendum Pontificiam Indulgentiam esse Defunctis applicabilem, citra apertam dictæ facultatis expressionem, sufficit Indulgentiam generaliter concedi cunctis Fidelibus: nihilque ad ejus effectum exigi, quod nequeat in Defunctis reperiri.

Respondetur cum Suario *disp. 53. sect. 1. nu. 7.* = *Juxta communem Ecclesiæ usum id satis non esse; etenim ob hanc causam, quoties Indulgentiæ ad mortuos extenduntur, expresse dicitur Fidelibus vivis & Defunctis. Nam Fidelium nomine, si nihil aliud explicetur, tantum viventes comprehenduntur, vel quia illi tantum simpliciter sunt in statu viatorum, vel quia illi soli subjiciuntur Clavibus Ecclesiæ.*

ARTICULUS IV.

Quid sit facultas concessa Viventibus applicandi Indulgentias Defunctis ad modum suffragii?

CUM non raro in Literis Apostolicis Indulgentiæ Defunctorum sub hac forma concedantur = *Omnibus utriusque sexus Fidelibus vere Pœnitentibus, & Confessis* &c. *qui* &c. *Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam & remissionem, quam & animabus Christifidelium, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicare possint* &c. declarandum est: quid sit hæc facultas viventibus concessa a Sede Apostolica.

Primus dicendi modus est, Summum Pontificem viventi subdito concedere, ut posita executione certi operis, queat ab Ecclesiæ Thesauro talem portionem applicare Defuncto: ita ut hæc facultas viventi communicetur in præstiti operis remunerationem, & præmium.

Displicet tamen hæc explicatio facultatis applicandi Indulgentiam Defunctis per modum suffragii, quia tribueretur Christifidelibus utriusque sexus Clavium potestas; applicare enim portionem ex Ecclesiæ Thesauro, est Christi Sanctorumque satisfactiones exhibere; quod sane nequit intelligi sine Clavium communicatione. Quare licet verum sit, pro injuncti operis remuneratione a pœna Defunctos sublevari: secus vero communicari Christifidelibus utriusque sexus facultatem communicandi Defunctis partem Ecclesiastici Thesauri.

Secundus dicendi modus est, Summum Pontificem directe & immediate viventibus Indulgentiam impertiri: ita ut hæc ex Ecclesiæ Thesauro illis collata se habeat tanquam propria viventium satisfactio, quæ deinde pro Defunctis offeratur: eo pari modo quo Gubernator Romanus, si Horreum a Principe dispensandum obtineret pro Civium Romanorum utilitate, adhuc posset tritici dispensatione Alienigenis indirecte subvenire: dando Civi Romano congruam ejusdem tritici portionem, cum facultate, ut eam dictus Civis ad Alienigenæ subsidium impendere posset.

Sed neque hæc explicatio placet, tum quia vitari non posset inconveniens supra ponderatum; tum quia si satisfactio Indulgentiarum virtute comparata fieret propria viventis, jam ibi suum assequeretur remissionis effectum, nihilque remaneret applicandum Defuncto, ut observat P. Suarius *Disp. 53. sect. 3. n. 10.* = *Satisfactio*, ait, *quæ in Thesauro Ecclesiæ, & communis dici potest, non fit propria alicujus quoad dominium, ut sic dicam vel usum, ut scilicet possit qui voluerit illam applicare, quia hoc semper spectat ad potestatem Clavium. Solum ergo dicitur appropriari alicui quoad effectum & acceptationem Dei remittentis alicui tantam pœnam, propter tantam satisfactionem. Igitur quando aliquis lucratur alteri Indulgentiam, non prius sibi appropriat partem satisfactionis; alias statim consequeretur effectum ejus, & jam non posset illam applicare alteri. Nam ut recte notavit Adrianus concl. 5. de Indulgentiis, nemo potest applicare alteri Indulgentiam, quam semel sibi aquisivit, quia jam illa Indulgentia habuit suum effectum, & postea non potest, aut simul remittere reatum alterius; sic enim duplicatum haberet effectum, aut remissionem uni factam ita in alium transferret, ut prior reatus redeat in altero, quia reatus pœnæ non potest redire nisi redeat culpa.*

Ter-

Tertius dicendi modus, quem sequitur Lugo *Disp. 27. sect. 5. n. 79.* talem exponit facultatem, per hoc quod ex Ecclesiæ Thesauro pia opera in Indulgentiarum concessionibus viventibus injuncta eleventur, ut nedum sint ex opere operantis satisfactoria, sed etiam ex opere operato: atque ultra cond ignum majorem obtineant effectum eo, quem haberent, si injuncta non essent: supplendo ex dicto Ecclesiæ Thesauro, quod deest in nostra satisfactione condignitatis, ut in Sacramentali satisfactione contingit. Itaque Summus Pontifex duplici modo Ecclesiæ Thesaurum dispensat, vel accipiendo Christi Sanctorumque pro viventibus satisfactiones: vel elevando opus injunctum, pro Indulgentiis acquirendis, a viventibus peragendum, ut possit satisfactionis effectum ultra condignum habere. Ex quo vitatur inconveniens secundi modi dicendi; utens enim facultate applicandi Indulgentias Defunctis, minime earum fructum sibi retineret, nec Pontifex opus injunctum ad uberiorem illum satisfactionis effectum elevaret, nisi offerretur pro Defunctis.

Sed neque huic modo dicendi subscribimus, quia non adest ratio, hanc elevationem injuncti operis suadens; eodem enim modo opus injunctum exigitur, sive pro viventibus sive pro Defunctis Indulgentiæ effectus comparetur: nempe ut complens, vel constituens causam piam. Certum autem est, citra quamlibet injuncti operis elevationem (ut fatetur Lugo prælaudatus) Indulgentiam viventibus prodesse. Quod sane evincit, non recte explicari facultatem applicandi Indulgentiam Defunctis per operis injuncti elevationem. Neque exemplum satisfactionis Sacramentalis hic convenienter aptatur; Sacramentum enim Pœnitentiæ,cum sit Divinæ virtutis instrumentum, nequit circumscripta elevatione, in gratiam sanctificantem influere: opus vero injunctum pro Indulgentia non est, aut Divinæ virtutis, aut Pontificiæ Jurisdictionis instrumentum, in ordine ad condonationem pœnæ temporalis Defunctorum aut vivorum.

Tribus ergo dicendi modis rejectis, asserimus: facultatem concessam viventibus applicandi Indulgentias Defunctis per modum suffragii in eo consistere, quod Summus Pontifex hujusmodi Indulgentiam concedens, animabus in Purgatorio existentibus suffragetur, ubi viventes, illis designatis, ad talem finem opera in Literis Apostolicis injuncta expleverint. Hoc enim modo dicendi admisso, recte intelligitur, quomodo duo spectent ad viventes, videlicet opus injunctum exequi, necnon animas sublevandas per hujusmodi Indulgentias designare: & alterum ad Summum Pontificem, nempe offerre ex Ecclesiæ Thesauro Christi & Sanctorum satisfactiones, deprecando Divinam Clementiam, ut animæ Defunctorum remissionem obtineant a pœna temporali, quam patiuntur in Purgatorio; quamobrem admittere non cogimur, viventibus facultatem conferri ad applicandam portionem Thesauri Ecclesiæ Defunctis, aut elevationem in operibus injunctis; quæ diximus esse inconvenientia.

ARTICULUS V.

An Indulgentiæ applicatæ Defunctis habeant effectum infallibilem?

SOTUS *dist. 21. quæst. 2. art. 3.* Suarius *Disp. 53. sect. 3. n. 3.* aliique plurimi Authores docent, Indulgentias concessas Defunctis per modum suffragii certo & infallibiliter suum effectum obtinere.

Nostra tamen Conclusio sit: Indulgentiæ per modum suffragii Defunctis applicatæ non prosunt illis infallibiliter.

Prob. 1.° Liberatio Defunctorum a pœna temporali facta intuitu Indulgentiæ per modum suffragii, non provenit ex justitia, sed est misericordiæ Divinæque liberalitatis effectus; fit enim per modum retributionis, quæ nisi pacto firmetur, non est actus justitiæ legalis = *Dicendum* (inquit D. Thomas 2. 2. *quæst.* 106. *art.* 7.° *ad secundum*) *quod retributio proportionalis pertinet ad justitiam commutativam, quando attenditur secundum debitum legale, puta si pacto firmetur, ut tantum pro tanto retribuatur; sed ad virtutem gratiæ sive gratitudinis retributio pertinet, quæ fit ex debito honestatis* = Nullum ve-

vero pactum datur, aut promissio Dei acceptandi satisfactiones Christi & Sanctorum pro Defunctis oblatas; nullibi enim ex Sacra Scriptura, aut traditione constat Deum ad hoc se obligasse. Ergo Indulgentiæ per modum suffragii Defunctis applicatæ illis non prosunt infallibiliter.

Prob. 2.° Hoc discrimen inter Indulgentiam vivorum, & Indulgentiam Defunctorum versatur, quod prima concedatur a Summo Pontifice vel aliis Prælatis, per modum absolutionis judiciariæ, nondum prolata ultima æterni Judicis sententia; adeoque sicut de absolutione legitimi Sacerdotis a culpa, quod sit infallibilis, non ambigitur, suppositis dispositionibus cæterisque necessario requisitis ex parte pœnitentis: ita nec de absolutione a pœna temporali, quæ datur per Indulgentiam vivorum. Alias promissio facta Petro ejusque Successoribus, Matthæi 16. nutaret = *Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis* =. Secunda vero Indulgentia, cum sit solum per modum applicationis seu dispensationis Thesauri Ecclesiæ, & alienæ satisfactionis oblatæ pro Defunctis, ad subeundam pœnam temporalem, definitiva Dei sententia damnatis, atque extra Ecclesiæ jurisdictionem constitutis, a Dei Judicis arbitrio dependet, illam vel rejicere vel admittere. Ergo Indulgentiæ per modum suffragii Defunctis applicatæ non prosunt illis infallibiliter.

Dices. Leo X. in Literis Decretalibus ad Cardinalem Cajetanum, ubi habetur: Summum Pontificem per Clavium potestatem Indulgentias elargiri viventibus per modum absolutionis, Defunctis vero per modum suffragii: indistincte, eodemque verborum tenore asserit, utranque dispensationem suum consequi effectum ac proinde infallibiliter = *Omnes tam vivos quam Defunctos, qui veraciter omnes Indulgentias hujusmodi consecuti fuerint, a tanta temporali pœna secundum Divinam Justitiam pro peccatis suis actualibus debita liberari, quanta concessæ & acquisitæ Indulgentiæ æquivalet*.

Resp. ex laudatis Leonis X. Literis solum haberi, tam vivos quam Defunctos, ob Indulgentiam comparatam, a pœna liberari, quæ Indulgentiæ concessæ æquivaleat. Cæterum an semper, & ex lege, sicut suppositis requisitis & dispositionibus in viventibus, ita & in Defunctis, eodem vel diverso modo habeatur effectus, non decernitur aut declaratur, sed Doctoribus relinquitur disputandum.

Objicies. Conclusio non videtur conformis menti D.Thomæ, qui in *suppl.3.p.q.71. art.10.* adstruens, Indulgentiis posse juvari Defunctos: necnon objiciens sibi ab Adversariis propositum inconveniens, quod illis posset totum Purgatorium evacuari, non recurrit ad fallibilitatem effectus hujusmodi Indulgentiarum, ut argumentum dissolvat, sed ad causæ justæ defectum pro generali Defunctorum liberatione = *Nec tamen sequitur* = (Verba sunt S. Doctoris loco citato) *quod Prælatus Ecclesiæ possit pro suo arbitrio animas a Purgatorio liberare, quia ad hoc quod Indulgentia valeat, requiritur causa conveniens Indulgentias concedendi* = admissa autem fallibilitate effectus Indulgentiarum per modum suffragii, opus non esset hanc solutionem adhiberi, sed facilius difficultati posset occurri, dicendo, eam generalem liberationem non posse contingere; quanquam enim generales & uberrimæ fierent pro Defunctis Indulgentiarum concessiones, non semper prodessent, cum Deus eas ex justitia acceptare non teneatur.

Resp. D. Thomam eam solutionem (quæ relata est) adhibuisse, non quia oppositam nostræ Conclusioni sententiam admiserit, sed quia ad valorem Indulgentiarum pro Defunctis vindicandum, non cogebatur doctrinam inter Doctores agitatam adhibere; idcirco solutionem tradidit communi Doctorum calculo comprobatam, de justæ causæ defectu, pro liberatione cunctarum animarum luentium pœnas in Purgatorio.

AR-

ARTICULUS VI.

An possit concedi Indulgentia ad modum suffragii Defunctis immediate, seu non medio alicujus viventis opere vel applicatione?

CErtum est communiter non fieri Indulgentiarum concessionem per modum suffragii directe, sed indirecte media viventium applicatione; regulariter enim Sedes Apostolica aperit pro Defunctis Ecclesiæ Thesaurum adjecto onere quorundam pietatis operum a viventibus implendorum. Quod difficultate non vacat est: an hujusmodi applicationis, operisque implendi a viventibus tanta sit necessitas, ut nequeat alia ratione concedi Indulgentia Defunctis per modum suffragii?

Cardinalis Lugo *Disp. 27. de Pœnit. nu. 62.* docet, Summum Pontificem non posse directe & immediate Defunctis Indulgentiam impertiri.

Sed Conclusio nostra sit. Potest concedi Indulgentia Defunctis circa viventis opus vel applicationem.

Prob. Opera injuncta pro hac Indulgentia non exiguntur, ut elevata reddantur satisfactoria ex opere operato (ut dictum est supra *Art. 4.°*) Neque ut sint satisfactoria ex opere operantis pro Defunctis; quanquam enim fierent a viventibus in statu peccati lethalis, adhuc apta essent, ut spirituale Indulgentiæ subsidium ad Defunctos deferretur: cum juxta dicendã *Artic. 8.* solum se habeant ut meræ conditiones, ex voluntate concedentis Indulgentias, requisitæ, ad earum effectum obtinendum. Quemadmodum ergo Summus Pontifex potest viventibus ex justa & rationabili causa Indulgentiam concedere, & nullum opus injungere; nihil enim est in Urbe usitatius (ut verbis utar Lugonis) quam personis de Romana Ecclesia benemeritis Indulgentiam tribui in articulo mortis, quin ullum opus implendum exigatur: ita fieri potest cum Defunctis in concessione Indulgentiæ per modum suffragii.

Dices. Leo X. in sæpe citatis Literis decernit, Indulgentiam per modum suffragii ad Defunctos transferri = *Per modum suffragii illam transferendo* = quod certe aliud non exprimit, quam mediis viventibus eorumque operibus eam Indulgentiam comparari. Quod etiam innuit D. Thomas in *4. dist. 45. qu. 2. art. 3.° quæstiunc. 2.* docens, Indulgentiam quidem pro Defunctis, non directe & principaliter, sed duntaxat secundario & indirecte concedi.

Resp. verbum illud *transferre* in Literis Decretalibus Leonis X. non poni, ad declarandam necessitatem operum Christifidelium pro hujusmodi Indulgentia comparanda, sed ut innuatur, hanc distingui ab altera, quæ per modum absolutionis conceditur. Nec D. Thomas docet oppositum nostræ Conclusioni; loquitur enim ibi non de eo quod potest fieri, sed de eo quod fieri usus obtinuit.

ARTICULUS VII.

An aliquæ Indulgentiæ concedantur pro vivis, quæ tantum valeant ad modum suffragii?

ECclesiam posse etiam vivis Indulgentiam concedere per modum suffragii, docet Suarius *Disp. 53. sect. 3. num. 7. ex D. Thoma = Ex ejus doctrina* (nempe Angelici Præceptoris, inquit) *colligo, Indulgentiam per modum suffragii non esse propriam Defunctorum, sed posse etiam habere locum in viventibus: differentiamque esse, quod in animabus Defunctorum sola Indulgentia per modum suffragii locum habet, in viventibus autem utraque* = unde non immerito in hoc omnes Doctores conveniunt.

An vero aliqua Indulgentia duntaxat per modum suffragii pro vivis concedatur? examini committitur. Arbitratur Gabriel in *Addit. ad 57. section.* quod quando Sedes Apostolica Indulgentiam elargitur omnibus contra Infideles pugnantibus, vel milites contra eos pugnaturos mittentibus, pugnantes quidem illam assequi per modum absolutionis, mittentes verò pugnaturos per modum suffragii.

Conclusio. Nulla de facto conceditur In-

Indulgentia pro vivis, quæ eis solum valeat per modum suffragii. Ita Passerinus *Quæst. 96. nu. 917.* aliique Doctores.

Prob. Quælibet Indulgentiæ concessio facta pro viventibus importat dispensationem Thesauri Ecclesiæ subditis applicatam; hæc autem indispensabiliter cum absolutione connectitur. Non enim exequens opus injunctum, ut amicus Indulgentias acquirat, applicat satisfactiones Christi & Sanctorum, sed Summus Pontifex, qui Indulgentiam concedit viventibus, tam immediate, quam mediate, eadem potestate eorundemque verborum tenore, ac per consequens sub eadem inspectione, quod subditi sunt. Unde Suarius *sectione supracitata num.* 10. inquit = *Qui Indulgentiam pro alio lucratur, non concedit illi Indulgentiam, sed Papa est qui concedit ad applicationem alterius: sed ille cui conceditur est subditus Papæ. Ergo potest illam concedere per modum absolutionis, quia licet quoad conditiones requisitas, quæ antecedunt Indulgentiam & effectum ejus, videatur talis Indulgentia indirecte & per alium concedi, tamen quoad ipsam Indulgentiam & effectum ejus immediate conceditur a Pontifice ei, qui ipsam lucratur. Ergo si ille est subditus, erit per modum absolutionis, quia Pontifex intendit tota sua potestate operari in talem effectum. Accedit, quod Pontifices in concedendis Indulgentiis nunquam addunt illam restrictionem per modum suffrogii, nisi respectu Defunctorum* = Ergo nulla de facto conceditur Indulgentia pro vivis, quæ eis solum valeat per modum suffragii.

Dices. D.Thomas *dist.45. quæst. 2. artic.3. quæstiune.* 2. inquit = *Si Indulgentia sub hac forma fiat: Quicunque fecerit hoc vel illud, ipse & pater ejus, vel quicunque ei adjunctus in Purgatorio detentus, tantum de Indulgentia habebit, talis Indulgentia non solum vivo, sed etiam mortuo proderit* = Atqui mortuo proderit solum per modum suffragii. Ergo & vivo similiter.

Resp. D. Thomam loco citato, post explicatum modum acquirendi Indulgentiarum beneficium principaliter seu directe, alium modum exponere acquirendi Indulgentias indirecte & secundario, consistentem in eo, quod mediante opere injuncto ab uno impleto, alius fructus hujusmodi concessionis assequatur: idque quandoque locum habere in viventibus, quandoque in Defunctis. Cæterum per hoc quod Indulgentia a viventibus & Defunctis percipiatur, solum inferri potest ab utrisque hoc modo, per distributionem accomodam acquiri; adeoque cum viventes subditi sint Prælati concedentis Indulgentias, non vero Defuncti, sequitur ab illis per modum absolutionis, ab his per modum suffragii comparari.

Quæres. An Summo Pontifice concedente alicui, ut Indulgentiam pro alio comparare possit, dando ei facultatem applicandi Ecclesiæ Thesaurum: an inquam in hoc casu, is cui fieret talis applicatio, Indulgentiam vel per modum suffragii, vel per modum absolutionis obtineret?

Respondemus, vel Summus Pontifex delegaret alicui potestatem jurisdictionis supra viventes, quos proinde subditos constitueret habentis talem potestatem delegatam applicandi Ecclesiæ Thesaurum: & in tali casu Indulgentia acquisita esset per modum absolutionis. Si vero eam potestatem non conferret supra viventes, sed duntaxat meram facultatem dispensandi Ecclesiæ Thesaurum: eo modo quo ipse potest immediate ad Defunctorum levamen Indulgentiam dare, ut mox dictum est: & in hoc casu viventes eam lucrarentur aliis per modum suffragii. Qui tamen modus delegationis, ut dicit Suarius, non est in usu; quoties enim Summus Pontifex facultatem tribuit applicandi Ecclesiæ Thesaurum pro viventibus, eam simpliciter concedit, juxta capacitatem & statum eorum: adeoque subditos quosdam constituit Delegati, ut possint absolvi a pœna temporali.

AR-

ARTICULUS VIII.

De iis, quæ requiruntur tum ex parte Viventium tum ex parte Defunctorum, ut acquirantur Indulgentiæ ad modum Suffragii pro Defunctis.

Citra dubium est, viventes teneri implere opera injuncta; alias Defuncti Indulgentias, sub illis oneribus concessas per modum suffragii minime perciperent. Quæ quidem opera debent fieri ex fine earundem: ac insuper, non debent esse vel ex objecto mala, vel ex fine vel ex aliis circunstantiis, sicut pro acquirendis vivorum Indulgentiis diximus supra *Cap.* x. *artic.* 4. *&* 5. Verum ut nonnullas solvamus difficultates, quæ de requisitis tum ex parte viventium, tum ex parte Defunctorum de Indulgentiis per modum suffragii possunt excitari

Quæres 1.° An opera injuncta ad comparandas Indulgentias per modum suffragii pro Defunctis fieri debeant in statu gratiæ?

Respondemus negative per se loquendo, & nisi oppositum de opere aliquo injuncto ex mente concedentis Indulgentias constaret. Ita Navarrus *de Jubil. not.*22. *num.* 30. *&* 31. Suarius *disp.* 52. *sect.* 4. *nu.* 6. Coninckus *disp.*12. *dub.* 6. Cardinalis de Lugo *Disp.* 27. *num.* 75. aliique apud Passerinum *quæst.* 29. *num.* 924. Ratio est, quia opera injuncta non requiruntur tanquam opera meritoria vitæ æternæ, sed prout pia, seu prout spectant ad Dei cultum, ut iis mediantibus justa causa concessionis earundem, aut constituatur aut compleatur: imo quanquam vacans operibus injunctis, ut pro se Indulgentiam lucretur, debeat esse in statu gratiæ in ultimo operis injuncti complemento, dum Indulgentia consummatur (idque ob effectum formalem Indulgentiæ nullo modo comparandum, adhuc in eo manente culpa lethali) tamen in acquirenda Indulgentia pro Defunctis, neque hoc ipsum requiritur, cum nihil in Defunctis reperiri possit lethalis culpæ, quod remissioni pœnæ temporalis obsistat. Diximus per se loquendo, nisi oppositum de opere aliquo injuncto ex mente concedentis constaret juxta dicta *cap.*8.° *artic.* 1.°

Ex quo colliges, nullam dari necessitatem applicandi opera injuncta pro Defunctis, ut Indulgentia hujusmodi eis prosit (nisi aliud in Literis Apostolicis declararetur) quia opera injuncta non exiguntur a concedente Indulgentias per modum suffragii pro Defunctis, prout sunt satisfactoria. Maxime quia hæc Indulgentia acquisita non habet vim suam ab operibus injunctis, sed a meritis Christi & Sanctorum. Diximus, nisi aliud in Literis Apostolicis declararetur, quia ut dicemus in 2.ª *p. cap.* 1. *dub.* 1. de Altaribus Privilegiatis, ut Sacerdotes ad Altare Privilegiatum celebrantes lucrentur Indulgentiam per modum suffragii pro Defunctis, debent Missæ sacrificium eisdem applicare.

Quæres 2.° An defectus characteris baptismalis in Catechumenis defunctis officiat, quominus ipsi Indulgentiis per modum suffragii potiri & gaudere possint?

Defunctorum animas necessario debere esse charactere baptismali insignitas ad Indulgentiarum fructum per modum suffragii percipiendum, docuerunt Augustinus de Ancona *Lib. de Potest. Eccles.* Suarius *Disput.* 48. *sect.* 6. *num.* 8. aliique Authores.

Nos tamen respondemus: defectum characteris baptismalis non obstare, quominus animæ Purgatorii fruantur Indulgentiis per modum suffragii. Unio siquidem charitatis cum viventibus non similitudo characteris est ratio, quare viventes possint Defunctos suffragiis adjuvare, ac possit Summus Pontifex Christi Sanctorumque satisfactiones in Ecclesiæ Thesauro servatas eisdem mediis Indulgentiarum concessionibus communicare. Ergo cum in Catechumenis defunctis, qui in statu gratiæ ex humanis decesserunt, unio charitatis cum Fidelibus viventibus perseveret, dicendum est, defectum characteris non obstare, quominus ipsi fruantur Indulgentiis per modum suffragii.

Objicies. Eadem est ratio de Indulgentia per modum suffragii, ac de Eucharistia per modum sacrificii; utriusque enim effectus est ex opere operato. Missæ autem sacrificium nequit Catechumenis defun-

ctis prodesse ad remissionem pœnæ temporalis = *Non temere ab Apostolis* (inquit Author *Homiliar. ad Pop. Antioch. Homil.* 69. sub nomine S. Joannis Chrysostomi) *hæc sancita fuerunt, ut in tremendis mysteriis Defunctorum agatur commemoratio. Sciunt enim illis inde multum contingere lucrum, utilitatem multam. Cum enim totus constiterit populus extensis manibus, Sacerdotalis plenitudo, & tremendum proponatur sacrificium, quomodo Deum non exorabimus pro his deprecantes? Sed hoc quidem de his, qui cum fide migrarunt. Catechumeni vero nec hac digni consolatione censentur, sed omni sunt tali suffragio privati, præter unum solum. Quod autem illud? Dare licet pro eis pauperibus, & ex hoc aliquid eis præstare refrigerationis* = Idem testatur D. Augustinus *Lib.* 1. *de Anima & eius Orig.* impugnans Vincentium Pelagianum asserentem, oblationes necnon Sacrificia pro parvulis sine Baptismo decedentibus offerri posse = *Ecce aliud*, ait, *unde nunquam exiturus est, nisi eum dixisse pæniteat; quis enim offerat Christi Corpus, nisi pro eis, qui sunt membra Christi?* = Pergit vero S. Doctor explicando, qui sint membra Christi = *Ex quo autem ab illo dictum est: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest intrare in Regnum Dei: & in alio loco: Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. Nemo fit membrum Christi, nisi aut Baptismate in Christo aut morte pro Christo* = Rursus in Concilio Bracarensi 1. *Can.* 17. decernitur = *Ut Catechumenis sine redemtione Baptismatis defunctis, nec Oblationis Sanctæ commemoratio, nec psallendi impendatur officium.*

Resp. falsum esse Missæ Sacrificium quantum ad fructum satisfactionis non posse pro Catechumenis defunctis offerri; Ecclesia siquidem Catholica, ut notant Franciscus de Lugo *lib.* 5. *Cap.* 4. *quæst.* 6. & Scortia *lib.* 12. *cap.* 2. indiscriminatim, ac citra limitationem de facto offert Sacrificium pro cunctis animabus in Purgatorio detentis. Fatemur, olim a Patribus morem fuisse servatum, excludendi Catechumenos tam viventes quam defunctos a Sacrificii Altaris applicatione, necnon a communibus suffragiis: quamvis orationem publicam pro Catechumenis viventibus in die Parasceves adhibuerit, nec non in Missa, quæ Catechumenorum dicebatur, dum isti ad futurum Baptisma parabantur; ut habetur in Lib. inscripto *Ordo Romanus*, in quo statuitur sequens oratio infra Canonem recitanda = *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ sed & cunctæ familiæ tuæ, quæsumus Domine, ut placatus accipias, quam tibi offerimus pro famulis & famulabus tuis, quos ad æternam vitam, & beatum gratiæ donum eligere atque vocare dignatus es* = Hujus Missæ meminerunt Concilium Carthaginense IV. relatum in *Cap. Episcopus de Consecrat.* Concilium Illerdense relatum in *Cap. De his* 35. *quæst.* 2. Ratio autem quare, his casibus duntaxat exceptis, Ecclesia disposuerit excludere Catechumenos tam viventes quam defunctos tum a Sacrificiis, tum a communibus suffragiis, tradunt PP. Salmanticenses Scholastici in *Tract.* 23. *de Sacr. Euch. disp.* 13. *dub.* 3. *num.* 60. nimirum ut majorem amorem & curam erga propria membra, nempe Fideles baptizatos, & ad se per legitimam Baptismatis januam ingressos, ostenderet: & hac via eos ad Baptisma quantocyus suscipiendum alliceret. Verum quantum ad Catechumenos defunctos, tam antiquæ consuetudini, quam Concilii primi Bracarensis Decreto derogatum est; etenim ut habetur in *Cap. Apostolic. de Presbyt. non baptiz.*, de Catechumeno qui ex hac luce migraverat, monuit Innocentius III. Episcopum Cremonensem, ut ejus animæ Missarum Sacrificiis, atque communibus precibus suffragaretur = *Sopitis igitur* (sunt verba relata in Capite laudato) *quæstionibus Doctorum, Patrum sententiam teneas, & in Ecclesia tua juges preces hostiasque Deo offerri jubeas pro Presbytero memorato.*

Dices. Summus Pontifex, ut dictum est *Cap.* 7. *art.* 2., nequit Catechumenis viventibus Indulgentiam per modum absolutionis impertiri. Cur ergo poterit Indulgentiam illis defunctis concedere?

Resp. latum versari discrimen inter Indulgentiam per modum absolutionis, & Indulgentiam per modum suffragii, quod prima sit exercitium potestatis jurisdictionis supra personas: secunda vero sit dun-

duntaxat actus jurisdictionis supra Ecclesiæ Thesaurum; quapropter cum Catechumeni viventes Ecclesiasticæ jurisdictioni non subdantur, nequeunt beneficium absolutionis a pœna temporali recipere: Defuncti vero ob unionem charitatis cum cæteris Christifidelibus capaces sunt cujuscunque solutionis factæ ex Ecclesiæ Thesauro, ac proinde Indulgentiæ per modum suffragii.

Quæres 3.° An ut Defuncti percipiant fructum Indulgentiarum per modum suffragii, prærequiratur in eis meritum aliquod de congruo, quo viventes meruerint hujusmodi Indulgentiam sibi prodesse post mortem?

Respondet Cajetanus affirmative = *Videtur* (inquit *in Tract.* 16. *q.* 5.ª) *quod Ecclesiæ suffragia saltem specialia, & similiter Indulgentiæ illis solis Defunctis prosint, qui in hac vita meruerunt, ut in Purgatorio hæc illis prodessent. Et quoniam fructus, quem ex suffragiis animæ percipiunt, ad præmium accidentale spectat, cum sit pœnæ temporalis remissio, consequens est, quod non ad essentiale, sed accidentale meritum pertineat, mereri in hac vita, ut suffragia prosint in alia vita. Et si his adjunxeris, quod hujusmodi accidentalia merita non sint in omnibus in gratia decedentibus, perspicuum erit, quod non omnibus in Purgatorio Indulgentiæ, & alia specialia suffragia prosunt, quia non omnes meruerunt, ut hæc illis possent prodesse; quia hoc spectat ad meritum essentiale. Videntur autem ad accidentalia spectare devotio magna ad Claves Ecclesiæ Indulgentiæ donativas, misericordia, sollicitudo ad satisfaciendum pro peccatis, studium ad suffragandum pro Defunctis, & similia . . . . . Dicendum ergo videtur, quod omnes, qui in Purgatorio sunt, possunt Ecclesiæ suffragiis & Indulgentiis juvari; sed de facto specialibus suffragiis & Indulgentiis non omnes juvantur, sed illi soli, qui hic meruerunt, ut illic juvarentur.*

Nos vero respondemus cum Suario *disp.*54. *nu.*9. Conincko *disp.* 12. *dub.* 2. Palao in *tract.*24. *punct.* 10. *num.* 11. Passerino *Quæst.*121. *num.*929. aliisque negative. Satisfaciendi siquidem studium non requiritur necessario, ut Christifideles fruantur Indulgentiis sibi concessis ad modum absolutionis; ut ostensum est supra *Cap.*8. *art.* 3. Igitur, nec illud exigi debet, ut Defuncti gaudeant Indulgentiis aliisque suffragiis. Maxime quia, satisfaciendi studium aut pro se vel pro Defunctis, nec non peculiarem devotionem erga Claves Ecclesiæ Indulgentiarum donativas spectare ad meritum de congruo, ut percipiatur suffragiorum Ecclesiæ fructus, neque ex scriptura, neque ex traditione, neque ex Sanctis Patribus eruitur.

Dices. S. Augustinus in *Lib. de Cura pro Mortuis* perspicue declarat, Defunctos non adjuvari suffragiis, qui ante discessum ex humanis, ea sibi prodesse non meruerunt; quamobrem recitata Apostoli authoritate 2.ª *ad Corinth. cap.*5. *v.* 10. = *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum* = subdit = *Hæc quidem Apostolica sententia ante mortem admonet fieri, quod possit prodesse post mortem: non tunc, quando recipiendum est, quod quisque gesserit ante mortem. Verum hæc ita solvitur quæstio, quoniam quodam vitæ genere acquiritur, dum in hoc corpore vivitur, ut aliquid adjuvent ista Defunctos: ac per hoc secundum ea, quæ per corpus gesserunt, eis, quæ post corpus religiose pro illis facta fuerint, adjuvantur. Sunt enim, quos nihil omnino adjuvant ista: sive pro eis fiant, quorum tam mala sunt merita, ut neque talibus digni sint adjuvari: sive pro eis, quorum tam bona, ut talibus non indigeant adjumentis. Genere igitur vitæ, quod gessit quisque per corpus, efficitur, ut prosint vel non prosint, quæcunque pro illo pie fiunt, cum reliquerit corpus. Nam meritum, per quod per ista prosint, si nullum comparatum est in hac vita, frustra quæritur post hanc vitam.* = Idem sentit S. Thomas, ex D. Augustino docens 3.*par. quæst.*52. *art.* 8. *in respons. ad* 1.m in descensu Christi ad Inferos, exceptis iis, qui tempus purgationis impleverant, illos duntaxat fuisse liberatos, qui in humanis, speciali exercita devotione erga adventum Christi, ad cœlestem patriam

eo visitante transferri meruerunt, Itaque si Christus Pontifex futurorum, illis duntaxat Purgatorii poenam ad Inferos descendens remisit, qui id, singulari fide & devotione ad mortem ejus futuram, meruerunt: existimandum non est, Indulgentias Defunctis, in Purgatorio ad poenæ temporalis relaxationem prodesse, nisi illis, qui fide & devotione ad Indulgentias, sollicitudine satisfaciendi pro peccatis atque studio Defunctis ferendi suffragia, in hac vita id promeruerunt.

Resp. D. Augustinum ibi velle, meritum aliquod in hac vita præmittere debuisse Christifideles, ut postea defuncti in futura fructum ex alienis suffragiis percipiant. Sed hujusmodi meritum nequaquam est illud accidentale, quod exponere nititur Cajetanus, sed potius aliud, & quidem essentiale, commune omnibus adultis, qui in statu gratiæ & charitatis ex hac luce migraverunt. Et quod alia non sit mens Sancti Doctoris prælaudati, apertissime patet: cum a suffragiorum Ecclesiæ participatione eos duntaxat excludat, qui, vel intuitu sanctitatis vitæ peractæ alieno non indigent adjutorio: vel ob mala demerita non se dignos ad eam obtinendam reddiderunt. Nequit autem dici, Defunctos illos, qui in gratia & charitate decesserunt, & cum cæteris Justis viventibus vinculo charitatis uniti sunt, eos esse, qui ob mala demerita se indignos exhibuerunt, ut ex Ecclesiæ suffragiis levamen a Purgatorii poenis reciperent. Itaque Augustinus, in recitata authoritate ab adversario, loquitur de obeuntibus in peccato lethali (quos certum est mala merita habere, ad assequendum fructum suffragiorum) Favet nostræ interpretationi, id quod tradit idem Sanctus Doctor in *Enchyrid. ad Laurent.*, ubi ex eodem textu citato Apostoli 2. *ad Corinth.*, in anteactæ vitæ diversitatem referendum esse docet, quod suffragia aliis prosint, aliis non, videlicet valde malis = *Etiam hoc meritum*, inquit, *sibi quisque, cum in corpore viveret, comparavit, ut ei possent illa prodesse. Non enim omnibus prosunt. Et quare non omnibus prosunt, nisi propter differentiam vitæ, quam quisque gessit in corpore? Cum ergo Sacrificia sive Altaris, sive quaruncunque eleemosynarum pro baptizatis Defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis, gratiarum actiones sunt, pro non valde malis propitiationes sunt: pro valde malis, etsi nulla sint adjumenta mortuorum, qualescunque vivorum consolationes sunt* = Porro non valde mali ii sunt, qui mortalis vitæ cursu in gratia & charitate feliciter consummato, in Purgatorio ad leviores culpas abluendas, vel ad quascunque poenas subeundas detinentur. Non ergo meritum illud in supracitata D. Augustini Authoritate ponderatum, ut suffragia Defunctis prosint, est illud accidentale. Alias plurimos, præter valde malos a participatione suffragiorum ibi excluderet Augustinus, sed aliud essentiale, in eo consistens, quod ii, qui sunt in Purgatorio, corde contriti & charitate præditi ex hac vita decesserint. Nec robur accipit Cajetani argumentum ex ea D. Thomæ doctrina. Unde enim colligendum est, Indulgentias aliaque pietatis officia iis tantummodo prodesse, qui Defunctorum suffragiis exhibendis in hac vita impense vacarunt? Si ex Christo ad inferos descendente, atque in Purgatorio detentos liberante Ecclesiæ potestas ad ferendum suffragia Defunctis erueretur, fortassis posset inferri, non alios per Pontificiam potestatem mediis Indulgentiis a Purgatorii poenis liberari, quam habentes meritum illud de congruo, de quo loquitur Cajetanus. Cœterum cum hoc ex illo non inferatur, sed aliunde agnoscamus Pontificiæ hujus potestatis & virtutis Indulgentiarum fundamentum: idcirco allatum Cajetani ex D. Thoma exemplum nihil evincit contra nostram Conclusionem.

Quæres 4.° An ad percipiendum fructum Indulgentiæ ad modum suffragii, sit necessaria ex parte Defuncti specialis & expressa impensi beneficii acceptatio?

Resp. negative; ad comparandum enim hujusmodi Indulgentiæ fructum, non exigitur Defunctum aliquid agere, ac per consequens neque id specialirer & expresse acceptare; quia potius acceptatio necessaria est ex parte Dei, quam ex parte Defunctorum. Maxime quia, ut suffragiorum fructum Defuncti percipiant, sufficiens est voluntas satisfaciendi Divinæ justitiæ omnibus modis, quibus fieri potest.

Hau-

Hauftam habes hanc doctrinam ex Suario, qui *disp. cit. sect. 7. num. 7.* de Defunctorum suffragiis differens, inquit = *Sufficit in Defunctis generalis voluntas, quam unusquisque justus habet obtinendi remissionem pœnæ, & solvendi Deo quacunque ratione possit: nam per hoc sufficienter habet implicitam voluntatem acceptandi solutionem pro se oblatam, etiam si ignoret, ut inter viventes sæpe contingit. Quod etiam confirmat Ecclesiæ usus; offerunt enim Fideles sua opera pro aliis amicis viventibus, etiam illis ignorantibus ac nescientibus. Et de animabus Purgatorii satis dubia res est, an cognoscant suffragia, quæ pro eis offeruntur, & a quibus offerantur, quia neque in verbo vident, quæ hic agimus, nec fortasse naturali virtute hoc possunt intueri, ut sentit Augustinus Lib. de Cura pro Mort. agen. cap. 13. Nec etiam videtur debitum statui illarum animarum, ut hæc illis revelentur. Ergo hæc cognitio non est necessaria ad effectum suffragii; sed sæpe fortasse prius in se sentit anima fructum suffragii, & ex effectu cognoscit, aliquod suffragium esse pro se oblatum, saltem confuse & generatim. Et licet ab Angelo Custode discat in particulari, a quo oblatum fuerit, illa tamen scientia non est prærequisita, ut suffragium operetur. Unde acceptatio, quæ subsequitur, potius est per modum cujusdam complacentiæ vel gratitudinis, quam ut conditio necessaria ad effectum suffragii. Sufficit ergo acceptatio Divina, a qua per se pendet hic effectus.*

Quod si dixeris, notitiam saltem confusam concessionis Indulgentiæ aliquo tandem modo ad minus sub conditione & habitualiter volitæ requiri, ut vivens pro se ejus fructum obtineat, adeoque etiam in Defuncto: disparitas habetur ex eo, quod vivens debet operari, ac se movere ad Indulgentiam acquirendam, Defunctus vero ad eam operari, & se movere non indiget.

ARTICULUS IX.

An melius & laudabilius sit, si Vivens Indulgentias aliaque opera satisfactoria sibi applicet, vel si Defunctis assignet?

INdulgentiarum aliorumque suffragiorum utilitatem, cæteris Doctoribus consentiens, approbat Theophilus Raynaudus; asserit tamen *Heteroclit. Spirit. Cælestium Terrestr. & Infernor. sect. 1. puncto 120. n. 18.* Christifidelem propriæ egestatis conscium non posse, servato ordine charitatis, ea Defunctis applicare, nisi statueret aut saltem speraret alia via compensationem pœnæ temporalis sibi debitæ = *Juxta regulam*, inquit, *ordinatæ charitatis aperte sequitur, hominem, qui se valde Divinæ justitiæ obstrictum agnoscit, nisi statuat, per alia opera pœnalia illarumque supplementa, puta Indulgentias, sibi consulere: vel saltem nisi speret, & judicet se postea id præstiturum, non posse tunc se exonerare fructu satisfactionum suarum, transferendo eum in alios, cum nil sibi remaneat ad proprii reatus absterfionem; ordinata quippe charitas non fert, ut aliis quidem sit remissio, nobis autem tribulatio; quod vetuit Apostolus face re 2. Corinth.*

Raynaudo consentit Arriaga in *Tract. de charitate in Proximum* addens: neque esse charitati conforme pro adjutorio animarum Purgatorii suffragiorum subsidium impendere, quando suffraganti post centum annos, superventura foret eorundem necessitas.

Nostra tamen Conclusio sit. Melius & laudabilius est, viventem etiam debito solvendi pœnam temporalem pro peccatis suis obnoxium, Indulgentias aliaque opera satisfactoria applicare Defunctis, quam sibi.

Prob. 1.° Illud censeri debet melius ac laudabilius, in quo reperitur & emicat major charitas; hæc enim est lapis lydius, quo major, aut minor bonorum operum excellentia declaratur. Majorem autem per-

perfectionem charitatis reperiri ac emicare in eo, quod vivens mediis operibus satisfactoriis atque Indulgentiis, Defunctorum indigentiæ sublevandæ nitatur incumbere, quam si eisdem suffragiis seipsum abonere solvendi pœnam temporalem curet eximere, constat; tum quia charitatis major excellentia aut perfectio non apparet in eo, quod quis bonorum operum locuples, seipsum illorum fructu privet, ut alios adjuvet; ut notant Patres Salmanticenses Scholastici in *Tract. de Pœnit. disput.* 10. *n.* 27. his verbis = *Quemque propria bona opera, quibus ipse non eget, alteri communicare, proculdubio non est magna charitas; maxima autem ea est, ut bonis, quibus sibi opus habet, se exuat, ad alterius inopiam induendam* = tum quia viventem ita se gerere, est magis Deo acceptum = *Affectio* (inquit D. Thomas 3. contra Gentes) *in eo qui pro Amico patitur, facit magis satisfactionem Deo acceptam, quam si pro se pateretur; hoc enim est promptæ charitatis, illud autem necessitatis* = Melius ergo ac laudabilius est, viventem etiam debito solvendi pœnam temporalem pro peccatis suis obnoxium, Indulgentias, aliaque opera satisfactoria applicare Defunctis, quam sibi.

Prob. 2° evertendo Sententiæ oppositæ fundamentum. Ideo supposita pari indigentia, melius non esset, unum pro altero, vel vivente vel Defuncto proprias satisfactiones vel Indulgentias applicare, quia charitatis ordo postulat, prius sibi, quam aliis subvenire, Virginum prudentum exemplo, quæ, ut refertur Matthæi 25., fatuis oleum tradere recusarunt, ne id sibi deesset. Hoc autem falsitatis convincitur. Quanquam enim in bonis simpliciter necessariis ad salutem, nequeat quis seipsum alteri postponere, servato ordine charitatis: ideoque prudentum Virginum sollicitudo commendetur; tamen in solutione pœnæ temporalis, cæterisque bonis spiritualibus, quæ eam necessitatem minime præseferunt, optime cum excellentissimo charitatis exercitio stat, alienæ potius utilitati, quam propriæ consulere, ut tradit Cardinalis de Lugo *tom.* 3. *de Sacram. Pœnit. disput.* 26. *sect. p. n.* 16. hanc tractans difficultatem = *Quinta difficultas*, ait, *esse potest: utrum sit melius applicare suffragium Defunctis, quam retinere sibi? Videtur enim magis expedire hoc secundum, quia ordo charitatis petit, ut nos magis diligamus, quam Proximum. Respondemus tamen, laudabilius esse primum; quia in his damnis temporalibus laudabile est ea subire propter Proximum, ut suppono ex 2. 2. quæst. 26. cum hoc enim stat, quod simpliciter magis nos diligamus, cum in rebus æternis nos præferamus aliis omnibus.*

Dices. Dilationem supernæ Beatitudinis eligere non est consonum charitati erga Deum; etenim nihil est charitati connaturalius in via, quam optare Deo uniri per claram ejus Visionem & fruitionem in Patria; & idcirco charitate flagrans Apostolus Paulus de seipso dicebat ad *Philippenses* 1.° *v.* 23 = *Desiderium habens dissolvi & esse cum Christo* = Hanc autem dilationem eligeret obligatus ad solvendam pœnam temporalem pro excessibus perpetratis, si Indulgentias vel alias satisfactiones, quas posset applicare ad Defunctorum vel proximorum utilitatem, pro eisdem offerret; exutus siquidem mortali corpore, a superna Beatitudine repelleretur, donec satispatiens in Purgatorio redderet usque ad ultimum quadrantem.

Resp., quod etsi supernæ Beatitudinis dilationem desiderare, nullo honesto præstituto fine, non sit charitati erga Deum conforme; ita tamen spirituale bonum aliorum, qui nobis charitate conjuncti sunt, appetere & velle, ut etiamsi ad hunc finem obtinendum supernæ Beatitudinis assecutio differenda sit, id nihilominus præeligatur, maxime charitati coheret; unde exclamabat Apostolus loco mox citato = *Desiderium habens dissolvi & esse cum Christo, multo magis in carne necessarium propter vos* = Ideoque hanc majorem erga Deum charitatem D. Pauli ita declarat. S. Thomas, exponens ex Chrysostomo illud ejusdem Apostoli ad *Rom.* 9. *v.* = *Optabam ego ipse Anathema esse a Christo pro Fratribus meis* = *Potest dici*, inquit, *sicut dicit Chrysostomus lib. de compunctione, quod per hoc non ostenditur, quod Apostolus plus diligeret proximum quam Deum, sed quod plus diligeret Deum quam se ipsum; volebat*

lebat enim ad tempus privari fruitione Divina, ad hoc quod honor Dei procuraretur in proximis, quod pertinet ad dilectionem Dei = Rursus inter præclaras D. Martini Turonensis Antistitis laudes refert Ecclesia, quod maluerit diutius vivere, ut spiritualiter gregem sibi creditum informaret, quam brevi moriturus superna quantocyus Dei visione recreari. Nec vulgari præconio extollitur ab Ecclesia D. Ignatius inclytæ Societatis Jesu Institutor, *auditus aliquando dicere, si optio daretur, malle se beatitudinis incertum vivere, & interim Deo inservire & Proximorum saluti, quam certum ejusdem gloriæ statim mori.*

Ex eo autem, quod indigens Indulgentiis ac suffragiis ad propriorum criminum expiationem, dicta suffragia ad ferendam opem Defunctis vel proximis ordinaret, non optaret dilationem æternæ beatitudinis secundum se, & præcisive a quocunque honesto fine, sed potius id ad majorem Dei gloriam vellet, ut Defuncti Purgatorii cruciatibus attriti, brevissime ad Paradisi gaudia convolarent. Cohæret proinde charitati erga Deum, & erga Proximum, si ad sublevandum a Purgatorii cruciatibus Defunctos, propriarum quis satisfactionum, ac Indulgentiarum jacturam præeligat: majus etiam sic operanti charitatis augmentum, necnon meritum vitæ æternæ corresponderet; quod magis profecto æstimandum est, quam qualibet uberrima pœnæ temporalis remissio, quam alias sibi in hac vita potuisset polliceri; ut notat Sotus in 4. *dist.* 2. *artic.* 1. his verbis = *Adnotandum est, quod absque comparatione pluris æstimandum est minimum augmentum meriti, & gratiæ, quam liberatio a maxima pœna Purgatorii; incomparabiliter inquam pretiosius est cum majori merito & gratia, existere in Purgatorio viginti annis, quam cum minori esse illic una die, imo sine Purgatorio in Cœlum evolare.*

Hinc merito Eusebius Nierembergius, in opusculo cujus inscriptio est: *Avaritia Sancta* ad summum verticem illorum pietatem provectam esse arbitratur, qui Proximorum saluti propriam beatitudinem, & Dei visionem posthabet: majoremque vim habere satisfaciendi pro se opus illud, docet, quod in Defunctorum transmittitur suffragium, quam si citra talem ordinationem exerceretur.

Finis Partis Primæ.

INDEX RERUM, ET VERBORUM;

Quæ in prima Parte Tractatus continentur.

Litera P *paginam denotat*, *litera* C *columnam*.

Indulgentiæ Quidditas.

Indulgentia Quotuplex sit?

Indulgentiarum Potestas.

Indulgentiarum Causa.

In-

Li-

Pec-

Re-

R

Redemtiones.

Usus

ERRATA MAGIS OBVIA SIC CORRIGE.

Primus numerus indicat paginam, secundus columnam, tertius lineam, quæ a principio columnæ, prout occurrit, numeratur.

Pagina 20. c. 1. l. 25. removere, *lege* revomere. *pag.* 23. c. 1. l. 19. Ante vocem Antonianum, *pone* ad. *pag.* 24. c. 2. l. 24. consummatinonem, *leg.* consummationem. *pag.* 25. c. 1. l. 26. Donastista, *leg.* Donatista. *pag.* 26. c. 2. l. 37. Fraternitatas, *leg.* Fraternitas. *pag.* 29. c. 2. l. 12. contigeret, *leg.* contingeret. *pag.* 31. c. 2. l. 10. citatius, *leg.* citatus. *ibid.* l. 51. Regionis, *leg.* Reginonis. *pag.* 32. c. 2. l. 20. pœnitens, *leg.* pœnitentes. *pag.* 33. c. 1. l. 13. peroherrescunt, *leg.* perhorrescunt. *pag.* 41. c. 1. l. 7. divinitius, *leg.* divinitus. *pag.* 42. c. 2. l. 46. libritisque, *leg.* libratisque. *pag.* 43. c. 2. l. 22. Pontificis, *leg.* Pontifices. *pag.* 44. c. 2. l. 43. corduba, *leg.* Corduba. *pag.* 45. c. 2. l. 6. excepciis, *leg.* exceptis. *ibid.* l. 17. subiciemus, *leg.* subiiciemus. *pag.* 46. c. 1. l. 41. centesimvis, *leg.* centesimis. *pag.* 47. c. 2. l. 8. usupaverit, *leg.* usurpaverit. *pag.* 52. c. 2. l. 25. Niuntios, *leg.* Nuntios. *pag.* 54. c. 2. l. 52. diuturnorem, *leg.* diuturniorem. *pag.* 55. c. 1. l. 26. io corrupte, *leg.* incorrupte. *pag.* 58. c. 1. l. 10. pœnitus, *leg.* penitus. *ibid.* l. 49. serapion, *leg.* Serapion. *pag.* 60. c. 1. l. 13. Zefirino, *leg.* Zephyrino. *pag.* 62. c. 2. l. 27. plurim, *leg.* plurium. *pag.* 72. c. 2. l. 8. pœnes, *leg.* penes. *pag.* 75. c. 1. l. 39. Sentententia, *leg.* Sententia. *pag.* 77. c. 1. l. 49. Dei, *leg.* Die. *pag.* 78. c. 1. l. 52. prætera, *leg.* præterea. *pag.* 88. c. 2. l. 42. obscripti, *leg.* obstricti. *pag.* 105. c. 2. l. 6. ammissionis, *leg.* amissionis. *pag.* 106. c. 2. l. 53. Militarium, *leg.* Militiarum. *pag.* 111. c. 1. l. 5. contingerit, *leg.* contigerit. *ibid.* l. 36. ommissio, *leg.* omissio. *pag.* 112. c. 1. l. 4. proprie, *leg.* prope. *pag.* 120. c. 2. l. 5. Nabuccdonosor, *leg.* Nabuchodonosor. *pag.* 128. c. 1. l. 51. contritio, *leg.* contrito. *ib.* c. 2. l. 36. comisit, *leg.* commisit. *pag.* 129. c. 2. l. 9. injuriæ, *leg.* injuria. *pag.* 132. c. 2. l. 50. post voces si quis vult, *deme* venire. *pag.* 149. c. 2. l. 52. Anglicus, *leg.* Angelicus. *pag.* 163. c. 1. l. 23. princeps, *leg.* principes. *pag.* 171. c. 1. l. 32. Quadere, *leg.* Qua de re. *pag.* 173. c. 1. l. 34. toleravaverunt, *leg.* toleraverunt. *pag.* 175. c. 2. l. 26. unitius, *leg.* unitus. *pag.* 176. c. 1. l. 28. coongerics, *leg.* congerics. *pag.* 177. c. 1. l. 7. pœnitus, *leg.* penitus. *pag.* 183. c. 1. l. 41. Ministeris, *leg.* Ministris. *pag.* 223. c. 2. l. 26. post vocem confluentibus, *adde* ad. *pag.* 240. c. 1. l. 24. athoritatem, *leg.* authoritatem. *pag.* 249. c. 2. l. 12. contra secundam Conclusionem, *leg.* contra primam Conclusionem. *pag.* 258. c. 2. l. 23. Enriquez, *leg.* Henriquez. *pag.* 291. [illegible] post voces de hoc, *deme* qua. *pag.* 305. c. 2. l. 32. satisferi, *leg.* satisfieri. *pag.* 311. c. 1. l. 45. probiliter, *leg.* probabiliter. *pag.* 319. c. 2. l. 8. proximus, *leg.* proximius. *pag.* 321. c. 1. l. 23. eleesonymæ, *leg.* eleemosynæ. 341. c. 1. l. 5. pharmaci, *leg.* pharmaci. *pag.* 346. c. 2. l. 37. extremo, *leg.* hesterno. *pag.* 358. c. 2. l. 38. pro cliviores, *leg.* procliviores. *pag.* 361. c. 2. l. 40. Cathecumenus capax oon est, *leg.* Cathecumeni capaces non sunt. *pag.* 365. c. 2. l. 39. indusit, *leg.* indulsit. *pag.* 366. c. 2. l. 54. post vocem sentit, *deme* probabiliter. *pag.* 367. c. 2. l. 22. exortis, *leg.* extortis. 370. c. 2. l. 52. nobili, *leg.* notabili. *pag.* 374. c. 1. l. 42. incomiiciare, *leg.* incominciare. *pag.* 378. c. 2. l. 5. drahmas, *leg.* drachmas. *pag.* 395. c. 2. l. 36. post vocem earundem, *adde* injuncta. *pag.* 404. c. 2. l. 25. suffragia, *leg.* suffragiis.

Cæteris erratis non paucioribus, nec levioribus prudens Lector consulat.